UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ernesti Schvberti S. Th. D. Et Prof. Primar. Academ. Helmstad. Abbatis Coenobii Ad Lap. St. Mich. Sem. Theol. Directoris Institvtiones Theologiae Moralis

Schubert, Johann E.

Ienae [u.a.], 1759

urn:nbn:de:hbz:466:1-50801

Visual Library

Francisci Eggel

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Regenten Gebet
Sapientiæ IX.

Gott mein Vater und Herr aller Güte, der du alle Ding durch dein Wort gemacht, und den Menschen durch deine Weisheit bereitet hast, dasz er herrschen solt über die Creatur, so von dir gemacht ist, dasz er die Welt regieren solt mit Heiligkeit und Gerechtigkeit, und mit rechten Hertzen richten, Gib mir die Weisheit die stets um deinen Thron ist und verwirff mich nicht aus deinen Kindern. Denn Ich bin dein Knecht, ein schwacher Mensch und kurtzes Lebens und zugering in Verstand des Rechts und Gesetzes Und wenn gleich einer unter den Men-

sehen Kindern vollkomen wäre,
so gilt sie doch nichts, wo er ohn
die Weißheit ist, so von dir komt.
Sende die herab von deinen
heiligen himmel, und aus dem
Thron deiner herrligkeit sende
die, dass die bey mir sey, und
mit mir arbeite, dass ich er-
kenne was dir wohlgefalle,
Denn die weis alles, und
verstehets, und lass die mich
leiten in meinem Wercken
mäßiglich, und mich behüten
durch Ihre herrlichkeit. So wer-
den dir meine Werck angenehm
sein, und werde dein Volck
recht richten. Amen.

NÓGRÁD VÁRMEGYEI MÚZEUM

Felicitas Principum.

Amore — — — Labore
Honore — — — Adjutore
Justitia — — — Fiducia
Spe — — — Dei laude
Clementia — — — Dei gratia
Vigilantia — — — Temperantia
Fortitudine — — — Eruditione
Liberalitate — — — Frugalitate
Visu — — — Auditu
Sincero corde — Authentico ore
Persecutione — — Obtrectatione
Pace — — — Face
Certa morte — — Beata sorte

IOANNIS ERNESTI SCHVBERTI

S. TH. D. ET PROF. PRIMAR. ACADEM. HELMSTAD.
ABBATIS COENOBII AD LAP. ST. MICH.
SEM. THEOL. DIRECTORIS

INSTITVTIONES THEOLOGIAE MORALIS.



IENAE ET LIPSIAE

SVMTIBVS VIDVAE IO. RVD. CROECKERI.
MDCCLVIIII.

ORSZÁGOS
- Nem adható el -
BUDAPESTI

P
06
IRS
1115
Universitäts-Gesamthochschule
Bibliothek
3
Paderborn
1990.43606

PRAEFATIO.

Pauca sunt, de quibus te monendum esse duxi, LECTOR BENEVOLE! Non enim causas prolixe commemorabo, quæ me impulerunt, ut de his institutionibus, quæ privatis Auditorum usibus destinatæ erant, plenius elaborandis et edendis cogitarem.

PRAEFATIO.

De ipsius tantum operis argumento, forma, et digestione nonnihil præfari liceat.

Quemadmodum quælibet religio, et inprimis christiana, duobus præcipue capitibus continetur, Dogmatibus nimirum, quæ credenda, et officiis, quæ peragenda sunt, ita et singula seorsim tradenda esse, multi Theologi præstantissimi perspexerunt. Ea Theologiæ pars, quæ officia Christianorum exponit, MORALIS dicitur. Unde iam satis constat, quodnam præcipuum sit Theologiæ Moralis argumentum. Possunt autem officia ista ad varios titulos revocari. Nam et universaliora dantur officia, ab omnibus adimplenda, in quocunque statu existant, et particularia, quæ aliquem statum

tum ſupponunt, eoque deficiente et impoſſibilia et illegitima forent. Illa non incommode dixerimus ABSOLVTA, hæc vero HYPOTHETICA. Prius officiorum genus ea complectitur, quæ Deo, nobis ipſis, et proximo debemus. Atque horum omnium principium eſt illa totius decalogi ſumma, quam Chriſtus his duobus præceptis contineri ait: *Dilige Deum ex toto corde, et proximum ſicut te ipſum.* Matth. XXII. 37. 39. Quamquam enim hac regula officia erga nos ipſos non explicite præcipiantur, illorum tamen neceſſitas ſatis patet, dum amor erga nos ipſos menſura amoris erga proximum eſſe dicitur. Hinc et Apoſtolus univerſum ſanctimoniæ ſtudium, quod fideles ſibi commendatum

habere debent, ad hæc tria officiorum genera revocat, inquiens, *ſalutarem Dei gratiam nos inſtituere, ut abnegemus impietatem mundanasque concupiſcentias, et* SOBRIE, IVSTE, *ac* PIE *vivamus in hoc ſeculo.* Tit. II. 11. 12. Ad hæc eadem officiorum genera ea quoque redeunt, quæ hypothetica diximus: Quicquid enim lex præcipit, aut Deo, aut nobis ipſis, aut proximo præſtandum eſt; At vero ſingularem ſtatum et nexum hominis chriſtiani ſupponunt, cuius natura et conditio nos docet, quid ſub his circumſtantiis amor Dei, noſtrum ipſorummet, et proximi exigat. Iſte nexus varius quidem et multiplex eſſe poteſt, præſertim tamen ſocialis eſt, pendens a tribus iſtis ſocietatibus inſignioribus, Familia,

milia, Eccleſia, et Civitate. Unde in tradenda morum doctrina id præcipue negotii nobis datum eſſe credidi, ut tum officia erga Deum, nos ipſos, et proximum, in ſe ſpectata, tum illorum applicationes ad ſtatum œconomicum, eccleſiaſticum, et civilem rite exponantur.

Hæc autem Chriſtianorum officia non tantum theoretice, ſed præſertim practice tradenda ſunt. Ideo enim docentur et diſcuntur, ut ſtudium pietatis excitetur, et piorum corda ad colendum Deum magis diſponantur. Hanc ob cauſam ante omnia quidem ex genuinis principiis demonſtranda ſunt quælibet officia, ſed ſimul quoque diligenter oſtendendum, quibus

modis exerceri possint, omissis subtilitatibus, quæ exercendo ingenio, non sanctimoniæ studio inserviunt. Et quia non sufficit, nosse, quid nostri sit officii, verum ad obedientiam legi divinæ præstandam simul necesse est, ut voluntas motivis flectatur, hæc quoque ubique recensenda et inculcanda esse duxi. Sunt quidem generalia quædam motiva, quæ nostram Deo serviendi obligationem demonstrant, quæque ad omne bonum opus perficiendum fideles movent. Sed singulis quoque officiis adimplendis singularia destinari possunt motiva, quæ si ad generaliora accedant, animum fortius impellunt, et tum ad sanctitatis studium efficacius sectandum, tum ad vincendas tentationes aptiorem

rem reddunt. Hac motivorum recenſione eo minus ſuperſedere poſſumus, cum conſtet, illis magnam virium ſpiritualium partem contineri, quæ Chriſtianis fideliter præſtituris, quod officii ratio exigit, non debent eſſe ignotæ. Sed commodior et utilior methodus eſſe videtur, cum ſingulis officiis motiva ſingularia ſtatim adiiciuntur, quam cum ſeparatim et ſub aliis titulis exhibentur. Quare etiam hoc labore ita perfunctus ſum, ut, officiis in ipſo §pho expoſitis, motiva in adiectis Scholiis recenſuerim, præſertim ea, quæ Scriptura nobis ſuppeditat: Quamquam nec ea neglecta ſint, quæ ex ipſa rei natura peti poſſunt. Præter hæc practica morum doctrina poſcit, ut tum vitia

virtutibus oppoſita, aut multiplex cuiusvis officii violatio poſſibilis, tum impedimenta et præiudicia, quæ pietatis ſtudio circa ſingula aut pleraque officia obſtant, tum denique media, ſi qua adhiberi poſſunt ad bonorum operum exercitium facilius reddendum, demonſtrentur. Quare nec hac in re officio meo deeſſe volui, ſed ea omnia, quæ aliquam utilitatem habere videbantur, diligenter, quamvis breviter tantum, congeſſi. Hac enim ratione, ſperavi, fore, ut et ipſi Auditores officiorum diſciplina plenius imbuantur, et ea aliis ſive in orationibus ſacris, ſive alia occaſione data, cum fructu tradere ſciant.

Quam-

Quamvis autem iuxta methodum, quam ſequutus ſum, hæc tractatio ſecundam inſtitutionum mearum partem conſtituat, illius tamen, tanquam præcipui argumenti, primo loco rationem reddere volui. Ex eo enim nunc facile conſtabit, cur alia quædam doctrinæ moralis capita pertractanda mihi ſumpſerim, priusquam ad officiorum recenſionem et expoſitionem accederem. Officium eſt actio libera, ad certam normam componenda. Hinc ſcire oportet, tum quid ſit actio libera, tum quænam illa ſit norma, quam Chriſtianus ſequi tenetur. Eſt autem duplex actionum liberarum norma, lex divina, et propria cuiusvis conſcientia. Cumque ab utraque obligatio et imputationis valor

ac iuſtitia dependeat, hæc omnia prima parte, quæ de *principiis officiorum* agit, complexus ſum.

Verum hæc tradidiſſe nondum ſufficiebat. Chriſtiani, qui docentur, quid ſibi peragendum et fugiendum ſit, ſi ſanctimoniæ vitæ ſtudere velint, non ignorare debent, quibusnam ſibi opus ſit viribus, quomodo comparentur et augeantur, et quisnam rectus illarum uſus ſit. De his viribus quamquam Theologia Dogmatica præcipiat, docens, hominem naturalem viribus Deo ſerviendi deſtitutum eſſe, easque a Sp. S. per regenerationem reſtitui, longe tamen plenius et diſtinctius explicari poſſunt, præmiſſa officiorum demonſtratio-

ſtratione, quæ ab homine chriſtiano adimpleri debent. Cognitis enim hisce officiis, evidentius patet, quid ad præſtanda ea requiratur, quare in corrupta hominis natura nulla vis, bonum verum peragendi, eſſe poſſit, quomodo fides, quæ per regenerationem accenditur, vires novas et ſpirituales conferat, et quibus exercitiis illæ conſervari et augeri poſſint. Hæc igitur omnia parte tertia pertractavi, omiſſis tamen aut breviter tactis iis, quæ ex Theologia Dogmatica plenius addiſcenda ſunt.

Multa quidem alia de natura, fatis, et neceſſitate Theologiæ Moralis moneri poſſent; Quia vero ſingularem de hoc argumen-

gumento dissertationem huic libello præmisi, lectorem, qui hæc scire cupit, ad tractationem illam remitto. Cæterum faxit benignissimum Numen, ut hic labor, quem utilitati Ecclesiæ destinavi, suo non careat fructu. Dab. in Academia Iulia Carolina, quæ est Helmstadii, D. VII. Apr.

MDCCLVIIII.

CON-

CONSPECTVS CAPITVM.

DISSERTATIO PROOEMIALIS

DE

THEOLOGIAE MORALIS NATVRA, FATIS, ET NECESSITATE.

PARS PRIMA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

PRINCIPIIS ET NORMIS OFFICIORVM CHRISTIANI.

Cap. I. De Actionibus Liberis seu Moralibus.
Cap. II. De Lege.
Cap. III. De Obligatione Christianorum ad servandam Legem.
Cap. IV. De Conscientia.
Cap. V. De Imputatione.

PARS

PARS SECVNDA
THEOLOGIAE MORALIS
DE
OFFICIIS IPSIS CHRISTIANORVM.

Cap. I. De Officiis Chriſtianorum erga Deum.
Cap. II. De Officiis Chriſtianorum erga ſe ipſos.
Cap. III. De Officiis Chriſtianorum erga Proximum.
Cap. IV. De Officiis Chriſtianorum in ſtatu œconomico.
Cap. V. De Officiis Chriſtianorum in ſtatu eccleſiaſtico.
Cap. VI. De Officiis Chriſtianorum in ſtatu civili.

PARS TERTIA
THEOLOGIAE MORALIS
DE
VIRIBVS SPIRITVALIBVS.

Cap. I. De Defectu virium naturalium.
Cap. II. De Collatione virium ſpiritualium, ſeu Regeneratione.
Cap. III. De Conſervatione et Augmentatione virium ſpiritualium ſeu Renovatione.

DISSER-

DISSERTATIO
PROOEMIALIS
DE
THEOLOGIAE MORALIS
NATVRA FATIS ET NECES-
SITATE.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DISSERTATIO PROOEMIALIS DE THEOLOGIÆ MORALIS NATVRA FATIS ET NECESSITATE.

§. I.

Quamquam operibus legis corruptus homo nec justificari nec salvari potest, *gravis tamen in eum cadit obligatio, legem DEi semper in oculis ferendi, omnique studio servandi*, idque

Obligatio hominis ad servandam legem.

1. tum propter sanctitatem & inviolabilitatem legis, cujus obligatio nullo casu, nulla impotentia ab homine contracta, tolli potest;
2. tum propter perpetuam omnium

hominum dependentiam a DEo, & ad se invicem relationem;

3. tum propter internam conscientiam, seu legem cordibus inscriptam; Rom. II. 14. 15.

4. tum denique propter divinam voluntatem, objurgatione gentium, quæ legem scientes, turpiter transgressæ erant, satis declaratam. Rom. I. 23. seqq.

Ab hac obligatione homo non liberatur vicaria legis adimpletione, qua Christus justitiam nobis comparavit. Hac enim justitia opus erat, quia homo vires perdiderat, pie ac juste vivendi, & tamen sine perfecta justitia in judicio divino justificari non poterat. Tam insigne autem beneficium, quo homini operum inopia laboranti aliena justitia offertur, & pro ipsius propria acceptatur, tantum abest, ut veterem obligationem, legis sanctitate & naturali nexu DEum inter atque hominem fundatam, aboleat, ut potius eam confirmet, & augeat.

§. II.

Inprimis regeniti.

Inprimis hominem gratia DEi regenitum & fide donatum legem DEi sancte servare oportet. Extat enim

1. Multiplex DEi mandatum, quo studium

dium bonorum operum ab eo exigitur. Matth. V. 20. seqq. XIX. 17. XXII. 37. seqq. Jo. XIII. 34. 35. Rom. III. 8. VI. 19. XII. 1. 2. 2. Cor. V. 15. Gal. V. 16. seqq. 1. Thess. IV. 7. Tit. II. 11. 12. 1. Jo. II. 1. 15. &c.

2. Regeniti per fidem novis instructi sunt viribus, DEum colendi & sanctimoniæ vitæ studendi. Gal. V. 6. Eph. II. 10. 1. Jo. V. 4. Jac. II. 17. 26.

3. Totque & tanta beneficia acceperunt a DEo, ut novas gravissimasque habeant causas, DEum diligendi, & faciendi, quod illi placet. Rom. VI. 15. 16. VIII. 1. 2. XII. 1. 2. Cor. V. 15. 1. Jo. IV. 19.

4. Hæc beneficia retinent, quamdiu fides adest. Illa vero rursus excutitur, nisi pietatis studium continuo exerceatur. Ezech. XVIII. 24. 1. Cor. III. 16. 17. VI. 19. X. 12. Eph. IV. 30. Quare cum gravior in eos cadat condemnatio, qui a fide desciscunt, 2. Pet. II. 20. 21. Ebr. VI. 4. 5. 6. X. 26. 27. illi præcipue operam dare debent, ne legem proterve transgrediantur.

5. Et quia religio, quam corde receperunt, & externe profitentur, malis operibus diffamatur, Rom. II. 24. 1. Pet. II. 12. III. 15. 15. majorem culpam peccando contrahunt, quam

qui gratiam regenerationis consecuti non sunt.

6. Denique bonis operibus firmior illorum redditur vocatio, 2. Pet. I. 10. Ebr. VI. 11. & ex illorum præsentia intelligunt, Spiritum sanctum in ipsis habitare, quod certissimum signum filiorum Dei est. Rom. VIII. 14. 15. 16.

§. III.

Theologia Moralis.

Scientia eorum, quæ homini regenito ex voluntate Dei peragenda sunt, dicitur THEOLOGIA MORALIS.

SCIENTIA tum *objective* tum *subjective* accipitur. Posteriorem vocis significatum qui in hac definitione cooptare solent, scientiam sumunt pro HABITV PRACTICO, idque non tam ratione *finis*, quam *objecti*. Nos priorem significatum merito præferendum esse putamus. Theologia enim Moralis, quæ docetur & discitur, non est qualitas aut habitus personæ, sed collectio veritatum, certo nexu cohærentium, & ex indubiis principiis demonstrandarum. Cæterum quando hæc Theologiæ pars scientia eorum dicitur, quæ PERAGENDA sunt homini REGENITO, hoc ipso tum a Theologia Dogmatica, tum a Philosophia Morali distinguitur. Nam prior ea tradit, quæ CREDENDA sunt homini intuitu salutis. Posterior agenda quidem

tra-

tractat, sed agenda ab HOMINE, QVA TALI.

§. IV.

Potiora illius contenta.

Ergo officia regenitorum præcipuum objectum Theologiæ Moralis sunt. (§. 3.) Quia vero ea nec cognosci possunt, nisi constet, quænam sint horum officiorum normæ & principia, nec adimpleri, nisi viribus novis & spiritualibus homo instructus sit, quarum acquirendarum, conservandarum, & augendarum certa gratiæ media a Deo tradita sunt homini, *tria potissimum complecti debet Theologia Moralis, doctrinam de principiis officiorum, de officiis ipsis, & de viribus spiritualibus.*

Postquam hæc Theologiæ pars diligentius tractari, & in formam scientiæ redigi cœpit, auctores in varias disciplinas, pro diversitate materiarum, eam diviserunt. Nam dispescunt eam in THEOLOGIAM MORALEM *strictius sumptam*, in IVRISPRVDENTIAM DIVINAM, & in PRVDENTIAM CHRISTIANAM. THEOLOGIA MORALIS, quæ jam ut *pars Theologiæ Moralis latius acceptæ* consideratur, est doctrina de statu hominis regeniti, de viribus spiritualibus, & de illarum incremento. Solent tamen multa alia huic parti inseri, veluti doctrina de statu hominis na-

turali, de regeneratione ipsa, de differentia Naturæ & Gratiæ, de Virtutibus, & alia, quæ omnia scitu perutilia & necessaria sunt. IVRISPRVDENTIA DIVINA, probe discernenda a Jurisprudentia Ecclesiastica, ipsa hominum regenitorum officia tradit. Et in hac disciplina simul de legibus, tanquam actionum normis & principiis, agi solet. Quemadmodum autem istæ leges non tantum certas actiones determinate præcipiunt, sed etiam judicandi copiam faciunt, quid in quocunque statu vel casu pro fine consequendo factu sit utile & salutare, ita huic legum applicationi destinata est singularis disciplina, quæ PRVDENTIA CHRISTIANA dicitur, ac in COMMVNEM, seu christianam stricte sic dictam, & PASTORALEM dispesci potest. Secundum ideam a nobis §. 4. formatam nostrum Systema & Jurisprudentiam divinam, & Theologiam Moralem strictius sumptam, & præterea aliam partem, quam forte non incommode dixeris VNIVERSALEM THEOLOGIAM MORALEM, complectetur. PRVDENTIA CHRISTIANA COMMVNIS partim in Jurisprudentia divina, partim in Theologia Morali strictius sumpta, partim vero etiam, cum casus conscientiæ evolvuntur & deciduntur, tractari potest. Et PASTORALIS THEOLOGIA licet ad Jurisprudentiam divinam referri posset, multo tamen

tamen diffusior est, quam ut in ea satis digne exponi posset. Hinc merito singularem disciplinam practicam constituit.

§. V.

Possibilitas.

Quicquid est dogmatum & officiorum, in Theologia Morali tradendorum, in sacris literis perspicue continetur. Inspirata enim est eum in finem Scriptura sacra, ut, quicquid creditu & factu necessarium est homini, æternam salutem consecuturo, ex ea disceret. Hinc non desunt principia certa & indubia, e quibus quodlibet assertum ad hanc disciplinam pertinens demonstrari possit. Et quoniam omnes veritates certo nexu cohærent, illæ etiam, de quibus Theologia Moralis præcipit, sic disponi poterunt, ut justo ordine & apta ad se invicem relatione exponantur. Inde vero nascitur scientia eorum, quæ homini regenito peragenda sunt. Quæ cum sit Theologia Moralis, (§. 3.) *nemo dubitat, quin ea sit possibilis.*

§. VI.

Principia.

Principium, ex quo haurienda est Theologia moralis, præcipue quidem est *Scriptura sacra*, quæ propterea & utilis esse dicitur πρὸς ἐπανόρθωσιν καὶ πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ut homo Dei aptus & præparatus sit ad omne bonum opus peragen-

dum. 2. Tim. III. 16. 17. Quia vero officia *regenitorum* non tollunt officia *hominum* naturalia, sed ea potius supponunt, & pro nova regenitorum conditione & relatione novis augent, externa quoque revelatio voluntatis divinæ, ex qua regeniti suam obligationem discunt, contraria esse non potest internæ illius revelationi, factæ per lumen rationis & conscientiæ, Theologo, qui Theologiam Moralem docet, ratio habenda est *Philosophiæ Moralis*, in qua leges naturæ & officia hominum, qua talium, traduntur, ut, quæ interdum adesse videtur, contradictionem naturalium & revelatarum legum tollere possit, aut nonnulla Christianorum officia demonstret, quæ scriptura supponit, aut implicite tantum præcipit. Neque negligenda est ab eo consideratio tum naturæ humanæ in se spectatæ, tum illius corruptionis & restitutionis. Natura namque hominis in se spectata est subjectum, præceptis & usu Theologiæ Moralis corrigendum & perficiendum. Oportet igitur scire, quænam illius sint facultates essentiales, quem habeat modum operandi, & quomodo flecti ac moveri possit. Corruptio humanæ naturæ ideo attendenda est, ut intelligatur illius impotentia ad bonum, & necessitas regenerationis per gratiam, nec non, quænam infirmitates naturæ jam renovatæ adhuc

huc adhæreant, & quibus mediis opus sit, vitium connatum coercendi, frangendi,& minuendi. Denique & restauratio humanæ naturæ ante oculos habenda est, tum ut constet, quænam sit vera ratio bonorum operum, quæ in scriptura dicuntur fructus fidei & pœnitentiæ, tum ut intelligatur, quomodo homo in hunc statum feliciorem transponatur, vires novas acquirat, & in sanctimonia vitæ crescat. Quæ cum ita sint, *Theologia Moralis proprie quidem haurienda & discenda est*

1. *Ex scriptura sacra*; simul vero adhibenda
2. *Philosophia Moralis*, atque illi addenda
3. *Psychologia*, quæ naturam & facultates humanæ mentis exponit, &
4. *Theologia Dogmatica*, quæ inter alia de statu hominis corrupto & restituto agit.

Istæ scientiæ non male dicuntur PRINCIPIA THEOLOGIÆ MORALIS. Sed distinguendum est inter principium PROPRIVM & COMMVNE. Illud omnia continet plene & adæquate, quæ ad aliquam disciplinam pertinent, & hinc destinatum est, ut ex eo addiscatur. Quia vero nonnulla tantum implicite continet, quandoque opus est lemmate, ex alia disciplina petendo, quo mediante conclusio ex principio eruitur. Juxta hanc notionem sola scriptura est prin-

principium Theologiæ Moralis *proprium*, Philosophia vero Moralis & Psychologia tantum *commune*. Licet vero etiam nonnullæ conclusiones occurrant, quæ ex sola Philosophia demonstrari possunt, in Theologia tamen morali homini regenito ex divina revelatione traduntur, & sic, quæ in se sunt naturales, ratione principii & finis theologicæ sunt. Doctrina de statu corrupto & restaurato hominis ex parte quidem in Theologia Morali exponitur, atque hinc ad illius objectum pertinet. (§. 4.) Quia vero non tota, sed tantum ex parte traditur in Theologia Morali, quatenus defectus virium naturalium, indoles spiritualium, illarum acquisitio, conservatio, & augmentatio cognoscenda sunt, quæ omnia pleniorem corruptionis & restaurationis notitiam, ex Theologia dogmatica hauriendam, supponunt, & præterea illius magna est utilitas, quin necessitas, in exponendis ac demonstrandis officiis regenitorum, motivisque & mediis adhibendis, recte illa pars præcipua Theologiæ ad principia Theologiæ Moralis refertur.

§. VII.

Necessitas. Si Theologiam Moralem tantum ratione objecti spectemus, fieri haud potest, quin summa illius sit necessitas. (§. 2. 3.) Sed si eam ut singularem disciplinam aut scien-

scientiam considéremus, quæri posset, num hoc respectu sit necessaria? Leges enim, quibus DEo obligamur, extant in sacris literis. Officia a nobis adimplenda serio inculcantur. Crebræ occurrunt admonitiones, promissiones, comminationes, aliaque motiva. Unde satis esse videtur, ut homo sciendi cupidus, quid sibi peragendum vel omittendum sit, ad scripturam simpliciter rejiciatur. Sed simul observari debet, multas leges siniſtris interpretationibus in falsos sensus detorqueri; quarundam obligationem a nonnullis limitari vel negari; ab aliis leges fingi, quas scriptura ignorat; quandoque apparentes adesse contradictiones, quas simpliciores tollere nesciunt; legum applicationes nonnullas quidem ostendi, longe plures vero hominum meditationi relictas esse; officia regenitorum neque in nexu seu relatione ad se invicem tradi, neque semper satis explicari; nonnulla illorum implicite tantum proponi, ipsorummet lectorum studio investiganda; rationem obligationis & motiva non raro diligenti meditatione eruenda, atque hinc inde colligenda esse; modum, quo legi satisfieri possit, mediaque adhibenda quandoque esse obscura, multisque ignota; dari casus dubios, qui conscientiam vexant; &c. Quæ omnia qui recte expendit, facile intelli-

telliget, *quam utile & necessarium sit, ut Christianorum officia colligantur, recte explicentur, solide demonstrentur, & cum materiis sibi annexis in formam scientiæ redigantur.*

Itaque non *absolutam* sed *hypotheticam* necessitatem asserimus, quæ insigni utilitate non parum augetur, quam studiosi & futuri doctores pietatis christianæ ex hoc institutionis genere capiunt.

§. VIII.

Fata Theolog. Mor. tempore Patrum.

Viderunt hanc necessitatem, qui ab initio Ecclesiam Christi docuerunt. Primi vero Patres, qui ætatem Apostolorum immediate attingebant, horum morem sequuti, moralia dogmaticis immiscebant, & fere omnia solis cohortationibus complectebantur. Hos qui sequebantur, illud christianum populum instituendi genus non quidem prorsus deserebant, majori tamen cura sacram morum doctrinam elaborabant. Sed plerumque sufficiebat illis, unum alterumve officium seorsim inculcare. Idque tum homiliis & sermonibus, tum singularibus tractatibus & epistolis peragebant. Observandum tamen est, hæc scripta non semper ad internam cordis sanctitatem, sed magnam illorum partem ad externam disciplinam spectare, quæ apud Veteres in magno erat pretio.

Non-

Nonnulli, licet pauciſſimi, hanc Theologiæ partem plenius & ex inſtituto tractare, vitamque & mores Chriſtianorum certis regulis circumſcribere inſtituerunt. Præſtiterunt id CLEMENS ALEXANDRINVS *in ſuo Pædagogo, Libris III. comprehenſo*; AMBROSIVS *in Libris tribus Officiorum*; AVGVSTINVS *in Euchiridio de Fide, Spe, & Caritate.* Sed invenient, qui Auctores iſtos adeunt, non omnia, ſed ea duntaxat officia urgeri, vitiaque contraria perſtringi, de quibus pro conditione illorum temporum præcipue agendum erat; neque ea, quæ tractantur, ex genuinis ſuis principiis derivari, ſed ſtylo magis oratorio proponi; multo minus autem doctrinam de legibus divinis, de corruptione hominum naturali, de viribus ſpiritualibus, ejusdemque generis aliis rebus plene & perſpicue, ut par erat, tradi. Poſtremum quod attinet, AVGVSTINVS quidem in ſuis contra PELAGIVM diſputationibus copioſe diſcuſſit. Sed prudentiores ſine dubio fatebuntur, libris ejus de Natura & Gratia, de Libero Arbitrio, &c. multum adhuc obſcuritatis & imperfectionis ineſſe. Quare nullum ab antiquis illis Patribus editum eſt ſcriptum, quod juſta & ſufficiens Theologiæ Moralis Inſtitutio cenſeri poſſet.

De opinionum qualitate, quæ his auctoribus pla-

placuerunt, jam non disputo. Constat inter omnes, suis & hac in parte nævis non caruisse. Inprimis IOANNES BARBEYRACIVS in *Præfatione*, quam PVFFENDORFII *Juri Naturæ & Gentium* in Gallicum idioma verso præmisit, multos Patrum errores, non exigui momenti, de industria notavit. Cujus censura cum nimis acerba nec vero prorsus consentanea nonnullis videretur, REMIGIVS CEILLIER illorum auctoritatem sibi vindicandam sumpsit, libro Parisiis 1718. edito, cui titulum fecit: *Apologie de la Morale des Peres de l'Eglise contre les injustes accusations du Sieur Jean Barbeyrac.* Sed celeberrimos illos disputatores in extrema sibi opposita delapsos esse, jam dudum ante me observatum est a Viris doctis.

§. IX.

Et tempore scholasticorum.

Crescente ignorantia & superstitione seculis, quæ Patrum tempora sequebantur, denique Sec. XII. nova orta est Theologorum familia, qui SCHOLASTICORVM nomine ornabantur. Hi non tantum Theologiam Dogmaticam in aliam formam transfundebant, verum etiam Moralem e tenebris rursus protrahere, explicare, & disponere laborabant. Qui principes in hoc genere Doctorum habentur, utramque Theologiæ partem in unum systema cogebant.

bant. Quid vero ab illis præstitum sit, ratio docendi a LOMBARDO adhibita, quam reliqui sequebantur scholastici, docebit. Is Lib. III. Sent. Dist. XXIII. quæstionem movet, *num Christus habuerit fidem, spem, & charitatem?* Inde vero occasionem accipit, de his tribus virtutibus, quibus juxta AVGVSTINVM tota vita christiana contineatur, & quæ THEOLOGICÆ vocabantur, prolixe differendi. Ab his ad quatuor virtutes MORALES seu CARDINALES progreditur, iisque discussis de septem donis Sp. S. de Decalogo, deque officiis & vitiis, in decalogo præceptis vel prohibitis, agit. Illa igitur incidens quæstio, qua LOMBARDVS carere potuisset, ideo tantum mota esse videtur, ut aptam haberet occasionem, sententiis suis ad Dogmata Theologica pertinentibus Theologiam Moralem inserendi. Cui vero ne quid deficeret, adjecit librum quartum, qui totus doctrinam de Sacramentis copiose exponit. Ab hoc tempore multi extiterunt, qui non tantum omnes quatuor libros sententiarum interpretati sunt, sed etiam, qui partem posteriorem libri tertii suis commentariis seorsim illustrarunt. Atque hi nomine MORALISTARVM a reliquis Scholasticis distinguebantur, quorum numerus insigniter auctus est, postquam & THOMAS *de*

AQVINO in *secunda Secundæ* hanc Theologiæ partem suo more tractare cœpit. Ille quidem in eo sequebatur LOMBARDVM, quod in *sua summa* Theologiam Moralem cum Dogmatica conjungeret, omniaque ejus capita ad tres virtutes theologicas, & quatuor morales, ad septem dona Sp. S. & ad præcepta Decalogi revocaret. Sed materias aliter disponebat. Nam secunda Secundæ duo tantum potiora habet capita. In priori virtutes theologicæ, in posteriori morales pertractantur. Quod vero de donis Sp. S. & de præceptis decalogi dicendum videbatur, ita inter hæc duo capita partitus est, ut ubique significaret, quænam decalogi præcepta hanc illamve virtutem commendarent, & quibusnam donis ad eam acquirendam & exercendam opus esset. Hic ordo cum reliquo Scholasticorum agmini magis placeret, & præterea THOMAS longe diffusior & subtilior esset in discernendis ac discutiendis materiis, plures quoque nactus est commentatores. Ex iis autem, quæ dicta sunt, & ex ipsa librorum inspectione videmus, SCHOLASTICORVM THEOLOGIAM MORALEM esse doctrinam de virtutibus theologicis & philosophicis, quæ nimia subtilitate & rationibus plerumque philosophicis discutiuntur, interjectis subinde ca-

casuum dubiorum resolutionibus; legumque ecclesiasticarum applicationibus.

§. X.

Non miror, hanc Theologiam Moralem docendi rationem non omnibus æque placuisse. Multis enim inanibus speculationibus, inutilissimis quæstionibus, rixosis contentionibus, & philosophicis subtilitatibus, quæ nullam vim cor hominis emendandi habebant, referta erat. Sed nec prorsus approbare possum, quam tunc diligentius excolere cœperunt MYSTICI, Theologiam. MYSTICORVM nomine hoc loco intelligo, qui arctiorem cum Deo unionem non ex divinarum rerum cognitione extrinsecus haurienda, sed ex interni luminis divini, hominibus innati, excitatione repetendam esse censebant. Sunt, qui primam hujus Theologiæ originem ad ORIGENIS tempora rejiciunt. Is enim cum dogmata theologica accurate definienda, sedulo scrutanda, eorumque rationes ex philosophia reddendas esse doceret, aliis hoc studium inutile, imo noxium videbatur, contendentibus, ad intuitionem & fruitionem Dei sufficere illam divinita- Theologia Mystica.

tis particulam, quæ hominum mentibus infusa esset, quamque nihil aliud, quam ipsam rationem, fuisse, non sine causa credo. Hoc itaque internum ac divinum lumen, putabant, excitandum esse, ut doceret & sanctificaret, non theoretico humanæ eruditionis, sed practico mundum resque sensuales fugiendi studio. Quonam auctore hoc Theologiæ genus introductum sit in Ecclesiam, obscurum est. Circa medium Seculi quarti autem suos jam habuisse admiratores & promotores, ex scriptis PSEVDO-DIONYSII AREOPAGITÆ patet, qui in Lib. *de Cæleſti Hierarchia*, *de Nominibus divinis*, *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, & *de Theologia Myſtica* multa huc pertinentia collegit. Ad Occidentales vero hæc arcana disciplina seculo demum nono transiit. Hujus namque DIONYSII scripta LVDOVICO PIO Imp. dono miserat MICHAEL BALBVS, Græcorum Imperator. Tam pretiosum opus, ut & Latinis magis innotesceret, in eorum sermonem verti jussit LVDOVICVS. Quisnam illorum primus fuerit interpres, non constat. Sed sine dubio obscuriorem multisque vitiis scatentem ejus versionem fuisse oportet. Nam paulo post alia eademque melior jussu CAROLI CALVI composita est a IOANNE ERIGENA, SCOTO. His omnibus sapientia

entia dionysiana tantopere commendabatur, ut & in Ecclesia Occidentali plurimos nanciscereturæstimatores & patronos. Majori vero contentione excoli cœpit Theologia Mystica, cum Scholastici caput extollerent. BERNHARDVS acerrimus fuerat Dialecticorum hostis. Hujus ergo celeberrimi viri auctoritate se armabant, qui contra Scholasticos disputabant, Mystici, atque hoc clypeo tecti tam feliciter pugnasse videntur, ut & ipsi Scholastici, metu adacti, Theologiam Mysticam se magni facere simularent, ac Dionysium, Mysticorum Parentem, illustrare instituerent. Qui vero rem serio agebant, præcipui sunt GVIBERTVS, Sec. XII. scriptor, qui *Moralium in Jobum Libros decem, in Amosum unum, & in Lamentationes Jeremiæ unum* composuit; HVMBERTVS DE ROMANIS, Sec. XIII. Scriptor, *Institutionum spiritualium*, libris 6. comprehensarum, auctor; IOANNES TAVLERVS, Sec. XIV. scriptor, cujus scripta mystica junctim edita adhuc hodie extant, & a multis in magno pretio habentur; THOMAS a KEMPIS, Sec. XV. scriptor, cujus *Libri 4. de Imitatione Christi* præcipue noti sunt omnibus, multisque laudibus extolluntur. De quibus tamen notandum, quod, licet suis non careant erroribus, Mysticorum tamen illius ætatis saniores

sint. Qui enim opiniones manifesto impias & fanaticas sparserunt, hoc loco præterimus.

THEOLOGIA MYSTICA vi vocis est *Theologia arcana*, & quia nihil magis arcanum est, quam mysterium Trinitatis & Incarnationis, illud proprie foret objectum Theologiæ mysticæ. Sed nec minus res arcana est hominum regeneratio & unio cum Deo, Jo. III. 7. 8. quam scriptura plerumque terminis metaphoricis proponit. Qui ergo hanc Theologiæ partem tradebant, Mystici appellabantur. Unde Theologia Mystica a Morali non differt. Quia vero multi Patrum principiis philosophiæ platonicæ imbuti erant, atque inter locutiones biblicas & platonicas aliquam similitudinem observabant, hoc Theologiæ caput ad mentem Platonis de physica vel substantiali quadam unione explicabant. Hinc ortum est discrimen inter PVRIOREM & IMPVRIOREM Theologiam mysticam, quam posteriorem DIONYSIVS ille, Areopagita falso dictus, suis scriptis complexus est. A tempore Scholasticorum omnes isti vocabantur mystici, qui nec linguam, nec methodum, nec disputationes eorum in tradenda Theologia Morali adhibebant, sed stylo liberiori terminis-

minisque biblicis ad excitandam pietatem utebantur. Hæc erat docendi ratio ASCETICORVM, qui non tam notitiam quam exercitium officiorum urgebant. Unde & hi pro Mysticis plerumque habebantur, quorum nonnulli, ne quid diffitear, pio affectu & non sine fructu praxin pietatis commendabant. Quia vero parum sani jam tum erat in Theologia Pontificiorum, superstitio Ecclesiæ Romanæ pro vera pietate habebatur, plerique Dionysium sequuti formulas loquendi valde obscuras adhibebant, quibus essentialis unio cum Deo significari videbatur, & pietatis studium sine prævia recta & distincta officiorum rerumque divinarum notitia urgebant, Theologia mystica hujus ætatis recte a nobis improbatur, adjecta tamen admonitione, hæc vitia in quibusdam scriptis rarius, in aliis frequentius & copiosius occurrere. Cæterum Historiam Theologiæ Mysticæ ex instituto illustrarunt B. ADAMVS RECHENBERG *in Disp. de Origine Theologiæ Mysticæ*, quæ *Exercitationibus* ejus *in N.T.* inserta est; GOTTFR. ARNOLD *in Historia & Descriptione Theologiæ Mysticæ*; PETRVS POIRET *in Epistola de Princ. & Charact. præcipuorum Scriptorum Mysticorum*, quæ annexa est ARNOLDI scripto jam citato. Adde, quæ habet

bet B. IO. FRANC. BVDDEVS *in Isag. Lib. II. Cap. IV. §. 8. p. 600. seqq.* & S. V. CHRIST. KOECHER *in Conspectu Theol. Univ. Cap. IV. Sect. VII. p. 262. seqq.*

§. XI.

Fata Theolog. Moral. apud Protestantes.

Cum sacra ministerio B. LVTHERI repurgarentur, simul aliam faciem induit Theologia Moralis. Fieri enim haud poterat, ut dogmata sana restituerentur, sacra vero morum disciplina suis coinquinata maneret sordibus. Expulerunt nempe beati Reformatores ante omnia veteres superstitiones humanasque traditiones in papatu adjectas; sustulerunt falsas opiniones de qualitate & merito bonorum operum; monstrarunt justam relationem pietatis ad fidem ac salutem; legem Dei, quæ unica officiorum norma est, recte interpretati sunt; veram hominis corrupti regenerationem, veraque unionis cum Deo media, ordinem, gradus &c. demonstrarunt. Methodus autem, quam sequebantur, eadem non erat omnibus. Multi more Asceticorum sanctimoniam vitæ inculcabant, compositis sermonibus & homiliis, quibus aut pericopas evangelicas & epistolicas, aut decalogum, aut aliam par-

partem sacri codicis illustrabant, & in auditorum vel lectorum usus convertebant. Alii vero, qui scholæ magis inservire volebant, methodum scholasticam seu systematicam retinebant, Theologiam Moralem connectentes cum dogmatica. Horum dux erat PHILIPPVS MELANCHTHON, qui in *Locis Communibus* non tantum Theologiam Dogmaticam tractabat, sed & Moralia subinde interponebat, ubi commodus erat de illis differendi locus. Varia huc pertinentia leguntur in Art. de Libero Arbitrio, Lege, Peccato, Bonis Operibus, &c. Quin & nonnulla capita mere practica inserebat & addebat, qualia sunt Locus de Vindicta, Paupertate, Castitate, Cruce, Precibus, Magistratu Politico &c. Atque ad hanc Methodum reliqui suas Institutiones componebant. Primus, qui Theologiam Moralem a Dogmatica sejunxit, & seorsim tradidit, est B. noster GEORGIVS CALIXTVS. Edidit namque *Epitomen Theologiæ Moralis*, ac in ea de Fine & Subjecto Theologiæ Moralis, de Principiis actionum hominis renati, & de Legibus egit. Opus erat imperfectum, qualia esse solent, quæ sui generis prima sunt. Interim suo exemplo alios Theologos excitavit CALIXTVS, ut simile quid tentarent. Prodierunt ergo varia

compendia & Systemata Theologiæ Mo
ralis, quorum seriem exhibere, nimi
prolixum foret. Hoc unicum observan
liceat, quod libri isti tum materiis tum or
dine a se invicem differant. In aliis sol
Christianorum officia traduntur, in ali
simul principia officiorum una cum tot
doctrina de vita spirituali. Alii quælib
officia comprehendunt, alii tantum e
quæ Christianorum sunt communia. Hi
orta sunt nomina discretiva THEOLOGI
MORALIS, IVRISPRVDENTIÆ DIVINÆ, THE
LOGIÆ PASTORALIS, &c. Ratione Meth
di plerique quidem sunt systematici, s
nec defuerunt THEOLOGIÆ MYSTICÆ CU
tores, quorum præcipuus & utilissimus
ne dubio est IOANNES ARNDIVS. Hi ver
omnes ea duntaxat tradiderunt, quæ pla
sunt, & difficultate carent, minime ver
ea, quæ ad informandam conscientiam
casibus dubiis pertinent. Hac in par
vexatos & discendi cupidos Theologi i
stituebant responsis ad quæstiones sibi pr
positas redditis, quorum dein variæ pr
dierunt collectiones. Nonnulli THEOL
GIAS CASVISTICAS componebant, in qu
bus secundum ordinem Locorum The
logicorum casus dubios ipsi formabant,
quid agendum esset, suis decisionibus
rationibus commonstrabant. Hac rati

ne nulla est Theologiæ Moralis pars, quæ non satis exculta esset a nostris Theologis.

§. XII.

Quantum nos videmus, THEOLOGIA MORALIS optime dispesci potest in VNIVERSALEM & PASTORALEM. Hæc sola Ministrorum Ecclesiæ, qua talium, illa vero officia omnibus Christianis in quocunque statu existentibus communia tradit. Quod enim THEOLOGIAM CASVISTICAM attinet, satis est, ut principia practica ad casus obvios applicentur. Et cum nonnulli illorum sæpius occurrant, utile & commendandum est Theologorum studium, qui casus frequentiores per varios titulos digestos certo ordine discusserunt. Plenum vero illius systema elaborari haud posse, credo. Methodus utramque partem Theologiæ Moralis tractandi & SCHOLASTICA & MYSTICA esse potest. Prior distinctis rerum notionibus, systematica materiarum dispositione, solidisque demonstrationibus, adhibitis, ubi opus esse videtur, terminis artificialibus & philosophicis, continetur. Posterior tum liberiori ordine, tum vulgari dicendi genere constat, ad singulorum captum composito

Divisio Theolog. Moralis.

sito, & affectum excitandum idoneo, pu
Utraque suam habet utilitatem, & ba
prior quidem scholæ, posterior Eccles
destinari debet. Neutra negligere po
est locutiones biblicas, quibus ipse D
Spiritus regenerationem, unionem fid
lium cum Deo, vitam spiritualem, e
jusque incrementa docuit. Sed diver
sa est eas explicandi ratio. Systemat
cus utitur definitionibus philosophici
propriis, & magis accuratis. Rationem
enim habet solidæ scientiæ, institution
aliorum tum ad docendum tum ad r
tionem reddendam, nec non disputa
tionum, quibus & hac in parte cont
adversarios non semper carere possu
mus. Mysticus ab his subtilitatibus ab
stinet, locutiones biblicas clare tantu
& ad vulgares hominum conceptus e
plicat, exemplis & similibus magis d
cet, quam definitionibus. Illius enim
est, affectum movere, & pietatis stu
dium in omnibus excitare. Hoc unicu
tantum sibi commendatum habeat, n
verborum obscuritate & ambiguitate fa
sos conceptus in mentibus lectorum g
gnat, operationes Sp. S. in physicos
immediatos tactus convertat, essentiale
cum Deo unionem fingat, & sic in i
puri

puriorem Theologiam mysticam prolabatur.

§. XIII.

Nobis jam constitutum est, eam Theologiæ Moralis partem tradere, quam VNIVERSALEM diximus. Et quia hæc tria præcipue momenta continet, principia officiorum, officia ipsa, & vires spirituales, quibus illa adimplenda sunt, (§. 4.) nos quoque hoc scriptum in tres partes dividemus, quarum Institutum Auctoris.

I. *De Normis & principiis officiorum christiani,*

II. *De Officiis ipsis*, &

III. *De Viribus regenitorum spiritualibus* aget.

Hæc methodus commodissima & aptissima mihi videtur. Cum enim officia Christianorum præcipuum objectum Theologiæ Moralis constituant, ea vero explicari, doceri, & demonstrari nequeant, nisi præcesserint notiones morales, e quibus omnis obligationis fundamentum peten-

petendum est, recte præmittitur doctrina de normis & principiis officiorum. Tunc ipsa Christianorum officia recensentur. Quo facto quæstio est, num homini naturali vires adhuc supersint, ea adimplendi, &, si desint, quomodo illas acquirat, conservet, & augeat. Hæc omnia ergo ad partem ultimam rejiciuntur.

PARS

PARS PRIMA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

PRINCIPIIS ET NORMIS OFFICIORVM CHRISTIANI.

PARS PRIMA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

PRINCIPIIS ET NORMIS OPERUM CHRISTIANI

PARS PRIMA
THEOLOGIÆ MORALIS
DE
PRINCIPIIS ET NORMIS OFFICIORVM CHRISTIANI.

CAPVT I.
DE
ACTIONIBVS LIBERIS SEV MORALIBVS.

§. I.

Actio libera in genere definitur.

ACTIO, quæ in hominis potestate est, LIBERA appellatur. In HOMINIS autem POTESTATE actio esse dicitur, quæ ita determinatur ab eo, ut æque potuisset omitti, ac edi. Ad hujus generis actionem requiritur,

1. Ut ratio existentiæ actionis sit in ipso homine, adeoque nulla causa externa extorqueatur;

2. Ut homo non tantum sit actionis causa efficiens, sed etiam dirigens, h. e. ut habeat principium, quo actio determinatur, aut aliter determinari potuisset;

3. Ut oppositum non tantum in se & absolute, sed etiam physice maneat possibile, sic ut posita licet actionis ratione sufficiente nulla tamen ipsius actionis ad sit necessitas physica, sed contrarium fieri possset.

4. Ut tamen ratio illa vere sufficiat ad determinandam actionem, & necessum non sit, contrarium fieri.

Quorum unum vel alterum si forte deficeret, homo actionem in sua potestate habuisse dicendus non est. Quæ vero cum his omnibus determinationibus editur, eam merito liberam appellamus.

Ideam hanc generaliorem forte non male quis illustraret facto Ananiæ, quod describit & improbat Petrus Act. V. 4.

§. II.

Huc pertinent actiones voluntatis.

Hæc criteria ad unum omnia cadunt in actus facultatis appetitivæ superioris quæ voluntas in sensu strictiori appellari solet. Intelligimus namque per eos quemcunque appetitum boni distincte cogniti & quamcunque aversationem mali distincte

cte cogniti. Isti appetitus istæ aversationes procedunt ab animæ vi repræsentativa, quatenus cognitio boni & mali est ratio sufficiens volendi & nolendi. Hinc & ipsa hæc distincta cognitio, quam sibi formare potest, & actu format homo, est principium dirigens, quo actio determinatur. Sed quemadmodum in se possibile est, ut contrarium velimus vel nolimus, ita & id possibile manet, licet in intellectu adsit distincta boni vel mali cognitio. Hæc cognitio moralem quidem volendi vel nolendi infert necessitatem, sed non physicam. Nam & existente illa cognitione vis animæ sufficit ad volendum contrarium, sive ad non volendum, & variæ intercedere possunt rationes vel impedimenta, quæ efficiunt, ut nolimus, quod bonum esse distincte cognovimus. Interim tamen hæc cognitio sufficit ad determinandam voluntatem, minimum respectu quorundam objectorum, nec necesse est, ut nolimus, quod bonum esse judicamus. *Ergo actiones voluntatis seu facultatis appetitivæ superioris ad actiones liberas merito referuntur.* (§. 2.)

His actibus coexistere solent certi motus corporis, quos & ipsos propterea LIBEROS appellant, rectius autem actionum liberarum signa, effectus, aut circumstan-

tiæ concomitantes vocantur. Nam homo eos in ſua poteſtate habet *nec abſolute*, cum a mechaniſmo corporis dependeant, qui corrumpi aut quocunque modo impediri poteſt, *nec immediate*, cum mediantibus tantum actionibus liberis animæ determinentur. Præterea iſti motus corporis non ſunt actiones hominis propriæ, ſed omnium animalium communes.

§. III.

Et facultatis appetitivæ inferioris.

Idem ſentiendum eſt de actibus facultatis appetitivæ inferioris, qui ſunt appetitus boni obſcure vel confuſe cogniti, & averſationes mali obſcure vel confuſe cogniti. Nam & horum cauſa efficiens eſt anima humana. Et quamquam obſcura vel confuſa boni & mali cognitio non eſt principium dirigens, quo actio ſic & aliter determinari poteſt, ſed ſi ſola foret in anima humana, ipſa de ſuis actionibus diſponere non poſſet, tamen eædem actiones explorari & diſtincte cognoſci poſſunt, quo facto ab homine aliter determinarentur. Hinc & illarum actionum oppoſitum tum in ſe, tum hypothetice & phyſice poſſibile eſt, licet jam adſit obſcura vel confuſa boni aut mali cognitio. Nam interponi poteſt alia & melior objecti conſideratio. *Quare & actus facultatis appetitivæ inferioris ſunt actiones liberæ.*

Hoc

Hoc genus actionum duplicem habet respectum. Quatenus obscuris vel confusis ideis determinantur, spontaneæ & arbitrariæ quidem, sed non liberæ sunt. Quatenus autem distincta cognitione determinari possunt, utique sunt liberæ. Hinc motus appetitus sensitivi, qui a solis ideis sensualibus dependent, nulla autem distincta & rationali cognitione dirigi possunt, quales sunt dolores, aut voluptas ex gustu orta, &c. non pertinent ad actiones liberas.

§. IV.

Num & actus intellectus?

Operationes intellectus variæ quidem sunt, omnes tamen ad judicia de rei veritate vel falsitate redeunt. Judicium hoc si propositionis evidentia vel liquida demonstratione nitatur, impossibile est, ut illi non assentiamur, & hinc eatenus non est in potestate hominis. Quandoque tamen & propositioni assentimur, quæ nec evidens est, nec demonstratione suffulta. Tunc quidem non necessario assentimur: Siquidem res, quæ vera esse videtur, diligentius explorari potest; Quamdiu tamen evidens aut satis demonstrata esse creditur, non possumus non assentiri. Quemadmodum autem nec vere nec falsè de aliquo objecto judicari

poteſt, niſi intellectus ad illud applicetur cogitando, attendendo, meditando, &c. & hæc applicatio a voluntate noſtra dependet, *ita applicatio quidem intellectus ad aliquid cogitandum vel ſcrutandum, & illius omiſſio eſt actio libera, ſed non aſſenſus ipſe.*

Hinc patet, quonam reſpectu veritates & errores in intellectu dici poſſint actiones liberæ. Scilicet quatenus judicatur, non ſunt liberæ. Quatenus vero intellectus ad judicandum applicatur, h. e. homo decernit, objectum aliquod conſiderare, ſcrutari, explorare, & debitam diligentiam adhibet, vel non adhibet, quæ omnia in ipſius poteſtate ſunt, eatenus ſunt actiones liberæ.

§. V.

Specialior actionum liberarum definitio.

Cum intellectus in aſſentiendo liber non ſit, (§. 4.) actus vero facultatis appetitivæ ſuperioris & inferioris actiones liberæ ſint, quatenus non tantum ab homine procedunt, ſed etiam diſtincta boni vel mali cognitione determinantur, aut ſaltem determinari poſſunt, (§. 2. 3.) & motus corporis, qui actionibus voluntatis liberis coexiſtunt, potius ſigna & effectus actionum liberarum, quam ipſæ actiones liberæ dici poſſint, (§. 2. Sch.) ſequitur *actiones liberas eſſe eas, quæ ab homine ipſo eduntur, & diſtincta boni vel mali cognitio-*

ne determinantur vel determinari possunt. Hinc &

1. *Actiones liberæ in ipso ente agente suam habere debent rationem sufficientem*, & quoniam, quicquid ab interno agentis principio dependet, spontaneum dici solet, *eas quoque oportet esse spontaneas*;

2. *Ab eo tantum edi possunt, qui intellectu & ratione instructus est*;

3. *Ad actiones liberas concurrere debet intellectus & voluntas, quamquam in posteriore propriam suam sedem habeant*;

4. *Nec tantum illæ sunt liberæ, quæ distincta objecti cognitione actu determinantur*;

5. *Sed etiam, quæ hoc medio determinari potuissent & debuissent.*

§. VI.

De bono & malo qui distincte judicat, rationem percipicit, cur aliquid pro bono vel malo habeat. Istam vero rationem ex universaliori quodam principio repetat, necesse est. *Hinc & actio libera recte dicitur motus voluntatis, qui ab homine ex universali quodam principio determinari potest & debet.* Illius applicatio.

Hæc principia possunt esse vera & falsa. Falsa vero sunt errores, e quibus ratio veri, boni, & mali petenda non est. Ergo

go axioma hoc de principiis veris tantum intelligi debet.

§. VII.

Libertas definitur.

LIBERTAS in genere est facultas liber agendi. Cum ergo actio libera sit omni motus voluntatis, qui ab ipso homine pra via distincta boni vel mali cognitione de terminatur, vel determinari potest, (§. c. *libertatem recte definimus per facultatem ali quid sponte volendi vel nolendi secundum pra viam distinctam boni vel mali cognitionem* Itaque

1. *Libertas est affectio voluntatis*, quam quam simul in intellectu suam habeat ra tionem;

2. *Quousque in hominis potestate est, voli tiones aut nolitiones suis principiis & notioni bus distinctis inde formatis determinare, eous que extenditur hominis libertas*;

3. *Habitus, objecta voluntatis distincte co gnoscendi, idque volendi & nolendi, quod bo num vel malum esse judicatur, est libertati perfectio.*

Vocabulum LIBERTAS in scriptura vario habet significatus. Primum enim accipi tur pro statu liberationis a dominio pec cati, ut Jo. VIII. 36. Rom. VI. 18. VIII. Secundo pro liberatione ab obligation erga legem ceremonialem, ut 1. Cor. VI

12

12. VIII. 9. X. 29. Gal. V. 1. Prior LIBERTAS FIDELIVM, posterior vero LIBERTAS CHRISTIANA seu NOV. TEST. dici posset. Ab utraque differt LIBERTAS MENTIS HVMANÆ, quam hoc loco definivimus, & quæ fundamentum est omnis moralitatis actionum. Hanc scriptura vocat ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος. 1. Cor. VII. 37. Utitur etiam vocabulo concretivo ἑκούσιος. Phil. 14.

§. VIII.

Facultas illa, motus voluntatis prævia distincta cognitione sponte determinandi, involvit primo, ut homo habeat potestatem, objecta voluntatis distincte cognoscendi, & ex certis principiis de illis judicandi, secundo, ut in voluntate adsit dispositio, cognitionem illam sequendi, seu flexionem per eam recipiendi. Jam vero fieri potest, ut & in intellectu potentia aliquod bonorum vel malorum genus distincte cognoscendi, & in voluntate dispositio bona cognita appetendi, & mala cognita aversandi *per naturam* adsit. Sed & fieri potest, ut utraque *per gratiam Sp. S.* demum restitui debeat. Hinc oritur differentia inter LIBERTATEM NATVRALEM & SPIRITVALEM. Per illam intelligo potentiam, aliquod rerum genus ex principiis

Divisio in naturalem & spiritualem.

naturalibus cognoscendi, & naturalem vo luntatis dispositionem, volendi, quod bo num, & nolendi, quod malum esse cogno scitur; Per hanc vero dispositionem gra tia Sp. S. collatam, bonum ex qualicun que principio distincte cognitum volend & malum contrarium nolendi. Ex qu patet,

1. *Libertatem tam naturalem quam spir tualem absolutam & remotiorem quandam di positionem vel facultatem supponere, se per pr vias notiones distinctas ad volendum vel nole dum determinandi.* Hæc enim nisi adfore naturæ mentis humanæ prorsus repugna ret, distincta boni vel mali cognitione fle cti. Atque tunc ne ipsa quidem Sp. S gratia talis dispositio conferri posset.

2. *Hominem libere agere, quando ad vo lendum vel nolendum prævia distincta cogniti ne sponte determinatur, sive potentiam huju flexionis per motiva præcedentia habeat a natu ra, sive a gratia.*

3. *Ab absoluta seu remota libertate ad liber tatem naturalem respectu hujus vel illius obje cti non posse concludi.* Fieri enim potest, u in se quidem sit possibile, hominem ad vo lendum hoc vel illud objectum prævi boni cognitione distincta flecti, licet ne naturalia habeat principia, bonum illu cognoscendi, nec naturalem dispositio nem, bonum, si cognoverit, appetendi.

4. *Hin*

4. *Hinc libertatem naturalem non esse meram potentiam remotam vel absolutam, sed simul vires intellectus & voluntatis involvere, ad actum volendi eliciendum sufficientes.* Cumque vires illas liberum arbitrium appellare soleamus, illud a libertate naturali non differt.

5. *Libertatem naturalem seu liberum arbitrium ad ea tantum objecta extendi, quæ & ex naturalibus principiis cognosci, & ex naturali voluntatis dispositione appeti possunt.*

Theologi distinguunt inter libertatem in statu *integritatis*, *peccati*, *gratiæ*, & *gloriæ*. Hæ libertatis species sicuti supponunt generaliorem quandam libertatem, quæ omnibus hominibus in quocunque statu inest, ita ipsæ tantum sunt variæ modificationes & determinationes libertatis illius generalioris. Atque hanc intelligere videntur Theologi, qui libertatem in *sensu philosophico* sumptam omnibus inesse hominibus fatentur, libertatem vero in *sensu theologico* acceptam, quæ nihil aliud est, quam libertas naturalis, respectu rerum spiritualium deesse statuunt.

§. IX.

Ipsa voluntatis ad aliquid volendum determinatio per præcedentem distinctam objecti repræsentationem dicitur ELECTIO. Unde illa

Electio.

1. *Sem-*

1. *Semper est actio libera*; (§. 2. 5.)

2. *Illius objectum vel est res sui gener unica, æque tamen appetenda ac aversanda, v res ad aliquod genus pertinens, cujus plur dantur appetibiles*, ideoque recte dispesc tur in ELECTIONEM CONTRADICTIONIS CONTRARIETATIS;

3. *Illam præcedere debet deliberatio*, qu & accuratior, & negligentior esse potes Quare etiam possibile est,

4. *Ut malum sub specie boni eligatur*, a *bonum minus majori præferatur.*

Ad hujus generis electionem homines in sc ptura rejiciuntur, v. g. Deut. XXX. 1 Jos. XXIV. 15. & alibi.

§. X.

Actio libera est vel bona vel mala.

Cum omnis actio libera ex principi quodam universaliori determinari possit debeat, (§. 6.) duplex actionum liberarur genus merito statuitur. Aliæ enim prin cipiis illis conformes sunt, aliæ contraria Priores appellamus BONAS, posteriores ve RO MALAS actiones. Cum itaque omni actio libera cum principio, ex quo dete minari debet, conveniat vel non conve niat, sequitur,

1. *Quamcunque actionem liberam bona esse vel malam*; Et quoniam actio, quæ ne qu

que bona neque mala est, INDIFFERENS appellatur, simul manifestum est,

2. *Nullam dari actionem liberam, quæ prorsus indifferens foret.*

Sed, velim, observent lectores,

1. Id non intelligi de *actionibus abstractive consideratis*, quarum nonnullæ per accedentes circumstantias demum bonæ vel malæ fiunt, & hinc in se omnino indifferentes sunt, sed de *actionibus omnimode determinatis, & hinc individualiter spectatis.*

2. Neque harum actionum indifferentia *omni prorsus respectu* negatur. Olim enim in Ecclesia Judaica erant leges ceremoniales, quæ de cultu DEi publico disponebant, nonnullas vero actiones huc pertinentes non determinabant. Harum legum intuitu actiones edi poterant, nec præceptæ nec prohibitæ, licitæ tamen, & hinc indifferentes, quamquam respectu legis moralis tales non erant. Sic & in rep. actiones indifferentes dantur *respectu legum civilium*, quas tamen bonas vel malas esse oportet, si cum principiis universalioribus conferantur. Et horum respectu proprie negatur actionum indifferentia.

3. Post adventum Christi tota lex ceremonialis tollebatur, ita tamen, ut primis Chri-

Christianis actiones hac lege præceptas dere liceret, si eas ex rationibus politici & non ex opinione cultus divini fuscip rent. Tunc ergo opera olim præcep reddita erant indifferentia. Quemadm dum autem tale opus decerni non poter sine accedentibus circumstantiis, quæ sp ciem & qualitatem ejus determinabant, & , quando edebatur , non prorsus er indifferens. Hinc Paulus ex. gr. circu cisionem Galatis severe prohibet, Gal.V. quam tamen ipse Timotheo aliquando a plicaverat. Act. XVI. 3.

4. Ex his principiis facile patet, quid de *diaphoris* sentiendum sit. Adiapho namque sunt ritus ecclesiastici, neque pr cepti neque prohibiti, ideoque indiffere tes. Horum existentiam concedimus, *abstractive* & *in genere* considerentu Hinc & Ecclesia in instituendis & ordinand iis sua uti potest libertate. Sed non pro sus sunt indifferentia. Accedentibus en circumstantiis bona vel mala redduntur, desinunt esse adiaphora. Ita enim rit in se indifferens non amplius est indiff rens, quando cum scandalo aliorum, a ex opinione cultus necessarii, aut ex s perstitiosa meriti præsumtione observatu Quare & in ordinandis, mutandis, vel a rogandis adiaphoris magna opus est pr dentia & circumspectione.

§. X

§. XI.

Relatio actionis liberæ ad principium, quo determinari debet, dicitur ejus MORALITAS. Cum ergo ista relatio actionem bonam vel malam reddat, & hinc omnis actio bona vel mala sit, (§. 10.) patet, Moralitas actionis.

1. *Moralitatem quoque actionis dici posse illius bonitatem vel pravitatem*; Et

2. *Quamcunque actionem liberam esse moralem.*

§. XII.

Solet autem moralitas illa in OBIECTIVAM & SVBIECTIVAM dispesci. Quodsi enim actio per suam ipsius naturam bona vel mala est, OBIECTIVAM, sin vero per voluntatem legislatoris, SVBIECTIVAM habere dicitur moralitatem. Actiones, quæ moralitatem objectivam habent, a Scholasticis ANTECEDENTER AD VOLVNTATEM DEI BONÆ VEL MALÆ appellantur; quæ vero subjectivam, CONSEQVENTER ad eam. Quapropter cum impossibile non sit, ut eadem actio, quæ per suam ipsius naturam bona vel mala est, talis simul sit per voluntatem legislatoris, *utraque moralitas, objectiva & subjectiva, simul eidem actioni inesse potest.* Est vel objectiva vel subjectiva.

§. XIII.

§. XIII.

Num subjectiva sine objectiva sit?

Si vero quæras, num actio subjectiv bona vel mala esse possit, quæ nullam ha beat moralitatem objectivam, id, puto in foro quidem divino impossibile esse Cum enim actio subjective bona vel mal est, aliqua Dei voluntas extat, qua illa ve approbatur, vel improbatur. Deus auten nihil velle, nisi quod bonum, & nihil no le potest, nisi quod malum esse judicave rit. Quemadmodum ergo voluntatem e jus semper præcedit judicium de bonitat vel pravitate rei, ita & rem ipsam, quam Deus vult vel non vult, in se bonam ve malam esse oportet. Quod si de action libera prædicetur, moralitatem objecti vam habet. (§. 12.) *Ergo quæcunque act subjective bona vel mala est, simul habeat mo ralitatem objectivam, necesse est.*

Qui essentias rerum arbitrarias negant, sciunt, Deum nunquam sine ratione objec tiva aliquid velle vel nolle posse, veritatem hujus asserti certius & clarius perspicien Hinc & scriptura prædicat, sanctam, opti mam, & irreprehensibilem esse voluntatem Dei: Quibus laudibus ornari hau posset, si DEus, cum leges fert, nullam qualitatis actionum haberet rationem, se suum unice arbitrium sequeretur. No tandum tamen est, per naturam actionis qu

qua ejus moralitatem effici diximus, non solam qualitatem actionis in se spectatæ intelligi, sed quandoque etiam circumstantias & accidentales relationes, quæ individualitatem ejus constituunt. Sunt certe actiones, quarum natura in se spectata eas bonas vel malas reddit. Sunt vero etiam, quæ per circumstantias demum bonæ vel malæ fiunt. Hinc & utraque actionis consideratio apud Deum ratio esse potuit vel præcepti vel interdicti, hoc tamen cum discrimine, ut, si ratio petita fuerit ex natura actionis in se spectatæ, voluntas ejus sit immutabilis, si vero ex circumstantiis, mutabilis.

§. XIV.

Principia moralitatis actionum inquirenda.

Hæc qui considerat, facile intelliget, rationem existentiæ moralitatis in ipsa actionum natura, rationem vero cognoscendi eam in principiis contineri, quibus aut conformes aut difformes sunt. (§. 11. 13.) Ut ergo de singulis actionibus, num bonæ sint, an malæ, judicari possit, *inquirendum est, num hujus generis dentur principia, & quænam illa sint?*

CAPVT II.
DE
LEGE.

§. XV.

Lex definitur.

Norma actionum liberarum, a su riore præscripta, dicitur LEX. go ea

1. *Esse debet propositio universalis, qua ctionum ad idem genus pertinentium quali tem determinat;*

2. *Pro objecto habet solas actiones liberas*

3. *A superiore præscripta est, qui per h propositionem declaravit, quid fieri vel non ri vellet;*

4. *Principium illud est, ex quo omnis a libera ab homine determinari debet;* (§.6)

5. *Hinc & actio bona recte dicitur, quæ legi formis est, & mala, quæ illi repugnat.* (§.

Legem non quamcunque sed MORALEM finivimus, quæ propter præstantiam s LEX simpliciter dici solet. Potuisset normam actionum liberarum definiri, *adjecta mentione superioris.* Quia nulla lex vere datur, nisi a superiore & jam de legibus propriissime & strict me talibus agitur, quæ sine idea supe ris concipi nequeunt, Deus etiam supe ritatem suam graviter inculcabat, cum

in eo erat, ut legem suam promulgare vellet, Exod. XX. 2. hanc determinationem definitioni inferendam esse, merito putavimus. Quatenus norma actionis rationibus nititur, ex actionis indole, consectariis, & circumstantiis desumptis, CONSILIVM appellari solet. Hinc cum actiones liberæ habeant moralitatem objectivam, (§. 13.) & hinc ratio præcepti vel interdicti divini semper petita sit ex actionis natura, (§. 12.) leges divinæ haud immerito dicuntur consilia. Qui vero consilia divina fingunt, quæ non essent simul leges, & quæ homines pro arbitrio sequi & non sequi possent, manifestam contradictionem admittunt. Neque huc trahi possunt loca Matth. XIX. 11. 12. 21. 1. Cor. VII. 1. 7. 25. IX. 14. Nam ibi de actionibus sermo est, quæ non absolute & in se bonæ vel malæ sunt, sed per circumstantias variabiles suam moralitatem, eamque vel majorem vel minorem, nanciscuntur. Unde & non universaliter præcipiuntur, sed circumstantiæ tantum monstrantur, quibus existentibus bonæ, & hinc præceptæ essent, nisi ob defectum doni aut alias circumstantias majus malum metuendum sit.

§. XVI.

Quemadmodum superior ille, qui alio- Divisio legum.

rum actiones pro arbitrio determinat, hinc LEGISLATOR appellatur, aut DEVS HOMO esse potest, ita & leges in DIVINAS & HVMANAS dispescuntur. Divinæ su normæ actionum, ab ipso Deo hominib præscriptæ. Cumque per lumen ratio homini innotescunt, NATVRALES, cum ro per externam revelationem declara sunt, POSITIVÆ dicuntur.

§. XVII.

Dantur leges naturæ.

Duplex datur rerum finis, cui omn quæ sapientissimus mundi opifex condi inservire debent, GLORIÆ DIVINAE MA FESTATIO, &, quæ illi subordinata est, HOMINVM FELICITAS. Ad quem finem c & liberæ hominum actiones tendere beant, inde nascuntur propositiones qu dam universales & actiones, quæ ad hu finem consequendum faciunt, deter nantes, & simul voluntatem Dei declar tes. Istæ propositiones sunt: *Quicquid riam Dei manifestat, aut felicitatem homi promovet, illud agendum; quicquid vero riam Dei obscurat, aut hominum felicita impedit, illud fugiendum est.* Has propo tiones declarare, quid Deus ab hominib agi vel non agi velit, facile intelligent nes, qui expendunt, Deum non posse velle, quicquid finibus ejus respondet, vero aversari, quod illis repugnat. E

& pro principiis seu normis actionum, ab ipso Deo præscriptis, h. e. pro legibus divinis habendæ sunt. (§. 15. 16.) Quia vero homo harum propositionum veritatem ratione sola prælucente perspicit, & hujus generis leges naturales appellentur, (§. 16.) patet, *dari leges naturales.* Quæ res eo minus in dubium vocari potest, cum scriptura testetur, gentes, lege extrinsecus revelata carentes, habuisse legem, cordibus suis inscriptam. Rom. II. 14. 15. observandum autem est,

1. *Summam & præcipuam legem naturæ esse, manifestetur gloria divina*, Rom. I. 21. *illique proxime subordinari illam alteram, promoveatur propria cujusvis felicitas*, Eph. V. 29.

2. *Ex his principiis multas conclusiones specialiores formari posse, quæ omnes pariter sunt leges naturæ.* Plurimarum enim actionum ad hoc vel illud genus pertinentium relatio intelligi potest tum ex ipsa illarum natura, tum ex consectariis. Inde oriuntur subsumptiones, actiones nimirum, quæ hujus vel illius generis sunt, illustrare vel obscurare gloriam divinam, nec non promovere vel impedire propriam hominis felicitatem. Ergo conclusiones, quæ docent, hoc vel illud actionuum genus sectandum vel fugiendum esse, specialiores sunt leges naturæ. Act. IV. 19. Rom. I. 32.

3. *Actiones, quæ duobus illis summis principiis,*

cipiis, aut conclusionibus inde formatis, conform
sunt, bonas, oppositas vero malas esse; (§. 10

4. *Denique has leges non tantum ratio*
hominibus concessa, qua actionum naturam
relationem ad fines divinos explorare possu
sed etiam fatis prosperis & adversis, quæ
minibus bonum vel malum eligentibus obtu
gunt, revelari a Deo.

Quamquam homo naturalis non nisi exte
nam honestatem sectari potest, atque
formalem operis bonitatem non constitu
tamen, ut constaret, eam Deum velle, h
mines honestos quandoque præmiis te
poralibus ornavit, quæ quasi signa &
stimonia divinæ erga nos voluntatis sunt

§. XVIII.

Illius affectiones.

Cum vero leges naturæ sint normæ
ipso Deo præscriptæ, (§. 16.) & Deus si
ipsi non possit esse contrarius, sequitur,

1. *Nullam dari contradictionem inter leg*
naturæ ipsas;

2. *Neque eas aliquando abrogari, aut contr*
riis legibus positivis tolli posse;

3. Hinc quoniam dispensatio est permi
sio moralis, ut aliquid fiat contra legem
eas dem esse indispensabiles.

Apparentes igitur contradictiones legum n
turalium tum inter se, tum cum legibu
positivis, tollendæ sunt vel per circum
stan

stantiarum diversitatem, quæ actionem lege alias præceptam vel prohibitam mutant & eximunt, vel per limitationem alterutrius legis, quam alia lex opposita monstrat, ubi tamen, quænam lex limitanda sit, ex generaliori quodam principio dignoscendum est. Leges naturæ absolute quidem sunt indispensabiles. Quia vero nonnullæ illarum non simpliciter fundatæ sunt in ipsa actionis natura in se spectata, sed in quibusdam circumstantiis, quæ abesse possunt, licet id non perspiciat humana ratio, Deus quandoque actionem permittere potest, quæ lege naturali prohibita esse videtur, quamquam hoc casu vere non dispensatur contra legem.

§. XIX.

DEus tulit leges positivas.

Itaque homo sibi relictus quandoque ignorat, num adsint circumstantiæ, quibus existentibus actio præcipitur vel prohibetur. Multarum quoque actionum naturam & relationem ad finem Dei ultimum sola ratione non potest perspicere, quod efficit, ut generaliora legum naturalium principia ad casus singulares applicare, & hinc leges specialiores sub universalioribus comprehensas invenire nequeat. Accedit, plerorumque hominum simplicitatem adeo magnam esse, ut admodum dif-

ficulter vel plane non videant, quod ra
tionis & naturæ lumen alias monſtran
poſſet. His cauſis movebatur Deus, u
externa revelatione voluntatem ſuam de
clararet, & hinc LEGES POSITIVAS ferret
(§. 16.) Id vero fecit non tantum

1. *Præcipiendo & prohibendo*; ſed etiam

2. *Promittendo præmia, & comminando pœ
nas*; ſimiliter

3. *Revelando ea, quæ ipſe fecerit, & in qui
bus eum imitari poſſint homines*;

4. *Commemorando vitam & facta Chriſti
quibus exemplum nobis reliquit*; denique

5. *Approbando vel improbando opera alio
rum, qui ante nos vixerunt.*

Magnum ergo Dei beneficium eſt, quod no
bis legem ſuam revelaverit, ut & facilius
& plenius, & certius eam cognoſcere poſ
ſimus. Hæc olim erat populi iſraelitici
prærogativa, ab ipſo Deo prædicata. Pſ.
CXLVII. 19.20. Poſtquam vero ver
bum Dei ad omnes gentes delatum eſt,
communi hoc beneficio fruuntur, aut cer
te frui poſſunt.

§. XX.

Et quidem triplicis generis.

Ejusmodi divinæ voluntatis revelatio
nes mox ab initio mundi factas eſſe, & fa
cile præſumi poteſt, & hiſtoria ſacra do
cet. Nunquam autem plenius & ſole
mnius

mnius patefacta est lex divina, quam cum Deus populum suum ex Ægypto eduxerat, & in deserto peregrinanti formam tum reipublicæ tum Ecclesiæ tradebat. Exod. XX. seqq. Hinc & Paulus comparative inquit, legem ante tempora Mosis non extitisse. Rom. V. 13. 14. Gal. III. 17. 19. Quemadmodum autem triplex datur legum genus. quarum aliæ hominem, ut talem, aliæ hominem, ut membrum Ecclesiæ, aliæ vero eum ut civem seu membrum reipublicæ obligant, ita & populus israeliticus triplicem a Deo legem accepit, MORALEM, CEREMONIALEM, & FORENSEM.

§. XXI.

Lex ceremonialis, ejusque abrogatio.

LEX CEREMONIALIS statuta continebat, quibus determinabantur actiones ad cultum DEi publicum pertinentes. Cum ergo præcipua promissio Israelitis data Christum ejusque meritum respiceret, Gen. XXII. 18. coll. Gal. III. 16. cujus adventum sperare, & in quem credere eos oportebat, illorum quoque cultus publicus ita comparatus esse debebat, ut & in memoriam illis revocaret promissionem de Messia futuro, & publica esset confessio, se talem mundi Redemtorem ex sua gente oriundum expectare. Hinc tota lex ceremonialis non poterat non esse ad-

umbratio futuri Messiæ ejusque meriti Gal. III. 23. 24. Col. II. 16. 17. Ebr. IX. X. 1. At vero cessante fine & ratione legis ipsa lex ejusque valor & obligatio cedere debet. Quare cum Christo in carne exhibito finis legis ceremonialis exspiraret, *ipsam quoque legem ceremonialem abrogari oportebat.* Hanc abrogationem Deus in Vet. Test. prædixerat, Ps. CX. 4. coll. Ebr. VII. 11. 12. 18. 19. Jer. XXXI. 31. seq. Dan. IX. 27. in novo autem præcepit, Act. XV. 24. 28. Gal. V. 1. 2. 3. Col. II. 16. 17. Ebr. VII. 18. VIII. 13. & per destructionem templi hierosolymitani confirmavit.

Quemadmodum lex ceremonialis præcipue disponebat de sacrificiis & lavacris, ita in actionibus typicis duplex Christi meritum, passivum & activum, præfiguratum esse credo. Jo. XIX. 34. 1. Jo. V. 6. Hac ratione lex ista insignem partem Evangelii continebat. Quia vero per modum legis concepta erat, ejusque observantia publica erat confessio, Messiam Patribus promissum adhuc futurum esse, post adventum Christi, impletisque omnibus, quæ lex ceremonialis adumbraverat, non amplius observari poterat. Quod tamen ita intelligi debet, ut ex opinione necessitatis cultus divini observari non potuerit.

lias enim constat, nonnullos ritus lege ceremoniali institutos & signa politica nationis judaicæ fuisse, & aliis finibus inservire potuisse. Ex hac causa Paulus ipse non dubitabat, Timotheum circumcidere, Act. XVI. 3. aliasque partes legis ceremonialis adimplere. Act. XXI. 24. 26. Imo Christiani, qui gente erant Judæi, hunc morem adhuc diu sequebantur. Quare quod in Concilio Hierosolymitano decretum erat de abstinentia ab hujus legis adimpletione, ad solos Christianos ex gentilismo conversos pertinebat. Act. XXI. 25. His enim eadem lex præscribi non poterat, sine accedente opinione necessitatis & cultus divini.

§. XXII.

Lex forensis ejusque abrogatio.

Status ecclesiasticus Judæorum singularem quoque Reip. formam poscebat, quam ipse Deus sapientissime instituebat, & quam Theocratiam fuisse novimus. Ut itaque nulla Resp. carere potest suis legibus civilibus, ita & DEus eas populo suo tulit, quarum complexus dicitur LEX FORENSIS. Præcipit aut prohibet illa actiones, de quibus judicari debebat in foro, & simul modum judicandi ipsamque sententiam a magistratu ferendam definit. Plerarumque harum legum ratio continebatur in singulari forma reip. judaicæ, in illius

us relatione ad cultum Dei publicum, &
in poſſeſſione terrarum a Deo populo ſu
donatarum. Sed nec impoſſibile eſt, u
inter has leges nonnullæ fuerint, propte
communem omnium Civitatum finem l
tæ, aut etiam aliæ naturales, quarum ob
ſervantiam Deus auctoritate Magiſtratu
politici firmari voluit. *Ergo deſtructa h
ſingulari Ebræorum Rep. abrogatisque legib
ceremonialibus, & populo ex palæſtina pul
omnes illæ leges forenſes ſimul cadunt, quarum
ratio in his circumſtantiis contenta erat, rel
quæ vero, quæ aut naturales ſunt, aut in com
muni Rerump. ſine fundatæ, ſuum valorem r
tinuerunt.*

Quare ſicuti lex forenſis magiſtratus & ſub
ditos aliarum gentium ideo non obliga
quia divinam habet originem, ita nec ide
legis forenſis obligatio ſtatim neganda e
quia eſt lex forenſis. Explorari potiu
oportet, quænam legis iſtius fuerit ratio
Si communis, ad omnes gentes pertinet
Si ſingularis, in ſingulari Judæorum con
ditione contenta, ceſſat ejus obligatio
Unde & Paulus nonnullas legum forenſi
um ad ſtatum Chriſtianorum applica
1. Cor. IX. 9. 14. Alias vero Chriſtu
ipſe ſuſtulit. Matth. XIX. 8. 9. Quam
legum forenſium diverſitatem qui definir
vult, videat, quænam cujusvis fuerit ra
tio

tio. Si generalior ab ipso Deo redditur, aut plane nulla, ea tamen in singularibus Judæorum circumstantiis inveniri nequit, lex non abrogata censeri debet. Sin vero ex peculiari Judæorum conditione, ex forma regiminis theocratica, aut ex possessione terræ promissæ explicari potest, ad solum populum judaicum pertinuit, quamdiu proprio foro & fundo fruebantur. Unde ne ipsi quidem Judæi hodie postulare possunt, ut a Magistratu christiano secundum veteres suas leges judicentur.

§. XXIII.

Longe alia est ratio LEGIS MORALIS, qua Deus Judæorum, ut hominum, actiones determinavit. Hanc Lex moralis.

1. *Decem præceptis complexus est*, Exod. XX. 3-17. XXXIV. 28. Deut. IV. 13. X. 4. *unde &* DECALOGVS *dicitur*;

2. *Magna & terribili cum pompa populo suo tradidit*; Exod. XIX. 10. 11. 16. 18. 19. XX. 18.

3. *Ipse eam duabus tabulis lapideis inscripsit*; Exod. XXXI. 18. XXXII. 15. 16. XXXIV. 27. 28. Deut. IX. 10.

4. *Christus autem illa decem præcepta ad duo potiora reduxit, quæ summam totius legis continerent, & quorum alterum dilectionem Dei, alterum vero dilectionem proximi, dilectioni nostrum*

noſtrum ipſorummet æqualem, inculcat. Matth. XXII. 37. ſeqq.

Deus tum ſingulari promulgatione tum de ſcriptione in tabulis lapideis decem illa præcepta a reliquis legibus diſtin xit. Cum ergo, quicquid ad decalo gum non pertinet, aut eccleſiaſtica aut c vilia officia determinet, ac Moſes ip hanc legem, qua fœdus Dei contineri d cit, a lege ceremoniali & forenſi, *Chuk kim & Miſchpathim*, diſtinguat, Deut. IV 13. 14. dubium non eſt, quin Decalogu de officiis hominum, qua talium, agat, un de & κατ' ἐξοχὴν *lex moralis* appellatur quod nomen alias quoque ceremoniali forenſi legi imponi poteſt. Hiſtoria de ſcriptionis decalogi in duabus tabulis, teſtimonium Chriſti, alia hujus legis præ cepta amorem Dei, alia vero amorem pro ximi præcipere, nos docent, prioris gene ris præcepta primæ, & poſterioris ſecun dæ tabulæ inſcripta fuiſſe. Sed quæritur quomodo ſint dividenda? Nonnulli pu tant, præcepta primæ tabulæ numero quæ tuor eſſe, ſecundæ autem numero ſex. Ac que hi ſentiunt, præceptum de non faciendo ſimulacro ſingulare eſſe, diſtinguendum a præcepto primo de non habendis Diis alienis, præceptum vero de non concupiſcendo domum proximi, & de non

concu-

concupiscendo uxorem, servum, ancillam, &c. ejus, quæ alias distingui solent, unum tantum esse. Nos vero statuimus, tria tantum esse præcepta, quæ ad primam tabulam pertinerent, illudque de non faciendo simulacro esse tantum interpretationem primi. Hinc ad secundam tabulam septem referuntur. Et quia non possunt esse pauciora decem præceptis, illud de non concupiscendo domum proximi, & de non concupiscendo ejus uxorem, aut alias res mobiles, ita dividimus, ut duo sint distincta præcepta. Tota hæc controversia quamvis in se levis sit, nec ullum religionis caput tangat, cum utrinque eadem præcepta retineantur, nostram tamen sententiam merito præferendam esse judicamus. Primo enim præcepto Deus omne genus idololatriæ prohibet, cumque simulacra facere, colere, & adorare sit species idololatriæ, & quidem præcipua, interdictum hoc de non faciendis simulacris sine dubio pars est aut interpretatio præcepti primi. Illud vero, quod nos nonum & decimum esse statuimus, unum quidem esse videtur, si tantum rerum christianarum habeatur ratio, sed apud Judæos aliud erat delictum, fundum proximi sui concupiscere, & aliud, res ejus mobiles desiderare. Hinc & utrumque Judæis singulari præcepto prohibebatur. Et quoniam

tunc

tunc erant diversa præcepta, nos hunc m
dum dividendi & numerandi retinemu
idque, quod in iis ad forum simul spect
re videtur, de sola interna moralitate i
telligimus.

§. XXIV.

Non abrogata.

Lex itaque moralis ad homines, utt
les, pertinet. (§. 23.) Cumque summ
illius sit, diligere Deum & proximum
(§. 23. num. 4.) quod actionum genus i
natura Dei, in naturali dependentia hom
num ab eo, & relatione ad se invicem si
am habet rationem, Christus etiam dica
se non venisse ad solvendum legem, Matth
V. 17. quod de ceremoniali & forensi leg
Judæorum intelligere haud potuit, (§. 21
22.) & denique in novo testamento pra
cepta legis moralis renoventur & incul
centur, facile patet, *legem moralem nun
quam esse abrogatam.* Ergo ea

1. *Est declaratio, quid Deus a quocunq
homine quovis tempore fieri aut non fieri velit*

2. Et quoniam leges positivas tulit, u
hominibus facilius, plenius, & certius con
staret, quid illis faciendum vel omitten
dum esset, quam ex lege naturali constar
poterat, (§. 19.) *hæc quoque lex moralis præ
cipue norma actionum liberarum esse debet.*

Evangelium, quod docet, fide & non operi
bu

ribus legis justificari hominem, minime sustulit legem, sed, teste Paulo, eam potius confirmavit & stabilivit. Rom. III. 31. Dum enim monstrat vicariam legis adimpletionem, fide apprehendendam, qua deficiente nemo salvari posset, simul ostendit, hanc legem prorsus invariabilem & adeo necessariam esse, ut ab obligatione, eam servandi, hominem liberare nequeat. Et quamvis homo eam perfecte adimplere non possit, ideoque aliena justitia justificari debeat, manet tamen voluntas Dei immutabilis, ut homo eam servet, quantum possit.

§. XXV.

Nec novis legibus aucta.

Quum Deus legem moralem Israelitis tradebat, eamque in perpetuam rei memoriam tabulis lapideis inscribebat, sine dubio eos omnia docere volebat, quæ ipsis, ut hominibus, facienda essent, & fugienda, & ab omni probabilitate alienum est, ab hoc tempore usque ad adventum Christi nonnulla præceptorum divinorum ignorata esse a populo Dei. Accedit, summam de lege Dei perfectionem prædicari, Ps. XIX. 8. Deum serio vetuisse, quicquam legi suæ addi, Deut. IV. 2. XII. 32. Christum ipsum, quoties de operibus legis quæstio erat, homines ad legem mosaicam rejeciisse, Matth. XIX. 17. 18. 19. Luc. X.

26. seqq. & Joannem testari legem p
Mosen datam esse, per Christum aute
gratiam ac veritatem nobis obtigisse.
I. 17. *Quare decalogus novis legibus a Chr
auctus non est.*

§. XXVI.

Quid de lege evangelica sentiendum?

Evangelium autem cum prædican
quod proprie est annunciatio operis re
emtionis, & voluntatis divinæ, homi
per Christum salvandi, non tantum d
cuit, se adesse, & jam legem ceremon
lem finem suum consecutum esse, s
etiam simul media illa revelavit, quib
justificari, cum Deo uniri, & in fide co
firmari possimus. Cum ergo lex pra
piat, ut quisque proximum suum dilig
sicut se ipsum, (§. 23. num. 4.) quo ipso
lectio sui ipsius & usus omnium med
rum, suam ipsius felicitatem promoven
inculcatur, (§. 17.) novæ hinc formari p
sunt conclusiones, quæ significant, esse v
luntatem Dei, ut agamus vel non agam
quod Evangelium bonum vel malum e
monstrat. Hujus generis propositio
veræ sunt leges. (§. 15.) Ergo nova dat
lex, quæ EVANGELICA dici potest. Qua
ut recte animo concipiamus, tenendu
est,

1. *Legem evangelicam esse legem moral
applicatam ad objectum Evangelii*, h. e. no
ma

mam agendi, quæ ratiocinando colligitur simul ex lege & evangelio;

2. *Legem evangelicam proprie non esse doctrinam evangelii*, quæ non præceptis, sed promissionibus bonorumque spiritualium oblationibus continetur, *sed doctrinam legis, quæ vero sine evangelio non innotesceret*;

3. *Hinc & Christum tradendo legem illam non evangelium sed legem prædicasse*;

4. *Minime vero propterea novas leges tulisse*, sed tantum nova objecta revelasse, ad quæ lex vetus applicari possit & debeat;

5. *Præcipuam quidem imo rectius unicam hujus generis legem esse: Crede in Jesum Nazarenum, tanquam Redemtorem mundi in carne jam exhibitum;* sed plures specialiores in eadem contineri, veluti, *noli gratiæ Sp. S. resistere, utere sacramentis novi fœderis, &c.*

EVANGELIVM proprie non est lex, plerumque tamen cum doctrina legis conjungi solet. Quando scriptura mentionem facit LEGIS FIDEI aut SPIRITVS, Rom. III. 27. VIII. 2. non semper intelligenda est lex evangelica secundum definitionem a nobis traditam, sed quandoque Evangelium ipsum. LEX enim, quod vocabulum multiplicem habet significatum, sæpe ponitur pro qualicunque doctrina, & in specie pro doctrina Evangelii, ut Rom. VIII. 2.

Gal. II. 19. Existimo tamen, LEGEM DEI & LIBERTATIS quandoque ipsam l gem evangelicam, uti a nobis definitur, gnificare. Huc pertinere credo Rom. I 27. Jac. I. 25. Atque hæc lex, non d bito, quin jam in Vet. Test. extiter Longe vero clarius & plenius manifest est in Nov. Test. Præsente enim Chri abolebatur lex ceremonialis, persona M siæ determinabatur, nova sigilla fœderis media gratiæ instituebantur, &c. Hi & novæ legis applicationes ad objecta angelii formandæ erant.

§. XXVII.

Interpretatio legis.

Multa in sacris literis præcipiuntur prohibentur, de quibus in decalogo, si w ba spectes, immediate non agitur. Nihi tamen minus ille sufficientissima est act num norma, nec unquam novis legib aucta. (§. 25.) Ergo leges istæ, quæ in D calogo extare non videntur, sunt tantu interpretationes ejus ac specialiores app cationes. Cujus rei exempla evidentis ma legimus Matth. V. 21. seqq. Quem modum autem per harum legum col ctionem & justam dispositionem sensus d calogi clarius exprimitur, ita forte & plura alia objecta extendi & applicari p est. *Hinc patet, opus esse interpretatione gis.* Et ne hoc in negotio sinistre proc datur,

I. A

1. *Ante omnia investigandus est verus significatus vocum legis tum interpretandæ tum interpretantis;*

2. Cumque Deus sua lege non abstrusa fidei mysteria proponere, sed actiones hominum determinare voluerit, idque ideo, ut voluntatem ejus facilius & certius cognoscerent ex ea, quam ex naturali lege cognoscere possunt, (§. 19.) & propter hanc causam magna claritas legi divinæ inesse debet, *retinendus est proprius, naturalis, & facillimus vocum significatus.*

3. *Inprimis autem ratio haberi debet interpretationis authenticæ*, h. e. legum singularium, quæ aliquod decalogi præceptum interpretantur, licet non semper constet, quodnam præceptum determinate respiciant. Ipsæ enim singulares illæ leges immediate audiendæ sunt, & cum ab eodem auctore proficiscantur, ejusdem sunt auctoritatis & valoris, cujus sunt præcepta decalogi.

4. *Præceptum, quod de aliquo actionum genere agit, omnes illius species comprehendit, & ad omnia harum specierum individua applicari debet.*

5. *Præceptum, quo quid jubetur, simul prohibet contrarium, & quo quid prohibetur, simul præcipit contrarium.*

6. *Si quod datur præceptum, cujus interp* rit
tatio aut extensio est dubia, attendatur ratio in
præcepto generaliori; quod de hoc actionum g ma
nere disponit, contenta, & ex ea verus sens
determinetur. me

7. *Cæterum communes adhibeantur inte* lic
pretandi regulæ, quæ ex dicendi genere, occ
sione, intentione & fine loquentis sensum en tu
jubent. qu

Præceptum generale, cujus specialiora De
ipse recensuit, latius & ad alios casus si
gulares non videtur extendendum esse, pr
sertim si ratio legis a priori non consta
Divinæ approbationes aut improbation
alicujus facti etiam interpretationis lo
habendæ sunt. Si qua actionum speci
commendatur vel prohibetur, & reliqu
rum eadem est ratio, norma generali
formari potest, quæ aliquod decalogi pr
ceptum interpretatur.

§. XXVIII.

Relatio legis positivæ ad naturalem.

Præcipuum legis naturæ principium est: Fac ea, quæ gloriam Dei illustrant, tu amque ipsius perfectionem promovent (§. 17. num. 1.) Summa vero legis positivæ moralis: Dilige Deum ex toto corde & proximum tuum, sicut te ipsum. (§. 23 num. 4.) Quare cum lex naturæ contrariis legibus positivis abrogari non potue rit

rit, (§. 18.) sed hæ potius promulgatæ sint in clariorem & pleniorem legis naturalis manifestationem, (§. 19.) sequitur,

1. *Legem de amore Dei & proximi genuina media gloriam Dei illustrandi, & propriam felicitatem promovendi, monstrare;*

2. *Leges istas, quæ decalogum interpretantur simul esse legis naturalis interpretationes, quamvis illarum ratio a priori reddi non possit;*

3. *Si qua lex naturæ ex certis principiis demonstrari potest, quæ nec in decalogo nec alibi in scriptura disertis verbis expressa legitur, eam implicite contineri in decalogo;*

4. *Legem igitur scriptam, quæ tali legi naturæ contradicere videretur, ita limitandam & interpretandam esse, ut apparens illa contradictio tollatur;*

5. *Hinc & scrutinium legum naturalium ipsis Christianis diligenter commendandum esse.*

Quando gentilibus neglectus veri cultus Dei aliarumque virtutum, quas ratio eos docere potuisset, exprobratur, Rom. I. 21. seqq. & ipsi sine lege scripta judicandi dicuntur, Rom. II. 12. scrutinium & diligens meditatio legum naturalium omnino necessaria est. Cæterum licet lex positiva justa interpretatione merito limitetur, si lex naturæ clare demonstrata non limitatæ contradiceret, minime tamen

limitanda est, si quid prohibeat, quod s
cundum jus naturæ licere videretur. Na
hoc casu lex positiva nostram infirmitate
juvat, & legem naturæ, quæ occulta era
e tenebris quasi producit.

§. XXIX.

Leges civiles sunt divinæ.

Leges civiles ipsis legibus divinis ap
probantur & confirmantur. Deus enim
Respublicas, quæ legibus civilibus caret
nequeunt, non tantum propter necessi
tatem & insignem utilitatem approba
suaque providentia regit & conserva
Dan. IV. 29. Jo. XIX. 11. sed etiam al
quando ipse instituit immediate. Ad ha
dantur leges, quibus homines jubentu
obedientiam præstare magistratibus, adje
cta ratione, quod ipsi a Deo constituti e
sent. Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 1. seq
1. Pet. II. 13. 14. Quodcunque autem le
gum genus a Deo ipso approbatur & fir
matur, illud hoc ipso in legem divinam
abit. *Ergo leges civiles vere sunt divinæ.*
Quia vero Deus nihil approbare potest
quod ipsius voluntati repugnat, & fieri
potest, ut hujus generis leges ab impio
magistratu ferantur, *id tantum de legibus ci
vilibus valet, quibus nulla lex Dei violatur.*
Act. IV, 19.

CA

CAPVT III.

DE OBLIGATIONE CHRISTIANORVM AD SERVANDAM LEGEM.

§. XXX.

Christiani quinam sint?

Qui ab initio discipuli Christi dicebantur, primum Antiochiæ appellati sunt CHRISTIANI. Act. XI. 26. Discipulorum autem Christi quænam sit forma & qualitas, tum ex exemplis, tum ex præceptis, in sacra scriptura obviis, satis constat. Ad duo tamen potiora requisita ipse Salvator noster reliqua omnia revocat, quum dicit, discipulos sibi faciendos esse omnes gentes, & baptizando & docendo, Matth. XXVIII. 19.20. Baptizari sine dubio jubentur, ut fidem in sacro-sanctam Trinitatem coram mundo publice profiterentur; Matth. XXVIII. 19. coll. 1. Cor. I. 13.14.15. Doceri autem, ut omnia servarent, quæ Christus præcepisset, & quorum præcipuum est fides in eum. Matth. XXVIII. 20. Marc. XVI. 16. Jo. VI. 40. Act. XVI. 30. *Ergo Christianus est, qui doctrinam Christi externe profitetur, & interne in eum credit.* Hinc & Paulus totam Christianorum religionem professione & fide contineri ait. Rom. X. 9. 10. Manifestum autem est,

1. Cum

1. Cum externa professio sine inter
fide, & fides sine professione esse poss
triplex dari Christianorum genus, primum
rum, qui doctrinam profitentur, & non
dunt, secundum eorum, qui credunt, &
profitentur, tertium eorum, qui profitentu
credunt simul. Primi generis Christiani
tum NOMINE tales sunt, secundi RE
les, tertii NOMINE ET RE tales simul.

2. Baptismus in se quidem est efficac
simum gratiæ medium, simul tamen so
mnis ritus, quo quis se doctrinam Chri
approbare & amplecti profitetur. Cu
ergo externa professio Christianum, salte
nomine talem, constituat, de interna a
tem cordis qualitate & dispositione nem
certo judicare possit, sequitur, *omnes b*
ptizatos pro Christianis habendos esse.

3. Quia tamen duo sunt requisita ve
Christiani, professio & fides, *verum quoq*
Christianum non tantum baptizatum esse,
etiam in Christum credere oportet.

Qui in Christum credit, non negliget,
coram mundo fidem suam profiteri. Qu
vero edendæ confessionis deesse potest o
casio, aut baptismi applicatio qualicunq
causa interdum impeditur, fieri potest,
quis re ipsa sit Christianus, licet nomi
talis non sit. Sane in prima Ecclesia mu
ti inter catechumenos vere credentes
ran

rant, quibus tamen baptismus aut plane non, aut admodum sero, & fere sub exitum vitæ obtigit.

§. XXXI.

Illorum interna qualitas.

Veri Christiani, de quibus solis hoc loco differendum est, in Christum credunt. (§. 30.) Fides autem notitia, assensu & fiducia constat. Ergo

1. *Veri Christiani norunt ea omnia, quæ ad salutem creditu sunt necessaria, h. e. legem & evangelium;*

2. *Illis ex toto corde assentiuntur;*

3. *Et meritum Christi divinasque promissiones Evangelii fiducialiter apprehendunt, sibique applicant.*

§. XXXII.

Et externa relatio.

Quo facto per Dei gratiam justificantur. Rom. III. 24. 25. IV. 5. 6. 7. 8. Ergo

1. *Illis imputatur tum satisfactio tum justitia Christi;*

2. *Propter satisfactionem Christi sibi imputatam peccatorum remissionem consequuntur, & propter justitiam ejus secum communicatam pro justis declarantur.*

3. *Ideoque a pœnis absolvuntur, & filii Dei nec non hæredes æternæ vitæ constituuntur.*

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Dei voluntas, ut legem servemus.

Cuncta hæc beneficia hominibus co tingunt sola fide, sine operibus legis, Ro III. 20. 22. 28. IV. 6. ideoque bona op non sunt facienda, ut æternam vitam co sequamur. Eph. II. 8. 9. Marc. XVI. Nihilo tamen minus hæc est perpetua immutabilis Dei voluntas, ut legem e servemus. Nam

1. Lege sua declaravit, quid bonu sit, & quid malum, (§. 15.) quod, cu lex ceremonialis & forensis abrogata (§ 21. 22.) præcipue de lege naturali positiva morali, nunquam abrogata, int ligi debet. (§. 18. 24.) Si ergo nollet, parum curaret, ut lex ista servaretur, i in actionem malam consentiret, & b nam nolle posset. Sed hoc ipsum infi tam ejus sanctitatem penitus everter Ergo non potest non velle, ut Christia legem suam servent.

2. Summa legis naturalis est: Illustr tur gloria divina, & promoveatur prop cujusvis felicitas; (§. 17.) Positivæ ve moralis: Dilige Deum ex toto corde, proximum tuum sicut te ipsum. (§. 2 Quodsi ergo Deus harum legum tran gressionem Christianis permitteret, nec se non foret, ut suæ gloriæ manifestati nem ac creaturarum felicitatem vellet, i

etia

etiam perinde foret, sive ipse & proximus a nobis diligatur, sive non diligatur. At vero id & sanctitati & fini ejus ultimo prorsus repugnat. Ergo nullo non tempore vult, ut hisce legibus satisfiat.

3. Inprimis vero id a Christianis fieri vult, quos regeneratione ad facienda bona opera præparavit, Eph. II. 10. & quibus fidem impertitus est, quæ per charitatem se exserit, Gal. V. 6. & quæ sine operibus mortua foret. Jac. II. 17. 26.

4. Hinc & Christus & Apostoli ejus leges divinas toties repetierunt, studium bonorum operum diligenter inculcarunt, & testati sunt, esse Dei voluntatem, ut sanctimoniæ vitæ studeamus. 1. Thess. IV. 3.

Vicaria legis adimpletio non ideo facta est, ut ea nihil amplius ad nos pertineret, sed ideo, ut perfecta extaret justitia, cujus intuitu justificari possemus, & quæ nostris operibus comparari non poterat. Ergo quamvis Dei voluntas non sit, ut legem servemus ad impetrandam seu promerendam justificationem, vult tamen, ut alio fine illi obedientiam præstemus. Hujus voluntatis immutabilitatem ipso merito Christi activo satis demonstravit. Nam si possibile foret, ut hanc voluntatem unquam abjiceret, non opus fuisset, ut Christus

ſtus legi ſubjiceretur, nobisque ejus juſ
tia imputaretur.

§. XXXIV.

Motiva ſervandi legem, quæ habent Chriſtiani.

Quemadmodum autem Deus vult, ut legem ejus ſervemus, ita & multa graviſſimaque præſto ſunt motiva, quibus homo chriſtianus moveri poteſt, ut ſtudium ſervandæ legis divinæ ſibi habeat commendatiſſimum. Intelligimus namque per MOTIVA quascunque cauſas & rationes, quæ docent, actionem eſſe bonam, ideoque appetendam, aut malam, ideoque avertendam. Priori caſu motiva volendi, poſteriori motiva nolendi appellantur. Hujus generis ratio

1. *Eſt ipſa voluntas DEi*, quam, Chriſtiani ſciunt, eſſe optimam perfectiſſimamque, & hinc non niſi verum bonum velle & non niſi verum malum nolle. Rom. XII. 2. Quantum huic motivo ineſſe pondus, ſi homini regenito proponeretur, cum non ignoraret Paulus, ſola voluntatis divinæ commemoratione fideles ad interceſſiones pro omnibus hominibus hortabatur. 1. Tim. II. 3.

2. *Ingens Dei beneficium, in opere juſtificationis collatum, alterum eſt motivum, faciendi ea, quæ lex præcipit, & fugiendi, quæ prohibet.* Quæcunque enim actio illi grata & acce-

accepta est, qui nos summis maximisque beneficiis ornavit, illam fideles bonam, præclaram, appetendam esse recte judicant. Atqui norunt, ita comparatas esse actiones omnes, quæ lege præcipiuntur. Ergo graviſſimam rationem inde petunt, Deum hoc genere actionum colendi. Quare etiam Paulus magnam illam misericordiam, in justificatione peccatoris manifestatam, intueri jubet fideles, ut hac contemplatione ad sanctimoniam vitæ excitentur. Rom. XII. 1.

3. *Accedit alia ratio, quæ est manifestatio sanctitatis & præstantiæ christianæ religionis per opera legis.* Quam sicuti Christiani, divinitatem & efficaciam hujus religionis in se ipsis experti, bonam, Deo acceptam, & regno Christi proficuam esse norunt, ita & vitæ sanctitate promoveri, omnesque contrarias obtrectationes & criminationes refutari, optime sciunt. Matth. V. 16. 1. Pet. II. 12.

4. *Sic & exemplum Christi illis nova & efficaciſſima ratio est, servandi legem divinam.* Norunt, se vocatos esse, ut similes fierent imagini Filii Dei. Rom. VIII. 29. Vident, Christum Patrem suum honorasse, nec ullius transgressionis legis argui potuisse. Jo. VIII. 46. 49. Hoc igitur exemplo, cujus imitatione feliciſſimam illam conformitatem se consequi sciunt, excitantur ad studium,

dium, legi divinæ parendi. Cujus virt
tem cum non ignoraret Christus, sola
exempli commendatione discipulos ad h
militatem & fraternum amorem comm
vebat. Jo. XIII. 15.

5. *Bonorum operum studio fidei & unio
suæ cum Deo certiores redduntur.* Cum eni
bona opera sint fructus fidei, Gal. V.
& qui ea faciunt, Spiritum sanctum in
habeant inhabitantem, Rom. VIII.
14. 15. ex his signis colligunt Christia
se credere in Christum, & habere pecc
torum remissionem. Hinc & Apostol
hortatur fideles, ut exercitio in bonis op
ribus suam vocationem & electionem f
mam redderent. 2. Pet. I. 5-10. Quem
admodum autem certitudo ista, nos De
reconciliatos, & ipsius gratiæ particip
esse, ingens bonum est, ita & nova ind
ratio petitur, legem Dei servandi.

6. *Eodem studio bona & tranquilla consci
tia, quam homo non potest non desiderare
magni facere, conservatur.* Act. XXIV.
1. Tim. I. 18. 19.

7. *Constantia & perseverantia in fide n
minus est gravissima ratio, actiones suas ad
gem divinam componendi.* Quemadmodu
enim, qui fidem suam rursus perdit, in
gentibus malis ac periculis involvitur
Ezech. XVIII. 24. Ebr. VI. 4. 5. 6. ita perse
verantia in eadem magnum est lucrum

Qua

Quæ quidem constantia licet non sit effectus bonorum operum, illa tamen si negligerentur, fideles statu gratiæ excidererent, suamque fidem amitterent. Unde hac consideratione Christiani non leviter moveri possunt, ut sibi a transgressione legis divinæ caveant.

8. *Denique & præmiis ornantur illi, qui in servanda lege suum studium collocarunt.* 1. Tim. IV. 8. Matth. X. 42. Jo. V. 29. Eccl. XII. 13. 14.

MOTIVVM & bonum vel malum ipsum, & boni vel mali repræsentatio dici solet. Bonum vero vel malum ipsum sicuti id esse vulgo putatur, quod per consectaria sua statum nostrum perfectiorem vel imperfectiorem reddit, ita nonnulli arbitrati sunt, nulla adesse motiva, legem Dei servandi, nisi ex hoc studio aliquid utilitatis in nos redundaret. Cum ergo nos doceamus, a studio pietatis & bonorum operum neque justificationem neque æternam salutem dependere, concludunt, secundum nostra principia nulla dari posse motiva, quibus ad pie & sancte vivendum impelleremur. At enim vero

1. Id, quod statum nostrum perficit, est tantum *aliqua boni species.* Nam *in genere* bonum illud dici debet, quod cum ultimo rerum omnium fine consentit. Et

quia hanc illuſtrationem gloriæ divinæ e
novimus, bonum in genere appellari qu
que poteſt, quod gloriam Dei illuſtr
Quænam hunc effectum habeat actio, n
bis quidem non ſemper a priori certo co
ſtat. Quandoque enim impoſſibile eſt,
relationem actionis ad finem Dei ultimu
perſpiciamus. Cum vero Deum nihil v
le ſciamus, niſi quod ad hunc finem te
dat, certi eſſe poſſumus, gloriam Dei il
ſtrare & hinc bonum eſſe, quod ipſe vu
& quod non vult, malum. Num qu
autem Deo placeat, an vero diſplice
non tantum ex præceptis & interdictis,
etiam ex aliis ratio.ibus non raro patet.

2. Fateor, hominem, qualis nunc p
naturam eſt, nullo bonorum genere m
veri poſſe, niſi eo tantum, quo ſuam ip
us felicitatem, ſive veram ſive imagin
riam, directe promoveri intelligit. S
hic ſtatus corruptionis ejus indicium e
manifeſtiſſimum. Jam enim de actionu
qualitate & moralitate non judicat ex fi
ultimo, quem ante oculos habere debet
ſed ex fine ſecundario, & ne hunc quide
ſemper ſatis perſpectum habet. Aſt ſi h
mo per Dei gratiam regenitus, & ſtatu
priſtinus perfectionis aliqua ex parte reſt
tutus eſt, bona & mala non metitur ex p
pria utilitate, ſed ex relatione ad finem
Dei ultimum, ſeu ejus voluntatem. Hi

& ille motiva sequi potest, quæ non immediatam quandam utilitatem, sed qualecunque aliud bonum verum monstrant.

3. Verum est etiam hoc, hominem gratia Dei emendatum nihil velle posse, quod suæ felicitati contrarium esse putat. Hinc & motiva illa, de quibus diximus, minime eum flecterent, si persuasus foret, nocere sibi actiones istas, quas decernendi haberet motiva ex fine Dei ultimo aut voluntate ejus petita. Sed novit & semper supponit homo spiritualis, sibi quoque in specie bona esse, quæ fini Dei aut voluntati ejus responderent. Et quamvis non perspiciat, quænam illa sit utilitas, quam inde capturus sit, minime tamen dubitat, actionem hanc sibi proficuam esse & salutarem. Interim non tam ex opinione utilitatis expectandæ aut spe lucri bonum operatur, quam ex consideratione voluntatis divinæ, illustrationis gloriæ Dei, aut alicujus utilitatis in regnum ejus redundantis. Hinc & Christiani opera sponte & cum alacritate animi facere possunt, quæ sibi utilia fore non vident, quamquam nec sibi noxia fore certi sint.

4. Quia tamen Deus infirmitates nostras optime novit, ac probe intelligit, naturam humanam, quæ regeneratione non expellitur, nulla re fortius moveri, quam perspecta propria utilitate, ipse cum bonis

actionibus varias utilitates immedi
connexuit, idque hominem ignorare
luit. Istæ utilitates tum spirituales
physicæ sunt, & hæ posteriores tam p
sentis, quam futuri seculi. Nam & in
vita bonas actiones præmiis ornat,
majori hominum felicitati noceat, &
futura gradus cælestis gloriæ juxta me
ram operum distribuet.

5. Minime autem vult, ut homo
opinione justificationis & salutis impet
dæ bona opera faciat. Opus enim, q
ex hoc motivo proficiscitur, & justiti
ac sanctitatem Dei, & meritum Chr
obscurat, & ipsum hominem impedit,
minus vera fide remissionem peccato
& æternam vitam quærere possit, cum
men illa sit unicum medium, bona
consequendi. Quapropter cum opus
hac ratione peractum multis respect
malum sit, Deo placere non potest.

§. XXXV.

Obligatio, quid?

Connexio motivorum cum actio
superiore quodam facta dicitur OBLIGA
ACTIVA; PASSIVA vero est status, in q
quis habet motiva cum actione sua a
periore connexa. Quare cum ista con
xio motivorum cum actione omni uti
tate careret, nisi adessent, qui hanc co
nex

nexionem perspicere possent, ad eam vero intelligendam requiratur ratio,

1. *Deus tantum creaturas ratione præditas, quales sunt homines, obligare potuit & voluit*;

2. Et quoniam Dei est voluntas, ut connexionem motivorum cum actionibus, si qua datur, cognoscamus, hæc autem Dei voluntas simul est ratio, id agendi, quod vult, sequitur, *homines obligari, ad quamcunque obligationem suam recte intelligendam*;

3. Cumque ex motivorum qualitate & quantitate constet ipsius obligationis qualitas & quantitas, *tanto majorem oportet esse obligationem, quanto plura & graviora adsunt motiva*;

4. *Sic & quo major est potentia, & quo propior ac frequentior occasio, motiva intelligendi, & quo aptior dispositio, motiva cognita sequendi, eo fortior est obligatio*;

5. *Quamcunque vero actionem edendi aut fugiendi nulla Deus motiva nobis monstravit, ad eam edendam vel fugiendam nulla quoque datur obligatio.*

Obligatio in genere dici solet connexio motivorum cum actione. Neque ego hanc definitionem prorsus improbo. Quia vero in tota hac disciplina de obligatione a Deo homini imposita sermo est, placuit de-

terminationem connexionis motivo
a ſuperiore factæ addere. Interna ca
citas motiva cum actione connexa per
ciendi hominem jam ſubjicit obligatio
licet actualis ejus cognitio non acced
Cæterum iſta motivorum connexione cu
actione hominis voluntas determinatur
reſtringitur ad aliquod actionum genus,
non poſſit æque velle contrarium. Hi
& obligatio paſſiva dici poſſet *neceſſi
moralis aliquid agendi vel omittendi.*

§. XXXVI.

Chriſtianorum obligatio ad ſervandam legem.

Lex naturalis & poſitiva moralis eſt d
claratio voluntatis divinæ, quid nobis
agendum & omittendum. (§. 17. 23.)
quoniam neutra eſt abrogata, (§. 18. 24
Deus adhuc vult, ut utraque lex ab hom
nibus ſervetur. Hæc ipſa vero Dei volu
tas jam eſt graviſſimum motivum, cu
actionibus lege præceptis vel prohibiti
connexum, (§. 34. num. 1.) quibus tame
Deus plura alia arbitraria adjecit. Exod
XX. 5. 6. Lev. XVIII. 5. Deut. XXVII. 26
Jeſ. I. 19. 20. Jer. III. 12. ſeqq. Gal. V. 21
1. Pet. III. 10-13. &c. Inprimis auten
Chriſtianis longe præſtantiſſima motiva
ſuppeditata ſunt, actiones ſuas ad legem
Dei componendi. (§. 34.) Quare cum hæc
omnia Deus in verbo ſuo perſpicue reve-

lave-

laverit, & homini rationem ac intellectum dederit, ea cognoscendi, *dubium non est, quin Christiani obligati sint ad servandam legem, tum naturalem, tum positivam divinam.* (§. 35.) Hanc obligationem Deus illis in animum revocat, quotiescunque eorum actiones præcipiendo & prohibendo determinat. Sciendum enim est,

1. *Solam voluntatis divinæ declarationem jam esse fortissimam obligationem.* (§. 34. 35.) Unde etiam Deus quandoque hoc solo motivo utitur, se esse DEum, qui hæc vel illa præciperet. Lev. XVIII. 4. Et Act. XVII. 24-27. ex sola Dei superioritate rerumque omnium dependentia ab eo demonstratur hominum obligatio, eum colendi.

2. *Augetur tamen ista obligatio, si Deus, præter suam voluntatem, alia adjecerit motiva,* (§. 35. num. 3.) qualia in regno naturæ & gratiæ bene multa occurrunt.

3. Inprimis autem cum Christiani multa habeant motiva, quæ non cadunt in irregenitos, (§. 34.) & illis quoque novæ vires concessæ sint, quæ homini naturali desunt, (§. 31.) *veri Christiani majorem habent obligationem, legem Dei servandi, quam alii homines.* (§. 35. num. 3. 4.)

4. Quemadmodum ergo quisque obligatur ad obligationem suam diligenter scrutandam & recte cognoscendam, (§. 35.

num. 2.) *ita & Christiani summa cura dan di sunt, quænam singularia habeant moti hanc vel illam actionem peragendi.*

5. Cæterum hæc obligatio sese non te tum extendit ad leges Dei immediat sed etiam cum leges civiles a Deo appr batæ, & hinc factæ sint divinæ, (§. 29 *divinam quoque habent obligationem, hisce gibus magistratus politici parendi.* Rom. XI 1. seqq. 1. Pet. II. 13.

§. XXXVII.

Num vota obligent?

Nulla quidem datur actio libera, qu nec bona nec mala foret; (§. 10.) quia t men pleræque per accessorias & variab les circumstantias determinantur, sic u ejusdem generis una actio sit bona, & a tera mala, (§. 10. Sch.) & num istæ circum stantiæ adsint, quæ actionem bonam ve malam reddunt, non semper constat, ne que de actionibus istis lex positiva extat multæ videntur esse indifferentes, h. e. nec præceptæ nec prohibitæ. Hinc moveri posset quæstio DE VOTIS, num dentur, & num obligationem inferant? VOTVM est spontanea operis alicujus, quod nec præceptum, nec prohibitum est, promissio Deo data. Voveri itaque non potest, nisi dentur actiones plane indifferentes. Et obligatio ad eas ex voto nasceretur, si

Deus

Deus promissionem acceptaverit. Nam si Deus promissum nostrum nec approbaverit, nec acceptaverit, non video, quodnam motivum, ab ipso Deo cum actione connexum, voto contentum sit, eam suscipiendi. Jam vero

1. Nullæ dantur actiones indifferentes, licet nonnullæ tales esse videantur. *Ergo nec vota a Christianis emitti possunt, vere & proprie talia.*

2. Actio, ad quam datnr obligatio, ita comparata esse debet, ut eam peragendi motiva Deus alicubi nobis monstraverit. (§. 35. num. 5.) Ubi vero motiva a Deo ipso subministrantur, aliquid agendi, ibi quoque extat declaratio voluntatis divinæ de actione illa edenda, h. e. lex. (§. 15.) Sed actiones, quæ voventur, neque præceptæ neque prohibitæ sunt. Nec Deus ullibi declaravit, ut actio, quæ in se est indifferens, suscipiatur, si accesserit votum. *Ergo a voto ipso, ut tali, nulla dependet obligatio.*

3. Si tamen actioni nihil mali inesse videtur, & hinc forte bona esse potest, quo casu & promissionem illius ab homine Deus acceptavit & approbavit, merito statuimus, *voto inesse vim obligandi ad præstandum id, quod nos præstituros esse promisimus.*

4. Sed si postmodum apparuerit, opus

aut factu impossibile esse, aut nobis no
um, aut aliis incommodis laborare, nu
præsumi potest divina voti acceptatio,
eoque tunc omnis ejus obligatio cadit.

In significatu latiori VOTVM est omne p
missum rei etiam præceptæ, & sine v
præstandæ, quale promissum Deo red
tur in baptismo, & quotidie renovand
est. De hujus generis voto ejusque mor
tate & obligatione jam non disputat
Atque huc pertinere videtur locus Ps.
14. CXIX. 106. Proprie tamen prom
sum rei nec præceptæ nec prohibitæ
tum dici solet. Hoc modo in Vet. Te
Israelitæ vovere poterant actiones, ad
tum externum & ceremonialem pertin
tes, cujus non omnia lege ceremoniali
terminata, sed nonnulla libero homin
arbitrio relicta erant. Hinc & singu
res de votorum istorum obligatione ex
bant leges. Num. XXX. 3. seqq. De
XXIII. 21. seqq. Et votum illud, qu
Paulus una cum quatuor aliis viris exs
vebat, eo tantum spectabat, ut, qui ge
te essent Judæi, viderent, opera legis c
remonialis sibi adhuc licita esse, modo ab
sit opinio cultus & necessitatis. Talia enim
ad Christianos ex gentilismo convers
non pertinere, simul declarabant Senior
Ecclesiæ hierosolymitanæ. Act. XXI. 2
seqq

seqq. Nobis ergo, votorum existentiam & obligationem in Nov. Test. negantibus, hujus generis præcepta & exempla objici haud possunt. Fatemur tamen, dari actiones, absolute quidem non præceptas, sub certis tamen circumstantiis utiles, & bono fini inservientes. Quas licet hominem & sine voto peragere oporteret, Deo tamen singulari modo non inutiliter voveret. Cum enim sciat, promissum hoc, propter actionis promissæ utilitatem, a Deo acceptari, novam sibi voto imponit obligationem, qua ad præstandum hoc genus actionum fortius impellitur. Sed 1. videat, num actio vere utilis sit, & cultum Dei promoveat, 2. exploret se ipsum, num implendo voto vires adsint sufficientes, 3. omnem adhibeat diligentiam, ut emisso voto satisfiat, 4. nihil in perpetuum statuat de hoc actionum genere. Mutari enim possunt circumstantiæ, quibus simul ipsa facti moralitas mutatur. Si qua vero actio vovetur, quæ aut impossibilis est, aut Deo displicet, & legibus ejus repugnat, aut aliorum officiorum adimpletionem impedit, aut denique opinionem meriti secum connexam habet, tale votum impium & illicitum est, & exsolvi non debet.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Officium, quid?

Actio, ad quam datur obligatio, di tur OFFICIVM. Quare

1. Cum Christiani ad servandam lege tam naturalem quam revelatam obliga tur, (§. 36.) *omnis actio lege præscripta est ficium.*

2. Contra vero nulla datur obligat nisi Deus cum actione motiva connexu rit. (§. 35. num. 5.) Atque ubi id factu fuerit, extat declaratio, quid Deus a n bis fieri vel non fieri velit, & quam lege dicimus. (§. 15.) *Ergo nullum datur officiu nisi sit actio lege determinata.*

3. Lex naturæ & positiva moralis no quidem solos Christianos obligat, sed i mul omnes homines. (§. 36.) Quia tame Christiani singularia habent motiva, qu ignorat homo naturalis, aut quibus u non potest, (§. 34.) & præterea ex Evan gelio multas legis applicationes discun de quibus nihil constat aliis, (§. 26.) *offic commode dispesci possunt in officia hominum & christianorum.* PRIORA sunt, quæ ex sola lege naturali cognoscuntur, & motiva se cum connexa habent, ex naturali de De & hominum ad eum relatione doctrin haurienda; POSTERIORA vero, quæ aut ex motivis Christiano propriis, aut ex appli catio

catione legis ad speciale Evangelii objectum derivantur. Quia vero Christianus nunquam desinit esse homo, *officia Christiani semper connexa manent cum officiis hominis.*

4. Denique cum varii dentur gradus obligationis, (§. 35. num. 3. 4.) *officiorum quoque alterum altero erit gravius.*

§. XXXIX.

COLLISIO OFFICIORVM est contradictio duorum officiorum, quæ simul adimplendi se offert occasio. Quando igitur Officiorum collisio.

1. Deus homines non nisi ad actiones obligat, quæ existere debent, (§. 35.) & omnis existentia supponit rei possibilitatem, in officiorum autem collisione impossibile est, ut utrique satisfiat, *Deus hoc casu hominem non obligat ad utrumque simul adimplendum.*

2. Ut vero constet, quodnam existente collisione negligi possit, ratio habenda est majoris & minoris obligationis. Illud enim sine dubio præferri debet, ad quod major datur obligatio. Sed ubi plura & graviora adsunt motiva, ibi etiam major est obligationis vis. (§. 35. num. 3.) *Ergo præstetur officium, cujus adimplendi majora & fortiora adsunt motiva, alterum vero illi oppositum negligatur.*

3. Ac-

3. Accidit quandoque, ut alterum o
ciorum, quæ sibi invicem sunt contra
differri possit in aliud tempus, & alter
non possit. Quodsi ergo, quod diffe
potest, differatur, utrique satisfieri po
rit, quamvis diverso tempore. Sin ve
aliter procedatur, alterum necessario
gligi debet. Quare cum melius sit,
trumque adimplere, licet successive, qu
unum prorsus negligere, *officium neces*
tis, & dilationis impatiens, præferatur alte

4. Denique cum Deus existente o
ciorum collisione utramque legem serv
nolit, videmus, *unam istarum legum, q*
simul servari nequeunt, limitari per altera
& hoc ipso declarari, quousque se extendat
terius obligatio.

Si forte culpa nostra officiorum collisio e
stat, minime tollitur obligatio ad alter
trum istorum. Hinc ne nobis necessit
imponatur, eam violandi, prævia medi
tione animo volvenda sunt nostra offici
& singulis suum destinandum tempus,
omnis collisio evitetur. In ipsa vero co
lisione nobis inevitabili ut sciamus, ut
nam exceptio facienda sit, singula offici
rum motiva diligenter excutienda sunt
Hac exploratione facta facilius dignosc
poterit, quid magis vel minus utile, ne
cessarium, Deo glorioſum, & regno ejus

pro

proficuum sit. Multum etiam huc facit, si rationem legis & officii perspiciamus. Hinc enim patebit, num & ad hunc casum collisionis lex applicari possit. Ita Christus legem de Sabbatho sanctificando interpretabatur. Marc. II. 27.



§. XL.

Illorum divisio.

Actiones, quæ lege morali præcipiuntur, aut Deum, aut nos ipsos, aut proximum respiciunt (§. 23.) Eadem est ratio legis naturalis, quam Deus lege positiva tantum clarius & plenius exprimere voluit. (§. 19.) Cum igitur omnis actio lege præscripta sit officium, (§. 38.) *officia hominum & christianorum recte dispesci possunt in officia erga Deum, erga nos ipsos, & erga proximum:* Quod etiam Paulus sine dubio indicat, quando nos σωφρόνως, δικαίως, & εὐσεβῶς vivere jubet. Tit. II. 12.

§. XLI.

Bonum opus quid?

Omnis adimpletio determinati cujusdam officii dicitur OPVS BONVM. Cum ergo officium sit actio lege præscripta, nec quicquam aliud officium dici possit, (§. 38.) patet,

1. *Bonum opus esse actionem legi conformem.* Hinc & bona opera opponuntur ἀνομίαις, Tit. II, 14. & qui illis studeant, vitam

tam ſuam ad divinum beneplacitum co
ponere dicuntur. Col. I. 10.

2. Summum principium totius legis
turalis eſt illuſtratio gloriæ divinæ. (§.
*Ergo & omnia bona opera in hunc finem te
re debent.* Matth. V. 16. 1. Pet. II. 12.

3. Quia vero lex poſitiva divina tant
dilectionem Dei & proximi urget, (§.
& hoc duplici amore gloria ſummi Nu
nis illuſtratur, (§. 28. num. 1.) *ulterius
quitur, omne bonum opus dilectione Dei
proximi contineri.* Hinc & ſcriptura tot
cultum Dei amore ejus comprehen
quocum tamen dilectio proximi conju
cta eſſe debeat. 1. Jo. IV. 19. 20. Et a
teſtatur, amorem eſſe legis impletione
Rom. XIII. 10.

4. Similiter cum officium ſit actio,
quam datur obligatio, (§. 38.) hæc aute
in connexione motivorum cum actio
conſiſtat, (§. 35.) & hinc non qualicu
que actione, quæ legi aliquo modo co
formis eſt, officium impleatur, ſed ea du
taxat, quam ipſi ex motivis a Deo ſubmi
niſtratis derivamus, *bonum opus eſſe deb
actio, quam ad legis præſcriptum ex motivis
ipſo Deo cum illa connexis, determinamus.* E
hac cauſa Chriſto vivere debemus, qui
pro nobis mortuus eſt; 2. Cor. V. 15. De
us diligendus eſt, quia ille prius nos dile
xit

xit; 1. Jo. IV. 19. Deo offerenda sunt corpora nostra, tanquam victimæ vivæ, sanctæ, & illi acceptæ, quia magnam misericordiam in justificatione erga nos demonstravit; Rom. XII. 1. proximo condonandæ sunt læsiones nobis illatæ, quia longe graviores nobis condonavit Deus; Matth. XVIII. 32. 33. &c.

5. Sunt certe actiones, quæ nullam habere possent conformitatem cum lege, nisi dilectionem Dei involverent, & animus ad agendum motivis ab ipso Deo commonstratis flecteretur. Sed sunt etiam actiones aliquam habentes conformitatem cum lege, quæ sine amore Dei & proximi, & ex longe aliis motivis fieri possunt. Cum ergo ea tantum actio bonum opus sit, quæ involvit amorem Dei, & motivis nititur, a Deo cum actione connexis, (num. 3. 4.) *non omnis actio statim dici potest bonum opus, quæ aliquam cum lege conformitatem habet.*

CONFORMITAS actionis cum lege est ratio formalis boni operis, quemadmodum difformitas mali. Quemadmodum vero lex tum naturalis, tum positiva divina non non tantum externam operis conformitatem cum lege poscit, sed præcipue internam animi agentis conformitatem, duplex statui potest conformitas actionis cum le-

ge, MATERIALIS & FORMALIS. P
est externa operis, posterior interna a
mi operantis conformitas. Dantur
tem actiones lege præceptæ, quæ in
motu animi consistunt. Ergo illarum
nitas sola formali conformitate conti
tur. Sed lex quandoque etiam exter
actiones præcipit. Quæ si forte haber
conformitatem materialem sine form
non forent bona opera. Nam tale op
si bonum esse debeat, ex duobus essen
libus constat, materiali nimirum & f
mali conformitate. Uno autem essen
lium deficiente deficit res ipsa. Non i
probatur actio, quatenus materialem hab
conformitatem cum lege. Sed quia n
omnia adsunt, quæ bonum opus in e
suo constituunt, nec bonum opus dici po
est. Quodsi ergo quæras, num MALU
dici debeat, facilis est responsio. Nem
pe si per malum opus intelligis illud, quo
plane nihil boni continet, non potest i
appellari. Nam conformitas ista mat
rialis, quæ adesse supponitur, omnino e
aliquid boni. Ergo nec bonum nec ma
lum opus est, sed quasi opus mixtum e
bono & malo. Sin vero per opus malum
intelligis actionem, cui ea deficit confo
mitas, quam adesse oportebat, utique e
malum. Nam licet conformitatem habea
materialem, formalis tamen deest, quæ ad
esse

esse debet, ut opus bonum constituatur. Ex his facile poterit judicari de quæstione, num virtutes gentilium, veluti illorum justitia, castitas, temperantia, &c. dici possint bona opera, an vero peccata?

§. XLII.

Quid ad efficiendum illud requiratur?

Officium est actio, ad quam homo obligatur. (§. 38.) Adimpleri vero nequit, nisi adsint occasio & vires agendi, earumque recta applicatio. Cum ergo bonum opus sit adimpletio officii, (§. 41.) ille, qui bonis operibus studet,

1. *Quælibet officia sua probe perspecta habeat*;

2. *Ad singulas circumstantias diligenter attendat, num qua detur occasio agendi, ad quod agendum obligati sumus*;

3. *Suas quoque vires exploret, & si forte desint, operam det, ut eas acquirat*;

4. *Nec negligat occasionem, vires illas augendi & confortandi*;

5. *Denique motiva perscrutetur, sibique reddat familiaria, quibus animus flecti debet ad facienda opera legis.*

§. XLIII.

Peccatum.

Bono operi opponitur MALVM seu PECCATVM, quod adeo est intermissa adimpletio officii. (§. 41.) Ergo

1. *omne peccatum ſupponit officium;*

2. Et quia officium adimpleri neq nisi adſit occaſio agendi, quæ quando deeſſe poteſt, *defectus alicujus boni op non ſemper arguit peccatum contrarium;*

3. Quemadmodum autem omne b num opus eſt actio legi conformis, (§. 4 *ita peccatum erit legis transgreſſio, ſeu opus difforme.* Unde & a Joanne dicitur ἀνο 1. Jo. III. 4.

§. XLIV.

Illius differentia.

Non parum utilitatis habet, va noſſe peccatorum genera. Hinc tene dum eſt,

1. Cum officia diſpeſcantur in offic erga Deum, nos ipſos, & proximum (§. 38. num. 3.) & peccatum ſit neglect ſeu intermiſſa officii adimpletio, (§. 43 *dari quoque peccata in Deum, nos ipſos, & proximum.* Jeſ. VII. 13. Matth. XVIII. 21 Luc. XVII. 3. 1. Cor. VI. 18.

2. Ex eadem ratione patet, *non minu dari peccatorum gradus, quam officiorum,* (§. 38 num. 4.) *ſic ut unum altero ſit gravius vel le vius.* Luc. X. 13. 14. Jo. XIX. 11.

3. Et quemadmodum bonum opus quandoque ſola cogitatione, & motu cordis, quandoque vero etiam externo membrorum corporis uſu peragitur, (§. 41. num. ſ.

num. 5. & Sch.) peccatum autem illius est oppositum, (§. 43.) *ita & illud dispesci solet in peccatum cordis, oris, & operis.* Matth. XV. 19. 20. V. 22. 28. Gal. V. 19. 20. 21. Eph. IV. 25. seqq.

4. Denique cum omne peccatum sit actio legi contraria, (§. 43.) lex autem aliquid aut præcipit aut prohibet, *peccata quoque sunt vel commissionis vel omissionis.*

Licet omnia peccata in Deum ipsum committantur, quatenus ille est supremus legislator & judex, imo hoc respectu homo in solum Deum peccare dici possit, Ps. LI. 6. tamen cum & ipse peccator & proximus ejus aliquo peccato lædi queat, dantur omnino peccata in nos ipsos & proximum, eaque sola tunc peccata in Deum appellantur, quorum objectum proximum & immediatum est Deus. Æqualitas peccatorum, quæ *certo respectu* asserenda est, non tollit eorum gradus. Quantitas autem peccati determinari potest tum ex gravitate motivorum non peccandi, tum ex magnitudine & præsentia virium, peccata evitandi, tum denique ex multitudine malorum effectuum, qui voluntati divinæ contrarii sunt. Quare cum Christiani plura majoraque habeant motiva non peccandi, quam alii homines, (§. 34.) illisque per fidem fortiores concessæ sint vires, sibi a pecca-

to cavendi, (§. 31.) & eorum peccata jores habeant effectus, Ebr. VI. 4. ſ. Rom. II. 24. illi etiam ſemper gravius p cant. 2. Petr. II. 20. Ebr. VI. 4. ſeq Quemadmodum ſola materialis operis co formitas cum lege bonum opus non ef cit, niſi accedat formalis, (§. 41. Sch ita nec difformitas operis externa ſine i terna mentis foret peccatum. Hinc ſe ore aut opere non peccatur, ſed tantu corde. Cum tamen major cordis impe tus ad peccandum eſſe debeat, ſi per e terna verba vel facta prorumpat, peccat non incommode in peccata cordis, oris, operis diſpeſcuntur.

§. XLV.

Peccata proæretica & infirmitatis.

Inprimis autem notandum eſt diſcri men inter PECCATA PROÆRETICA & IN FIRMITATIS. Prioris generis ea ſunt pecca ta, quæ rationem ſuam ſufficientem in deliberato hominis conſilio habent; po ſterioris autem, quæ ex ſola naturali cor ruptione oriuntur. Rom. I. 32. VII. 15. ſeqq. Qui cum propoſito peccat, opus aliquod malum decernit, vult, & appro bat, ideoque peccata proæretica recte di cuntur VOLVNTARIA; qui vero ex naturali corruptione & infirmitate ſola peccat, ma lum commiſit, antequam illius moralita tem

tem intellexit, & hinc consensus peccantis accessit. Quam ob causam peccata infirmitatis dici solent INVOLVNTARIA. Ut vero utriusque generis peccatorum differentia distinctius exponatur,

1. Notandum est, ignorari posse veram moralitatem peccati, quod deliberato consilio committitur. Multi enim sibi persuadent, se recte agere, in quo tamen non leviter peccant. *Atque hoc respectu peccata proæretica in sacris literis dicuntur opera tenebrarum.* Rom. XIII. 12. Eph. IV. 17. 18. 19. V. 11.

2. Sed non raro accidit, ut homines sciant, opus, quod meditantur, malum esse. Nihilo tamen minus illud peragere decernunt, & destinato consilio peragunt. *Inde oriuntur peccata contra conscientiam, quæ semper sunt peccata proæretica.* Rom. I. 32.

3. Interdum neque prævia deliberatione peccatur, neque contra conscientiam. Facto autem commisso accedit approbatio ejus, & repetendi desiderium. Quæ animi dispositio cum alias sit ratio sufficiens peccati proæretici, *peccatum, quod prius erat infirmitatis, subsequente approbatione converti potest in proæreticum.* Jes. III. 9.

4. Idem peccatum ab uno ex sola infirmitate, ab altero ex destinato consilio committi potest. Sed dantur etiam peccato-

rum genera, quæ animi deliberatio & propositum semper supponunt. Inprimis ea pertinent, quæ committi queunt, nisi expectetur, quæratur, & citetur occasio agendi, aut cogitatio stat, malum esse, quod jam agendi se fert occasio. *Ergo quoddam peccatum in potest esse infirmitatis, in altero proæretico quoddam vero semper & in omnibus est pr reticum.*

5. Peccata infirmitatis ex mera corr ptione naturali proveniunt. Ad hanc co ruptionem vero primum pertinent ten bræ intellectus. Unde si quis peccet mera ignorantia, sic ut non peccasset, facti & moralitatis ejus habuisset scien am, hoc peccatum pro peccato infirmit tis merito habendum est. *Quare etia peccata ignorantiæ sunt aliqua species peccat rum infirmitatis.* Ps. XIX. 13. 1. Cor. IV. 4.

6. Secundo infirmitatis & corruptioni naturalis est, voluntatem ex obscura bon vel mali repræsentatione aliquid appeter vel aversari, antequam objectum distinct cognitum, aut scientia, quam alias de eo habemus, resuscitata fuerit. *Pravæ igitu concupiscentiæ hoc modo ortæ sunt peccata infir mitatis, & dici solent peccata præcipitantiæ* Rom. VII. 18. seqq.

7. Sed si forte tale peccatum commis sum fuerit, & homo postea intelligat, se

pec

peccasse, aut approbabit factum, aut improbabit. Si approbet, peccatum, quod prius fuerat infirmitatis, abit in proæreticum. (num. 3.) *Ut igitur peccatum præcipitantiæ maneat infirmitatis peccatum, sequi debet seria improbatio, contritio, dolor; sibique ab eo imposterum cavendi efficax propositum.*

Existentia concupiscentiæ malæ, quæ ex improviso & sine prævia deliberatione oritur, docet, aliud in homine principium malum adesse, & quoniam motus isti communes sunt omnibus hominibus, hoc quoque principium commune & universale esse oportet. Cum itaque sciamus, peccatum originale per naturalem propagationem omnibus adhærere, Jo. III. 6. dubium non est, quin P. O. principium sit pravarum istarum concupiscentiarum. Rom. VII. 20. Quemadmodum ergo naturalis homo non potest non malum concupiscere, ita, qui ex mera ignorantia aut præcipitantia peccat, & quamprimum errorem suum animadvertit, dolet, detestatur, & deprecatur, non amplius est homo mere naturalis, sed gratia Sp. S. regenitus. Matth. VII. 17. 18. Rom. VIII. 13. 14. 1. Jo. III. 9. Potest tamen & irregenitus peccata infirmitatis committere, quamquam propter deficientem fidem eorum non habeat remissionem.

§. XLVI.

Obligatio ad B. O. & fugienda peccata.

Cum itaque Christiani graviſſima obli
tione teneantur, ſervandi legem Dei, t
naturalem quam poſitivam divinam, (§.
ſequitur, *adeſſe obligationem, tum bona o
faciendi*, (§. 41.) *tum ab omni peccato ſibi
vendi.* (§. 43.) Ergo

1. *Conformitati operis cum lege non tan
materiali, ſed etiam formali ſedulo ſtude
(§. 41. Sch.)*

2. *Peccata & proæretica & infirmitatis
fugienda ſunt*; (§. 45.)

3. Et quoniam hæc poſteriora ration
ſuam habent in naturali hominum con
ptione, (§. 45. Sch.) *eam quoque aut coer
aut extirpare obligantur.*

Impoſſibilitas P. O. in hac vita extirpandi n
tollit obligationem, hoc ſtudium exercen
Quemadmodum autem nulla obligatio con
pi poteſt ſine lege, (§. 35.) atque lex moralis
decalogus præcipua eſt actionum liberar
norma, (§. 24.) quam Deus novis legibus nu
quam auxit, (§. 25.) ita & P. O. ipſo decalo
prohibitum eſſe oportet. Quod licet nonn
lis falſum videatur, ego tamen exiſtimo, pr
ceptum nonum & decimum hanc prohibiti
nem continere. Quodcunque enim præc
ptum quamcunque concupiſcentiam prava
prohibet, illud & radicem, principium, & diſpo
ſitionem, unde illa oritur, improbat, & emen
dari aut evelli jubet. Huc ſine dubio ſpect
grave monitum Pauli Rom. VII. 7.

CAPV

CAPVT IV.

DE CONSCIENTIA.

§. XLVII.

Quemadmodum nemo obligari potest, nisi qui connexionem motivorum actionibus suis perspicere, & hinc intelligere possit, num actio bona sit, an mala, (§. 35.) ita Dei quoque est voluntas, ut quisque de actionum suarum moralitate judicet. Hoc autem judicium de moralitate actionis propriæ dicitur CONSCIENTIA. Ergo Conscientia definitur.

1. *Deus vult, ut in omni homine conscientia sit, & ab eo adhibeatur.*

2. Quia vero conscientia nullius foret utilitatis, nisi, quod bonum & rectum judicamus, simul agendum, & quod malum, fugiendum esset, *adest ratio, & hinc obligatio, conscientiam sequendi.* (§. 35.)

3. Quod ut fieri possit, notandum est, *conscientiam non esse judicium de moralitate actionis qualiscunque, sed determinate illius, quam ipsi individualiter peragimus vel omittimus.*

4. Et quoniam moralitas actionis dependet a conformitate vel difformitate actionis cum lege, (§. 15.) *conscientia & legis, & fa-*

& facti proprii, & hujus ad legem relati notitiam involvit.

5. Hinc est judicium discursivum, ex l & actionis propriæ consideratione formatum.

Scriptura eodem significatu utitur vocab συνείδησις, Act. XXIII. 1. 1. Cor. IV Ebr. XIII. 18. 1. Pet. III. 16. rem ip vero alias quoque appellat COR, Prov 23. Eccl. VII. 23. 1. Jo. III. 21. SPIRIT Prov. XVIII. 14. 1. Cor. II. 11. & qu doque fidem. Rom. XIV. 22. 23. SC LASTICI disputarunt, utrum conscie sit actus, an vero potentia vel habit Si usus loquendi & variarum conscie specierum rationem habeamus, ea est dicium practicum, & hinc actus intellec Quatenus tamen homini connata s principia boni & mali, honesti atque t pis, & quatenus illi inest naturalis pot tia, ex his principiis de moralitate act nis judicandi, conscientia haud inepte ceretur facultas congenita, quæ suam ex caciam non raro etiam sine accedente h minis studio exercet, Rom. II. 13. 14. qu vero eo magis perfici potest & debet, qu fœcundior & facilior est occasio, lege divinam & facti qualitatem cognoscend Unde cum Christiani longe melius scia legem divinam, quam ad actiones suas ap plicare possunt, in iis quoque perfectio est

esse debet conscientia. Cæterum omne judicium discursivum duabus præmissis nititur, quarum altera, si de conscientia sermo est, continet legem, & dicitur συντήρησις, altera vero factum ipsum, & appellatur συνείδησις, quod vocabulum tamen proprie ad conclusionem inde derivatam pertinet. Sumitur namque vocabulum hoc quandoque paulo latius, & quamcunque trium istarum propositionum, argumentationem hanc practicam ingredientium, significat. Inde fit, ut pro diversa acceptione modo REGVLA, modo TESTIS, modo IVDEX appelletur.

§. XLVIII.

Conscientia Antec. Consequ. Recta, Erronea.

Factum, de cujus moralitate judicatur, aut adhuc perpetrandum est, aut jam perpetratum. Inde oritur differentia inter conscientiam ANTECEDENTEM & CONSEQVENTEM. Utraque esse potest vel RECTA, si est judicium verum, vel ERRONEA, si est judicium falsum de moralitate actionis. Quare

1. Cum conscientia sit conclusio, ex duabus præmissis elicita, quarum altera legem, altera factum continet, (§. 47.) *conscientia erronea vel ab ignorantia legis, vel ab ignorantia facti, vel a vitioso argumentandi modo dependet.*

2. Quia

2. Quia vero Deus legem ſuam hom bus tum per naturam tum per ſcriptur revelavit, ut de moralitate actionum rum recte ſtatuere & ſentire diſcant, ſic bonum faciant, malum vero fugi (§. 15.) *opera danda eſt, ut quisque conſ tiam, inprimis antecedentem, habeat rect quam acquiri poteſt diligentiſſimo ſcrutinio gis & facti, & habitu recte ratiocinandi.*

§. XLIX.

Contra conſcientiam non eſt agendum.

Qui conſcientia erronea laborat, eo que ſequitur, id agit, quod bonum e judicat, vere autem bonum non eſt. (§. 4 Cum ergo actio ex conſcientia erronea p fecta legi conformis non ſit, (§. 15.) & om factum legi contrarium peccatum appel tur. (§. 43.) *ille ſine dubio peccat, qui agit ju conſcientiam erroneam.* Gen. XII. 15. ſeq XX. 2. ſeqq. Act. XXVI. 9. ſeqq. 1. Tim. 13. Rom. X. 2. 3. Qui vero contra co ſcientiam agit, ſive ea ſit recta, ſive err nea, id agit, quod ipſe malum eſſe jud cat. (§. 47.) Quale factum cum ſemp ſit peccatum proæreticum, (§. 45.) atqu huic ſine dubio plus pravitatis inſit, quam peccatis infirmitatis, *nunquam agere lic contra conſcientiam.* Luc. XII. 47. Rom. I. 32 XIV. 20. 23.

Peccata ex conſcientia erronea commiſſa va

rios admittunt gradus, tum ex qualitate facti, tum ex majori vel minori difficultate, legem sciendi, determinandos. Et quamquam conscientia erronea factum, quod contra legem est, aliquo modo mitiget vel excuset, bonum tamen illud reddere, aut plene excusare non potest. Cujus rei ratio hæc est, quia lex normam actionum primariam, conscientia vero tantum secundariam & subordinatam exhibet, quæ posterior nullius est valoris, nisi cum priori consentiat. Qui contra conscientiam erroneam agit, ejus factum materialem quidem cum lege conformitatem habere potest. Quia vero deficit formalis conformitas, opus dici non potest bonum. (§. 41.)

§. L.

Conscientia certa & dubia.

Porro conscientia est vel CERTA vel DVBIA. Illa est judicium de moralitate facti proprii, quod omnem formidinem oppositi excludit; Hæc vero judicium, cujus rationes non quidem evidentes, minime tamen contemnendæ adesse animadvertuntur. Cum ergo judicium discursivum, omnem oppositi formidinem excludens, niti debeat & evidentia seu quacunque alia certitudine præmissarum, & legitima ratiocinationis methodo, probe perspecta,

ſpecta, & conſcientia ſit judicium dij
ſivum, ex applicatione legis ad factum
citum, (§. 47.) ſequitur,

1. *Conſcientiam certam ſupponere tum*
& facti, tum legitimi argumentationis
certitudinem ac evidentiam, probe intellect

2. Quia vero *conſcientia erronea* ſem
eſt judicium falſum, (§. 48.) atque nu
error ex certis principiis legitime eruip
eſt, *illa nunquam eſt conſcientia certa*;

3. Quapropter cum, qui conſcientia
ronea laborat, ſemper peccet, ſive e
ſequatur, ſive contra eam agat, (§.
opera danda eſt, ut quisque habeat conſcient
certam.

Conſcientia erronea certæ ſpeciem interd
habere poteſt. Qui enim errat, perſuaſus
men eſſe poteſt, ſe non errare. Et quo ſe
rius homo in hac perſuaſione acquieſc
eo major eſt ἐνέργεια πλάνης. 2. The
II. 11. Hinc ne nos fallat opinio, n
non errare, quam diligentiſſime explora
debet conſcientiæ noſtræ veritas. Qu
ut recte procedat, *primum* attendi deb
LEX, ad cujus normam actionem comp
nendam eſſe putamus, num ſuum habe
fundamentum in natura vel ſcriptura,
num recte a nobis ſit intellecta; *ſecund*
ratio habeatur FACTI, num ſub iis cir
cumſtantiis, quæ adſunt, ad illud actio
nun

num genus pertineat, de quo lex aliquid disponit; & *tertio* investigetur MODVS CONCLVDENDI, num judicium de moralitate facti proprii ex præmissis legitime derivatum sit.

§. LI.

Quum conscientia dubia nos vexat, utrinque adsunt rationes, factum aliquod pro bono & pro malo habendi, quarum neutram partem plene approbare aut rejicere audemus. Fieri tamen potest, ut pro una sententia plures & fortiores rationes pugnent, quam pro altera. Tunc conscientia, quæ sequitur rationes graviores, dicitur PROBABILIS. Et pro pondere rationum MAGIS vel MINVS PROBABILIS esse potest. Præterea, conscientia existente dubia, duæ adsunt opiniones contrariæ de moralitate actionis, quarum altera bonam, altera malam esse judicat. Prior SVADENS, posterior DISSVADENS dici solet. Quæ dum consideramus,

Quid agendum, conscientia existente dubia?

1. *Ante omnia homo videat, ut dubiam conscientiam reddat certam;*

2. Et si ipse id efficere non possit propria meditatione & scientia, *aliorum sibi expetat consilia.*

3. Si vero nec hoc medio ad certitudinem pervenire potest, *sequatur conscientiam*

probabiliorem, inprimis si dissuadens fue
Quemadmodum enim singula motiva ac
actione connexa obligationem efficiu
ita eo major est obligatio, quo gravi
adsunt motiva, aliquam actionem susci
endi. (§. 35.) Jam vero conscientia p
babilior de actione edenda vel fugien
ex fortioribus rationibus judicat, qu
pro contraria sententia adsunt. Ergo
eam magis sequi oportet. Qua de re
minus dubitandum est, si hæc conscien
sit dissuadens. Tunc enim, qui eam
quitur, actionem omittit, quæ, conscie
tia rectius informata, adhuc edi potest,
fecta vero reddi non posset, si semel ed
fuisset.

4. *Quod si vero conscientia probabilior*
suadens, & minus probabilis dissuadens, ac
autem, quæ suadetur, differri possit sine perio
lo, hanc posteriorem illi præferendam esse pu
Nam consideratio, probabile quidem es
quod actio sit bona, eam vero malam es
posse, & si semel commissa fuerit, retr
actari haud posse, sin vero omissa aut dil
ta, in nostra adhuc esse potestate, ea
committere, hæc, inquam, consideratio
fortius motivum esse videtur, non agen
di, quam agendi.

5. *Secus se res habet, si actio differri ne*
queat. Tunc enim probabiliorem consci-
entiam

entiam ſequendum eſſe, judico, ſive ea ſit ſuadens, ſive diſſuadens.

Conſcientia dubia reddi poteſt certa, ſi rationes removeantur, quæ judicium noſtrum de moralitate actionis propriæ reddebant dubium. Iſtæ rationes ſi alicujus ponderis eſſe debeant, ſunt aut opinio, dari leges ad ſpeciem ſibi contrarias, & ignorantia, quomodo quælibet intelligenda ſit, aut præſumtio, factum noſtrum forte non pertinere ad illud actionum genus, quæ certa lege præcipiuntur vel prohibentur. Ut ergo tollantur, lex diligenter ſcrutanda eſt, donec verus ſenſus inveniatur, & factum ſecundum omnes circumſtantias explorari debet. Hac in re aliorum ſcientia & experientia nos non parum juvare poteſt. Cum omnis moralitas actionum ab earum relatione ad legem dependeat, eo probabilior eſt conſcientia, quo probabilius oſtendi poteſt, actionem, quam bonam vel malam eſſe putamus, lege quadam præcipi vel prohiberi. Hinc ſi contraria ſententia vel ſola opinione utilitatis nitatur, vel exemplis, vel conſuetudine, vel communibus plerorumque principiis, ea ſemper eſt improbabilior, quam quæ lege determinata eſſe videtur. Hinc & conſcientia IMPELLENS DOCENTE potior eſſe ſolet. Eſt enim conſcientia IM-

PELLENS, qua actio lege determinata e vel certo vel probabiliter judicatur; D CENS vero, qua moralitas actionis non lege, sed ex utilitate, exemplis, & co suetudine æstimatur.

§. LII.

Religiosi-tati studen-dum.

RELIGIOSITAS est habitus de moralit te actionum suarum judicandi. Quo m jor est illa promptitudo, eo facilius hom intelligit, actionem, cujus jam præsto e occasio, bonam esse vel malam, & quom am sine hac cognitione bonum peragi, malum vitari non potest, religiositas fac liorem reddit divinarum legum adimple tionem. Cum ergo Christiani obliga sint ad servandam legem Dei, (§. 36.) *quam maxime religiosos esse oportet.* Hinc

1. *Sibi caveant ab opinione, paucas actiones lege determinatas, contra vero plerasque indifferentes esse;*

2. *Frequentiorem legum divinarum considerationem & ad facta sua applicationem instituant;*

3. *Affectus suos cohibeant, ne ex præcipitantia aut prædominio voluptatis sensualis quicquam agant.*

RELIGIOSVS, quæ vox singulari significatu hoc loco accipitur, multas actiones lege definitas esse putat, & hinc ANGVSTAM

habet

habet CONSCIENTIAM. Huic opponitur AMPLA CONSCIENTIA, quæ est habitus, paucas actiones pro bonis vel malis habendi. Qui plane nullam moralitatis actionum suarum rationem habet CONSCIENTIA CARERE dicitur. Ille igitur aut ignorantia legum laborat, aut eas ad facta sua applicare negligit. Utrumque evitari potest studio religiositatis.

§. LIII.

CONSCIENTIA CONSEQVENS est judicium de moralitate actionis jam perpetratæ. (§. 48.) Hæc autem vel bona vel mala esse potest. Inde oritur differentia inter conscientiam BONAM & MALAM, quæ ad solam consequentem pertinet. Si bona est, nos EXCVSARE, sin vero mala, nos ACCVSARE & CONDEMNARE dicitur. Rom. II. 15. Cum sæpe fiat, ut homo ex conscientia erronea agat, & hinc factum suum bonum esse judicet, quod postea malum esse intelligit, conscientia mala non raro involvit contradictionem inter conscientiam antecedentem & consequentem. Quia tamen & fieri potest, ut multa opera peragantur sine prævia conscientia antecedente, & homo postea intelligit, se malum feciſſe, hæc contradictio non semper adest, cum quis mala conscientia ve- Conscientia bona & mala.

xatur. Qui negligit moralitatis actionu
ſuarum conſiderationem, ejus CONSCIE
TIA DORMIRE dicitur. Cum vero rur
incipit de hac moralitate judicare, co
SCIENTIA EXPERGISCITVR. Utrumq
& antecedenti & conſequenti conſcien
accidere poteſt.

§. LIV.

Illius commoda & incommoda.

Conſcientia bona gaudium & acqu
eſcentiam parit, mala vero triſtitiam, co
tritionem, aliosque affectus ingratos, q
MORSVS CONSCIENTIÆ dici ſolent. Jo
XXVII.6. Sap. IV. 20. Sir. XIV. 1, 2. 2. Co
I, 12. Cum igitur conſcientia bona, quæ e
bonis operibus oritur, ingens bonum, mal
vero, quæ ex malis naſcitur, ingens ma
lum ſit,

1. *Bona & mala conſcientia ſine dubio gra
viſſimum motivum eſt, bonum faciendi, & a
malo ſibi cavendi,* 1. Tim. I. 19. 1. Pet. III. 1
Sir. XIV. 1.

2. Et quoniam omne motivum cum
actione connexum novam infert obliga
tionem, (§. 35.) *Deus quoque per conſequen
tem conſcientiam bonam & malam ad ſervan
dam legem ſuam nos obligat.*

3. Licet vero conſcientia mala animum
acerbis doloribus torqueat, *ea tamen, ſi
mali quid perpetratum fuerit, potius excitari
quam*

quam supprimi debet. Nam ut taceam, necessarium esse, ut homo, commisso peccato, dolores in corde sentiat, Ps. XXXII. 3. 4. XXXVIII. 2. seqq. LI. 10. mala conscientia, quæ peccatum sequitur, fortissimum motivum est, ab eo imposterum sibi cavendi. Quo cum Deus ad hunc finem uti velit, conatus autem hominis, impetus conscientiæ non sentiendi, efficax hoc emendationis medium impediant, impium foret, conscientiæ morsus effugere velle.

Itaque laudabile quidem studium est, efficiendi, ne causæ malæ conscientiæ adsint. Si vero adsunt, non impediri, sed excitari debet. Ad hunc finem plurimum confert, legem Dei diligenter scrutari, & vitam suam ad illius normam frequenter explorare. In hoc enim speculo quisque facile videbit, se suis transgressionibus Deum quam sæpissime offendisse, & hinc non leves animi dolores & cruciatus sentiet. Rom. VII. 9. 10.

§. LV.

Quid agendum, conscientia existente mala?

Conscientia consequens non minus quam antecedens tam recta quam erronea esse potest. (§. 48.) Posteriori qui laborant, angustam habere solent conscientiam, & actiones a se perpetratas ex qua-

libet probabili, quandoque etiam imp
babili ratione, pro malis declarare.
sunt, quibus scriptura INFIRMAM CONS
ENTIAM tribuit. 1. Cor. VIII. 11. 12.
vero ratio, ob quam quis sè male eg
sentit, SCRVPVLVS conscientiæ appellat
& habitus, eum facile sibi objiciendi, SCR
PVLOSITAS audit. Si quem ergo ver
mala conscientia,

1. *Inquirat, num ea sit recta, an erron
quod fieri potest, & sensum legis, quam
transgressum esse putat, diligentius explorar
& factum suum cum ea accuratius comp
rando.*

2. *Si erroneam esse intelligit, scrupulum s
eximat, discutiendo rationem istam, ob qua
factum malum esse videtur.*

3. *Si vero recta fuerit, observet omnia, qu
homini, peccata sua sentienti, observanda sun
inprimis autem propositum suum renovet &
confortet, malum illud fugiendi, & angoribu
conscientiæ tanquam motivo utatur, illud for
tius aversandi.*

Infirmitas non tantum ad consequentem sed
& ad antecedentem conscientiam pertinet,
& utraque adhiberi potest ad religiositā-
tem in se promovendam. Confortari
tamen debet, ne aut ex nimia scrupulosita-
te bonum omittamus, aut sine causa suffi-
ciente nos frustra torqueamus. Potest

autem

autem confortari tum accuratiore legis studio & acquisitione notitiæ rectæ & certæ principiorum practicorum, tum cogitatione, legem Dei non esse obscuram, ideoque ea merito pro licitis haberi, quæ nulla lege prohibita sunt. 1. Cor. X. 25.

§. LVI.

Conscientia est lex.

Cæterum cum conscientia recta sit judicium, actionem vel bonam vel malam esse, & hinc vel peragendam vel fugiendam, & quidem judicium verum, h. e. quæ consentit cum lege divina, (§. 48.) omnis autem propositio, quæ moralitatem actionis determinat, si a superiore præscripta sit, lex dicatur, (§. 15.) *certum est, conscientiam rectam habere vim legis*, Rom. II. 14. 15.

Confirmari hoc potest ex hac ratione, quia conscientia est conclusio ratiocinii, cujus major est lex, minor vero factum, ad quod lex applicatur. Jam vero conclusio semper est propositio specialior in majori tanquam universaliori contenta. Unde eo minus dubitari potest, quin conscientia lex sit. Et quamquam diximus, legem oportere esse propositionem universalem, (§. 15.) tamen singularis propositio, qualis est lex, semper æquipollet universali.

CAPVT V.
DE
IMPVTATIONE.

§. LVII.

Imputatio explicatur.

IMPVTATIO est declaratio alicujus pro auctore facti. Per factum autem hoc eo intelligitur actio lege determinata. (pro jus pro auctore si quis nude judicio theoretico declaratur, imputatio dicitur POSBILIS & METAPHYSICA; Sin vero ita, ad eum simul referantur consectaria fa ACTVALIS & MORALIS. Cum ergo

1, Lex tantum sit actionum *liberar* norma, (§. 15.) *hoc quoque actionum ge solum est imputabile.*

2. Sic etiam cum omnis actio libera vel bona vel mala, (§. 10.) *utramque act nem imputabilem esse oportet.*

3. Et quoniam lex est declaratio volu tatis divinæ, (§. 15.) ea vero semper ob gationem imponit hominibus (§. 36.) *a tantum imputari potest, ad quam datur ob gatio.*

4. Judicio mere theoretico quisque terum pro auctore facti ab ipso perpetra declarare potest. Qui vero simul consec ctaria facti illi attribuit, ille jus ha beat, necesse est, de actionibus &

tis alterius disponendi. Hujus generis persona dicitur IVDEX & SVPERIOR. *Ergo imputatio possibilis omnium est hominum, actualis vero seu moralis solius judicis & superioris.*

5. Si quis pro auctore facti ita declarandus est, ut ad eum simul referantur facti consectaria, primum considerari debet lex cum suo consectario, deinde factum, quatenus lege ista præcipitur vel prohibetur, & hinc demum fluit connexio consectariorum cum auctore facti. *Ergo imputatio moralis ratiocinio continetur, cujus major est lex, quatenus consectaria facti determinat, minor factum, seu subsumptio, aliquem tale factum commisisse, cui lex hoc vel illud consectarium assignat, & conclusio applicatio consectariorum ad facti auctorem.*

Actiones hominis sunt aut NECESSARIÆ aut LIBERÆ, quibus & MIXTÆ addi solent. Primi generis actiones *metaphysice* quidem imputari possent. Quia vero de factis sermo est, quorum & moralis datur imputatio, eam ad solas actiones liberas restringimus. Imputatio metaphysica esse potest sine morali. Licet enim aliquis vere sit auctor facti, & hinc pro tali declarari possit, causa tamen intervenire potest, quæ impedit, quo minus facti consectaria illi adjudicentur, cujus rei exemplum in peccatorum remissione conspicuum est. Rom.

IV.

IV. 7. 8. Judicium, facti consec
vel bona vel mala, ad aliquem pert
quod proficiscitur ab eo, qui nec ju
potestatem habet, actiones & fata al
determinandi, nullum habet effectu
hinc vanum est, nec pro imputatione
rali haberi potest.

§. LVIII.

Imputatio moralis fit in præmium vel pœnam.

Consectaria illa, quæ factum secu
lex monstrat, statum nostrum aut p
ctiorem aut imperfectiorem redd
h. e. aut bona aut mala sunt. Bonum
tem physicum, quod rationem suam
bet in prævia actione morali, PRÆMIUM
malum POENA dicitur. *Ergo imputatio
ralis est sententia judicis, qua auctori act
præmium vel pœna adjudicatur.* (§. 57.)

Dantur consectaria facti, lege firmata,
nec ad præmia nec ad pœnas referri
sunt, veluti, si quis pactus fuerit cum
tero, debet promissum adimplere. S
tentia, qua hujus generis consectaria
aliquem propter præcedens factum p
nere judicantur, etiam videtur esse imp
tatio, licet non sit imputatio in præ
um vel pœnam. Sed si rem accurat
consideremus, talis sententia potius ob
gatoria erit, quam *imputatoria*. Dum en
judex ratiocinatur: *Qv. pactus est, de
serv*

ſervare promiſſum; Atqui tu &c. Ergo; paciſcentem pro auctore facti quidem declarat, cujus eſſet, pacti effectum quoque præſtare; quia vero effectus iſte ipſum eſt factum, quod in lege ſuam rationem habet, & vel in præmium vel in pœnam imputari debet, ſi aut præſtitum aut intermiſſum fuerit, judex hac ſententia potius declarat, dari obligationem ad promiſſum adimplendum, illiusque omiſſio eſſe factum ad pœnam imputabile. Hinc cum in definitione imputationis mentio fit conſectariorum, non facta, ad quæ datur obligatio, ſed alia ab iis diverſa intelligenda ſunt, niſi imputationem cum obligatione confundere velimus.

§. LIX.

Deus ſingula facta imputat.

Deus eſt ſummus creaturarum omnium dominus & judex. Idem vi omniſcientiæ ſuæ ſingula facta novit, quæ unquam a nobis committuntur, vel omittuntur, & vi ſanctitatis ac juſtitiæ ſuæ bona præmiis ornat, cum malis autem pœnas connectit. 1. Reg. VIII. 39. Pſ. VII. 10. XI. 4. Ebr. IV. 13. Job. XXXIV. 11. 12. Pſ. LXII. 13. Eccl. XII. 13. 14. Matth. XVI. 27. Rom. II. 6. 8. 9. *Ergo & in foro divino ſingula facta hominibus imputantur, bona quidem in præmium, mala in pœnas.* (§. 58.)

Intel-

Intelligi hoc debet cum adjecta condi
nisi interveniat remissio. Hac enim
stente, cadit imputatio. Rom. IV. 7. 8

§. LX.

Requisita actionum imputabilium.

ACTIO autem IMPVTABILIS, de qua
la hoc loco sermo est,

1. *Vere debet existere.* Sicuti enim ac
num nunquam existentium auctores
sumus, ita & illæ nobis imputari nequ
unt. (§. 57.)

2. Opus, quod sub conditione ma
possibili facturi fuissemus, & quod D
per scientiam mediam prævidit, ma
possibile manet, nec unquam existit. *E
go nec facta per scientiam mediam prævisa
putari possunt.* Luc. X. 13.

3. Facta, quæ nihil ad nos pertinent,
quis nobis imputaret, nos pro auctorib
actionum declararet, quarum tamen a
ctores non sumus. (§. 57.) Talis declar
tio foret falsa & injusta. *Ergo opera non
vere nostra imputari nobis possunt.* Jo
XXXIV. 11. 12. Ps. LXII. 13. Ezech
XVIII. 4.

4. Et quoniam solæ actiones liberæ im
putantur, (§. 57.) *factum imputabile sic com
paratum esse oportet, ut illius oppositum no
tantum in se & absolute, sed etiam nobis phy
sice sit possibile.* (§. 1. num. 3.)

Factum

Factum, quod Deus sub nonnullis conditionibus possibilibus tanquam futurum prævidet, mutatis circumstantiis & conditionibus, quæ pariter possibiles sunt, omissuri fuissemus. Hinc Deus eiusmodi facti & commissionem & omissionem in diversis nexibus possibilibus per scientiam mediam simul prævidet. Quodsi ergo commissio imputari posset, idem valeret de omissione. Sed ejusdem facti commissio & omissio simul imputari nequit. Ergo & ex hac ratione facta per scientiam mediam prævisa non sunt imputabilia. Equidem & aliena facta quandoque nobis imputantur, sed tunc necesse est, ut interveniente quodam medio conversa sint in nostra propria. Et cum impossibilitate oppositi tolli dicimus facti imputabilitatem, id de ea tantum impossibilitate intelligi debet, quæ citra culpam nostram adest.

§. LXI.

Imputatio factorum immediate propriorum.

Ut autem clarius constet, quænam istæ sint actiones, quarum datur imputatio, notandum est, facta in PROPRIA & ALIENA dispesci. Factum PROPRIVM illud est, quod existentiæ suæ rationem in virium nostrarum applicatione habet. ALIENVM opposita ratione definiendum est. Quem-

Quemadmodum autem facti alicujus n
& immediata & mediata in nobis po
esse contenta, ita & facta dantur
IMMEDIATE quam MEDIATE PROPRIA.
priori genere ita statuo:

1. *Solæ actiones animæ imputari pos*
Imputabiles enim actiones liberas esse
portet, (§. 57.) quæ cum sint motus
luntatis, (§. 6.) ideoque actus mentis,
hoc solum genus actionum imputatio
tenditur.

2. *Vere autem imputantur, si actiones a*
mæ fuerint motus voluntatis, qui ex univer
quodam principio determinabantur, aut a
determinari poterant & debebant. Sic en
comparatas esse actiones liberas, ex sup
rioribus satis constat. (§. 6.) Cum erg
Deus quamcunque actionem liberam h
minibus imputet, (§. 59.) dubium no
est, quin actiones istæ, quas supposuimu
vere imputentur.

3. Minime vero imputatur, si oppo
tum aut in se, aut respectu virium nostr
rum sit impossibile. (§. 60. num. 4.) Ha
impossibilitas quandoque adest, cum ho
mo legis aut facti ignorantia laborat. Nam
actio libera ex universali quodam princi
pio debet determinari posse. (§. 6.) In
actionem nostram determinamus, cum d
legis & facti distinctam habemus notio
nem, & utriusque consideratione ad vo
leg

lendum vel nolendum nos moveri patimur. Deficiente autem ista cognitione actio ita determinari nequit. Sed non una eademque semper est hominum ignorantia. Quandoque evitari potest, quandoque non potest. Priori casu dicitur VINCIBILIS, posteriori INVINCIBILIS. Vincibilis ignorantia quidem efficit, ut actio non determinetur, quemadmodum oportebat, minime vero, ut ita determinari nequeat. Nam si homo omnem diligentiam adhibuisset, superata fuisset ejus ignorantia, & hinc quoque sublatum impedimentum. *Unde sola ignorantia invincibilis impedit facti imputationem.* Hinc licet gentiles verum Deum non agnoscerent, ideoque ex ignorantia idololatriam exercerent, tamen, cum eum rectius cognoscere potuerint, ἀναπολόγητοι esse dicuntur. Rom. I. 20.

4. Præter ignorantiam invincibilem & defectus virium seu impotentia, rectam cognitionem sequendi, factum impossibile reddit. *Quare si quid agimus, quod minus bonum esse non ignoramus, vires autem desunt, motiva, quæ contrarium suadent, sequendi, factum illud imputari non potest.* (§. 60. num. 4.)

5. Fieri tamen potest, ut quis & ignorantiam invincibilem & defectum virium ipse sibi contraxerit. Quod si acciderit,

homo ipſe & ignorantiæ & impoten
ſuæ auctor eſt, nec quicquam tunc im
dit, quo minus & utrumque hoc malu
& quicquid in eo rationem ſuam hab
imputetur. (§. 57.) Ergo, quæ modo
cta ſunt, cum aliqua reſtrictione intel
debent, ſcilicet, *facta ex ignorantia invin
bili aut impotentia contrarium agendi p
fecta imputari haud poſſe, niſi homo ipſe ig
rantiam & impotentiam iſtam ſibi contrax*

6. Jam vero conſtat, tam irregeni
rum peccata proæretica, quam regeni
rum infirmitates tum ab ignorantia t
a defectu virium dependere, ſic ut qu
que malum, quod committit, evitare n
queat. Hujus ignorantiæ & impotent
ratio in peccato originali continet
quod a primo Adami peccato ſuper
mnes homines deſcendit. Cum itaq
prima illa transgreſſio toti poſteritati
cte imputetur, Rom. V. 12. 18. 19. ſic
quisque naturalis ſuæ corruptionis auct
merito cenſeatur, apparet ratio, *cur p
cata proæretica irregenitorum & infirmitat
regenitorum a Deo recte imputentur, hi
ignorantia invincibilis aut impotentia natur
lis eorum cauſa ſint, & hæc mala inevitabil
imputationem alias tollant.*

Ergo actiones corporis, quæ nobis invi
extorquentur, aut quæ anima libere no
con

concurrente eduntur, imputari nequeunt. Quæ ad nutum animæ libere agentis sequuntur, cum gravius puniri soleant, imputari quidem videntur, vere autem vehementior ille impetus animi imputatur, cujus signa & effectus sunt actiones externæ. Nam & solus animus peccandi in foro divino perinde imputatur & punitur, ac si externe perpetrata fuisset actio. Matth. V. 21. 22. 28. Ita res comparata est, cum de imputatione facti mali agitur. Bonum si forte fuerit, quod externe peractum est, itidem non imputatur, nisi accesserit animus bonus, bonaque dispositio interna agentis. Matth. VII. 22. 23. Quæ omnia ad universale illud axioma redeunt, *solas actiones animæ imputabiles esse.* Si res aliter se habeat in foro humano, expendi debet, judicis terreni non esse, de actionibus internis & vere moralibus sententiam ferre, sed tantum pruritum delinquendi coercere, & impedire, ne in externos actus erumpat. Quemadmodum autem non omnes actiones animæ sunt liberæ, ita nec omnes imputari possunt. Impossibilitas agendi, quod omittimus, & omittendi, quod agimus, uti obligationem ad oppositum, ita imputationem facti ipsius tollit. Sed si quis ipse hujus impossibilitatis causa existat, ad eum tanquam ad causam ea omnia merito referun-

tur, quæ ex hac impossibilitate, illi coexistente necessitate contrarium agen consequuntur. Cum itaque consti peccatorum omnium primam rati nem contineri in peccato originali, h vero a parentibus ad nos transiturum n esse, nisi culpa Adami in nobis hære quam interveniente consensu interpret do participavimus, (Inst. Theol. Dog §. 96. 97. 98.) necessarium est, ut & om peccatum nobis imputetur. Hoc myst rium naturalis homo prorsus ignor Quare nec mirum est, quod pravæ conc piscentiæ, quæ ex improviso oriuntur, vitari non possunt, nec imputari possei videantur. Cogitat ille, aut natura cum hac imbecillitate a Deo conditam est aut eam ita ad naturam pertinere, ut a ea separari nesciat. Utroque casu hom nem absolvit, & innocentem pronuncia & culpam, si qua adesse debet, potius in Deum, quam in hominem transfert. No vero, rectius edocti, scimus & credimus hominem culpa non carere, cum & invi tus mala cogitat vel concupiscit. Rom. VII 18. 19. 20. Cæterum licet & fidelium infirmitates, si in se spectentur, sint im putabiles, tamen propter intervenientem fidem vere non imputantur, qua de re de inceps plura.

§. LXII.

§. LXII.

FACTVM MEDIATE PROPRIVM illud eſt, quod quidem ab aliis committitur, cujus tamen exiſtentiæ ratio in aliquo facto immediate proprio continetur. Hujus generis factum, cum & ipſum liberum eſſe, & hinc a voluntate alterius proficiſci debeat, (§. 6.) committi haud poteſt, niſi a nobis aliquid perpetratum fuerit, quod in ſe eſt motivum ſeu ratio volendi. Ergo Et mediate propriorum.

1. *Facta mediate propria ea ſunt, quæ peragendi motiva facto immediate proprio aliis ſubminiſtravimus.* Ex hac ratione idololatria Iſraelitarum pro facto proprio Jerobeami merito reputabatur. 1. Reg. XII. 30. XIV. 16.

2. CAVSA MORALIS alicujus facti eſſe dicitur, qui ſua actione alios movet, ut aliquid peragant. Cum itaque facta, ad quæ perpetranda alios noſtro facto movemus, mediate propria ſint, *talia quoque eſſe oportet ea omnia, quorum nos cauſa moralis exiſtimus.*

3. Vetuſtiſſimus itemque veriſſimus canon eſt Philoſophorum, cauſam cauſæ eſſe etiam cauſam cauſati. Quando igitur nos facto noſtro alios movemus, ut factum aliquod decernant & edant, tunc

nos vere ſumus cauſa cauſæ facti ab
perpetrati. Ergo & hoc factum me
pro noſtro habetur. Quicquid autem
ctum vere noſtrum eſt, illud nobis
tantum imputari poteſt, (§. 57.) ſed et
a Deo vere imputatur. (§. 59. 60. num.
Ergo & facta mediate propria, cujus nos
mus cauſa moralis, in foro divino nobis im
tantur. Ezech. III. 18. Matth. XVIII. 6,7

Diſtinguendum eſt inter facta, quæ per
impellunt alios ad aliquid agendum vel
mittendum, & ea, unde alii occaſion
vel rationem petunt, aliquid agendi
omittendi. Sola prioris generis facta
ficiunt, ut, quod alii faciunt, opus med
te proprium fiat. Cauſæ Morali oppo
nitur phyſica, quæ ad actionis exiſte
tiam non tantum per modum cauſæ im
pulſivæ, ſed etiam per modum cauſæ
ficientis concurrit. Ea vero facta, qu
cauſam moralem conſtituunt, nimis va
recenſeri ſolent, unde magna oritur co
fuſio. Conſtat id ex notiſſimis illis ver
ſiculis, quibus modos cauſam moralem e
ficientes comprehendunt:

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, re
curſus,
Participans, mutus, non obſtans, ne
manifeſtans;

quos

quos alii ita exprimunt:

Consulo, præcipio, consentio, provoco, laudo,
Non retego culpam, non punio, non reprehendo,
Non obsto, sed participo, & defendo aliena.

Secundum hoc axioma omne id causam moralem constituere creditur, quod efficit, ut factum alienum juste nobis imputetur. At vero fieri potest, ut factum alienum alicui imputetur, cujus tamen ille causa moralis non est. Ut ergo difficultates hinc ortæ tollantur, distinguendum esse, judicio, inter causam moralem, & subjectum, cui factum alienum imputari possit. Verum quidem est, causæ morali factum alienum semper juste imputari. Sed id simpliciter converti nequit. Nam causam moralem in facti existentiam, cujus est causa moralis, influere oportet, & hinc aliquid peregerit, necesse est, antequam factum imputandum ab alio commissum fuerit. Debet in eo aliquid esse, quo alter ad agendum movetur & impellitur, quod fieri potest jubendo & prohibendo, suadendo & dissuadendo, laudando aut vituperando, similia peragendo, & hinc exemplum imitationis proponendo, &c. Sed accidit nonnunquam, ut

nobis aliquid imputetur, quod nobis ig
rantibus & nondum exiſtentibus com
ſum eſt, ad cujus exiſtentiam itaque c
currere non potuimus. Imo poſſibili
facti alieni imputatio, quod ille, cui
putatur, quantum poterat, impedire
niſus eſt. Ne igitur imputatio facti a
ni cum participatione facti per mod
cauſæ moralis confundatur, placuit,
cta illa, quorum ſumus cauſa mora
non aliena, ſed propria, licet mediate
lia, appellare. Imputatio autem hu
generis factorum eo juſtior eſt, quo ma
eſt bonitas vel pravitas illis inhærens.

§. LXIII.

Facta aliena non imputantur.

FACTVM ALIENVM eſt, quod ab al
committitur, nobis nec per modum ca
ſæ efficientis, nec per modum cauſæ im
pulſivæ ad illius exiſtentiam concurren
bus. Hujus itaque generis facta cum ni
hil ad nos pertineant, facta vero imputa
bilia vere noſtra eſſe oporteat, (§. 60.) ſe
quitur, *facta aliena, ut talia, nobis imputari haud poſſe.* Gen. XVIII. 23. 24. 25. Ezech. XVIII. 4. 20.

§. LXIV.

Niſi accedat conſenſus in factum ipſum.

CONSENSVS IN FACTVM ALIENVM eſt voluntas, ut illud exiſtat. Ergo

1. *Hu*

1. *Huc pertinet facti alieni approbatio, & beneplacitum in eo.* Matth. XXVII. 25.

2. Approbatur autem illud, non tantum quando laudamus, aut verbis declaramus, bonum id nobis videri, ideoque nobis placere, sed etiam, cum simile quid ex destinato consilio peragimus. *Quare & similia perpetrando in factum alienum consentire possumus.* Matth. XXIII. 29-36.

3. Et quemadmodum facta tum *praterita*, tum *futura* verbis vel factis approbari possunt, *ita & consensus in utrumque genus factorum alienorum possibilis est.*

4. Qui hoc modo consentit in factum alienum, in ejus anima idem existit voluntatis motus, qui erat in ipso agente & physico facti auctore. Hinc ab eo non nisi intermisso membrorum corporis usu differt. Quia vero non corporis, sed solæ mentis actiones imputari possunt, (§. 61.) consentiens eandem cum auctore facti physico ad illud habet relationem, quoad actionis imputabilitatem. Hujus generis factum, ad quod, quatenus imputabile est, eandem cum ipso auctore habeo relationem, QVOAD ÆSTIMATIONEM MORALEM MEVM esse dicitur. *Ergo consensus in factum alienum efficit, ut illud moraliter fiat meum.*

5. Quodcunque autem factum pro
haberi potest, illud etiam recte mihi
putatur, licet physice meum non sit. (S
*Ergo & factum alienum recte mihi imputa
siex parte mea interveniat consensus.* 1. S
III. 13. Matth. XXIII. 35. 1. Tim.
22.

6. Quod quidem principium sicuti
spectu operum malorum universale est
respectu bonorum aliquo modo limi
debet. Fieri enim potest, ut factum a
num simul sit beneficium prorsus gra
tum, cujus imputatio ingentium bonor
communicationem involveret. Possi
etiam rationes adesse, cur is, cujus est
bona dispensare, non singulis volentib
sed iis duntaxat impertiri possit, qui
qua necessaria conditione instructi su
Aut forte etiam aliæ causæ hoc imputat
nis beneficium impediunt. *Hinc sa
consensus in factum alienum non semper sufi
ad illius imputationem.*

Consensus ille varius & multiplex esse pote
ex. gr. IMMEDIATVS & MEDIATVS,
hic posterior iterum vel FORMATVS v
INTERPRETANDVS. Quiquid ergo
consensu in genere demonstratum est,
etiam de singulis illius speciebus valere d
bet. In foro quidem humano consens

in factum alienum non producit imputationem, nisi accedat externa declaratio. Nam de internis intellectus judiciis nihil constat judici humano. Neque externa consensus declaratio semper sufficit ad facti imputationem. Humani enim judicii est, tantum de actionibus externis sententiam ferre, ne publica securitas perturbetur. Cum itaque fieri possit, ut quis factum in alio approbet, licet ipse illud non commisisset, propter hanc approbationem non statim ipsum factum imputari potest. Sed longe alia est ratio judicii divini. Deus non tam externa, quam interna facta respicit, non tam conformitatem vel difformitatem materialem, quam formalem. Hinc si quem videt idem sentire & velle, quod sensit & voluit auctor facti physicus, utrumque secundum eandem legem judicat, & utrique eandem actionem imputat. Equidem tunc non tam factum alienum, in quod consentitur, quam consensus ipse, ut factum proprium, imputari videtur. Sed si rem diligentius expendamus, perinde est, sive consensus, sive factum, in quod consentimus, nobis imputetur. Nam cui consensus imputatur, ille pro auctore facti declaratur, quale ab eo commissum est, in cujus factum consentit. Et quid hoc aliud est, quam factum alienum

num imputare? Ex hac autem obſerva-
ne patet, facta aliena mediante conſe-
nobis imputari haud poſſe, niſi ipſe c
ſenſus ſit actio lege determinata, ad q
datur obligatio. Homo, cui pro
conſenſum factum alienum imputa
obligatus eſſe debet vel ad conſentiend
ſi factum ſit bonum, vel ad diſſentiend
ſi malum. Et ſi hujus diſſenſus certa
gnitudo vel quantitas ſecundum legem
eſſe debet, minor illius gradus pro con
ſu habetur, & factum alienum imputa
reddit. Hanc rem infelix ille ſenex
ſuo exemplo comprobat, qui, licet ſc
ra filiorum ſuorum improbaret, 1. Sam.
23. ſeqq. tamen, cum nimia lenitate c
iis uteretur, pro conſentiente habebat
& culpam filiorum ferre debebat. 1. Sa
III. 13.

§. LXV.

Aut in facti imputationem.

Præter conſenſum in factum alienu
datur etiam CONSENSVS IN IMPVTATIONE
FACTI ALIENI, qui eſt voluntas, ut factu
alienum pro noſtro habeatur. Cum ite
que impoſſibile non ſit, ut quis factum a
lienum improbet, & tamen illud pro ſu
haberi velit,

1. *Conſenſus in imputationem facti alie*
eſſe poteſt ſine conſenſu in factum ipſum, quo
no

non solum ex exemplo Christi, in imputationem peccatorum nostrorum, minime vero in peccata ipsa consentientis, Gal. III. 13. sed etiam Pauli in imputationem damnorum Philemoni ab Onesimo illatorum consentientis patet. Phil. v. 18. 19.

2. *Mediante hoc consensu factum alienum imputari potest.* Nam si quis consentit in facti alieni imputationem, vult, ut illud pro suo habeatur. Quod si & ille velit, quem penes est imputandi jus, hi duo paciscuntur de facto in alium transferendo. Pactum autem, quod justum & validum est, effectu suo carere non debet. Ergo per consensum in imputationem facti alieni illud in consentientem vere transfertur.

3. *Fieri itaque potest, ut factum alienum alicui imputetur, licet in factum ipsum non consentiat.*

4. Ratio, cur factum alienum propter consensum in illius imputationem imputari possit, est pactum, ab imputante & consentiente percussum. Quemadmodum autem ad omne pactum consensus utriusque paciscentium requiritur, ita, si forte judex factum alienum imputare nollet, consensus in imputationem ad imputationem non sufficeret. *Ergo tunc saltem con-*

consensus in imputationem est causa imputationis facti alieni, cum ex parte judicis est imputandi voluntas.

5. Quando consensus in factum ipsum non sufficit ad imputationem, superioris cujus est facta aliena imputare, illud imputare non vult. (§. 64.) Ut igitur imputatio procedat, necesse est, ut judex superior illud imputandum offerat. Quod vero offert, simul vult, ut oblatum alterio acceptetur, atque ille factum alienum sibi imputari velit. Hæc voluntas dicitur consensus in imputationem facti alieni. *Ergo quando ad imputationem consensus in factum ipsum non sufficit, consensus imputationem ejus accedere debet.*

Hæc omnia illustrari possunt tum imputatione peccatorum nostrorum, quæ Christo imposita sunt, tum imputatione meriti Christi, quæ nobis credentibus in justificatione contingit.

§. LXVI.

Sine consensu nulla facti alieni imputatio.

Qui nec in factum ipsum, nec in ejus imputationem consentit, ille nec approbat factum alienum, nec vult, ut pro suo habeatur. Ergo aut plane nullam habet relationem ad factum alterius, aut illud tantum cognoscit, aut simul improbat,

& non vult. Si nullam ad factum alienum habet relationem, nec ulla adest causa, eum pro auctore facti habendi, ideoque illi imputari nequit. (§. 57.) Si tantum simpliciter cognoscit, actionem edit, quæ non pertinet ad liberas, (§. 6.) & hinc imputationis capax non est. (§. 57.) Quomodo ergo factum, quod hoc modo cognoscitur, imputari poterit? Si denique factum improbat, & non vult, affectus plane contrarius in eo est, quam in auctore & causa physica facti. Hinc rursus nulla adest ratio, eum pro auctore facti alieni habendi. *Ergo si quod factum alienum nobis imputari debet, aut consensus in factum ipsum, aut consensus in illius imputationem, aut uterque adsit, necesse est.*

§. LXVII.

Imputatio est fundamentum obligationis.

Quodsi Deus actiones liberas hominibus non imputaret, nec bonis præmia expectanda, nec malis pœnæ metuendæ essent. (§. 58.) Ita vero omnia caderent motiva, quæ hominem ad bonum faciendum & malum fugiendum impellere possent. Cum itaque connexio motivorum cum actione obligationem constituat, (§ 35.) apparet, *imputationem actionum nostrarum, quæ fit in foro divino, omnis obligationis fundamentum esse.*

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Remissio peccatorum.

Imputationis peccatorum oppos
est non-imputatio, quæ appellari s
REMISSIO PECCATORVM. Rom. IV. 7. 8.
set & illa perinde, ac imputatio,
POSSIBILEM & ACTVALEM, seu METAP
SICAM & MORALEM dispesci. (§. 57.) Q
vero remissio possibilis & metaphysica
ret declaratio, hominem, qui pecc
commisit, non esse peccatorem, & t
declaratio semper foret falsa & injus
nulla alia peccatorum remissio cogit
potest, quam moralis & actualis non-im
putatio peccatorum. Quemadmodu
ergo imputatio moralis ad solum judice
seu superiorem pertinet, (§. 57.) ita & illi
tantum est, peccata remittere. Jam v
ro Deus est supremus omnium creatur
rum judex. Gen. XVIII. 25. Ps. VII.
Rom. III. 6.

1. *Ergo & solus Deus peccata remitte
potest.* Ps. LI. 6. Jes. XLIII. 25. Marc
II. 7.

2. In peccato CVLPA solet distingui
POENA seu REATV. Culpa aut ipsum actum
malum, aut ejus moralitatem significat
quæ peccatum pœna dignum reddit. Pœ
na vero seu reatus ipsum malum est, ad
quod sustinendum peccator obligatur. Si

quis

quis ergo REMISSIONEM CVLPÆ cogitaret, & receptam definitionem remissionis retineret, illum statuere oporteret, peccata remitti, dum Deus judicat, aut hominem nihil commisisse contra legem, aut peccatum ejus pœna dignum non esse. Quod utrumque cum manifesto falsum sit, & præterea remissio in non-imputatione peccatorum morali consistat, h. e. in sententia, qua quis a pœnis promeritis absolvitur, *remissio peccatorum non est remissio culpæ sed pœnæ.* 2. Sam. XII. 13.

3. Per fidem hominibus peccatorum remissionem contingere, aliunde satis constat. Cum igitur illa sit non-imputatio peccatorum, sequitur, *fidelibus peccata non imputari, licet in se sint imputabilia, & deficiente fide vere imputarentur.* (§. 59. 61. num. 6.) Act. XXVI. 18. Rom. III. 25. VIII. 1.

4. Sicuti autem sola fides est ratio, cur peccata fidelibus non imputentur, quæ alias imputari deberent, etiamsi tantum sint peccata infirmitatis, (§. 61. num. 6.) *ita fide rursus excussa peccata, quæ jam remissa erant, denuo peccatori lapso imputantur.* Matth. XVIII. 32. seqq.

5. In foro divino singula facta, quæ ali-

quid moralitatis habent, imputant bona quidem in præmium, mala in p nas. (§. 59.) Malorum autem operum i putatio, interveniente fide, per remiſſi nem tollitur. *Ergo credentibus ſola bo opera imputantur in præmium.* Matth. V. X. 42. XIX. 29.

6. Infideles autem, cum fide careant ſecundum operum ſuorum qualitatem j dicantur. Quoniam ergo nihil bo facere poſſunt, *ſola in eos cadit peccatorum imputatio in pœnam.* (§. 59. 61.)

Poteſtas remittendi peccata, doctoribu Eccleſiæ tradita, Matth. XVI. 19. XVII 18. Jo. XX. 23. eſt tantum annuncia tio Evangelii & remiſſionis peccatorum quam Deus ipſe impertitur, licet illorum abſolutio vera remiſſio dici poſſit, quate nus non ſuum, ſed DEi verbum prædicant. Remiſſio culpæ ſine re miſſione pœnæ merum eſt figmen tum. Peccata enim cum remittun tur, non culpa, ſed pœna remittitur. Et ſi quis per culpam obligationem hominis ad ſuſtinendas pœnas intelligeret, ea quidem dici poſſet condonari hominibus, vere autem tunc condonaretur pœna.

Qui

Qui enim possibile foret, ut pœna illi imponeretur, qui absolutus est a necessitate & obligatione, pœnam perferendi? Unde cum nonnulli sentiunt, culpam remitti posse, licet remaneat pœna, illi non retinent significatum moralem & forensem remissionis, sed eam physicum actum esse putant, quo homo interne purgaretur a vitiosis habitibus. Fide remittuntur peccata, quatenus hoc medio acceptatur satisfactio Christi, pro peccatis præstita, & quatenus credentes pœnas promeritas jam sustinuisse, Deoque satisfeciisse in judicio divino censentur. Hinc cessante causa remissionis cadit ipsa remissio, & redit peccatorum imputatio. Bona opera fidelium imputari haud possent in præmium, nisi fidei ratio haberetur. Multum enim pravitatis illis semper adhæret, quod in se imputandum est in pœnam. Sed hoc, quicquid est pravitatis, fide tegitur & aboletur, & quod remanet bonitatis, quia solum adesse reputatur, in præmium imputatur. Cum tamen hæc bona opera non sint perfecta justitia, qua lex adimpletur, nec imputari possunt in præmium æternæ vi-

tæ, sed tantum in præmia tempor
aut accidentalia futuræ vitæ. Extr
honestas operum, quæ & a non cred
tibus exerceri potest, a Deo quib
præmiis ornari solet, tum quia aliq
boni est, tum quia hac remunerati
Deus externa vitia & scelera coercere,
honestatem promovere vult; quia
ro fides deest, qua sola peccata rem
tuntur, & hinc etiam malum illu
quod honestis operibus adhæret, imp
tari non possunt in præmium futu
vitæ.

PARS SECVNDA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

OFFICIIS IPSIS CHRISTIA-

NORVM.

PARS SECUNDA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

OFFICIIS IPSIS CHRISTIA-

NORVM.

PARS SECVNDA THEOLOGIÆ MORALIS DE OFFICIIS IPSIS CHRISTIANORVM.

CAPVT I. DE OFFICIIS CHRISTIANORVM ERGA DEVM.

§. LXIX.

Officia erga Deum in genere.

OFFICIA Christianorum aut sunt ABSOLVTA, ab omnibus in quocunque statu adimplenda, aut HYPOTHETICA, quæ certum aliquem statum, minime communem omnibus, supponunt. Priora in officia ERGA DEVM, ERGA NOS IPSOS, & ERGA PROXIMVM dispescuntur. (§. 40.) Et quan-

quanquam singula Christianorum of
certo modo sint officia erga Deum,
tamen loco ea duntaxat intelligimus,
rum immediatum objectum est ipse D
Unde cum immediate tendant in DE
aut eum perficient, aut tantum perfec
nem ejus declarabunt & manifestabu
Prius tum propter summam Dei pe
fectionem, tum propter immutabilita
ejus prorsus est impossibile. Ergo

1. *Scopus horum officiorum est manifes*
& illustratio gloriæ divinæ, Ps. XIX. 2.
VI. 3. Matth. VI. 9. 1. Cor. X.
Phil. II. 11. cui promovendæ eo magis
peram suam navare debent Christia
quo plenius & perfectius hanc suam g
riam Deus illis per opus redemtionis
Evangelio manifestavit. Eph. I. 5. 6.

2. Et quia Christiani sciunt, Deum
lum, a nobis colendum & glorificandu
non tantum esse Patrem, verum etia
Filium, & Spiritum sanctum, *gloriam to*
tius sanctæ Trinitatis & singularum perso
rum merito illustrare debent. Hinc & Chri
stus inquit, Filium ab omnibus esse hono
randum, quemadmodum omnes honora
rent Patrem. Jo. V. 23. Et Paulus vult
ut in nomine Jesu omne genu creatura
rum flectatur. Phil. II. 10. Petrus pro be
neficio regenerationis Patrem Domini

nostri

nostri Jesu Christi magnis laudibus extollit, 1. Pet. I. 3. quod vero cum Spiritui sancto speciatim approprietur, Jo. III. 5. 1. Cor. XII. 3. & ille singulariter a nobis est glorificandus. Simeon preces suas ad Sp. S. dirigit, ejusque beneficia prædicat, Luc. II. 29. coll. 26. Et in genere omnes Christiani baptizari jubentur in nomen Patris, Filii, & Sp. S. h. e. in ejus cultum & adorationem. Matth. XXVIII. 19.

3. Fieri autem potest, ut quis sibi persuadeat, gloriam Dei actionibus manifestari, quibus tamen illa turpiter obscuratur. Jo. XVI. 2. Act. XXVI. 9. seqq. Rom. X. 2. Quod ut evitetur, *omne officium erga Deum oportet esse actionem lege determinatam.* (§. 38.)

4. Cumque officia erga Deum, ad unum omnia, eo tendant, ut gloria divina manifestetur, hoc autem, quicquid est operis, summo ac præcipuo legum naturalium principio inculcetur, (§. 17.) quod lege positiva divina minime abrogatum, sed potius magis corroboratum & declaratum est, (§. 28.) sequitur, *officia erga Deum potiora, & in collisione cum aliis, quibuscunque præferenda esse.* Gen. XXII. 12. 16. Deut. VI. 5. Matth. X. 37. 38.

5. Religio christiana nos docet, hominem suis operibus apud Deum nihil mereri posse, sed ex sola gratia Dei propter Christum, quem fide amplectuntur, ju-

ſtificari & ſalvari. Si quis ergo ea in
tione & ex hac ratione officiis erga De
fungi vellet, ut juſtificationem & ſalu
ſibi compararet, ille bonum peragere
deret ex peregrinis motivis, quæ a D
non approbantur. Ad bonum aut
opus omnino pertinet, ut motiva ſeq
mur, ab ipſo Deo cum actionibus con
xa. (§. 41. num. 4.) *Ergo nullum Deo offi
præſtari debet ex opinione, præmium juſtifica
nis aut æternæ vitæ eo impetrari poſſe.*
hac cauſa juſtitia Judæorum, quam ſu
mo ſtudio ſectabantur, improbabatur
Apoſtolo. Rom. IX. 32. X. 3. 4.

Habitus hujus generis officia adimplendi
ſenſu ſtrictiori dicitur PIETAS. Tit. II.
Illi opponitur tum ATHEISMVS, qui
contemptus omnis cultus divini, P
XIV. 1. LIII. 2. tum ἐθελοθρησκεία, qu
eſt cultus, proprio ingenio inventus,
non ad præſcriptum legis divinæ compo
ſitus. Col. II. 23. In exponendis hisce
ut & omnibus aliis, officiis non parum
utilitatis habet, diligenter indicaſſe, qui
bus modis ea exerceri poſſint, quæ habe
ant oppoſita, quibus rationibus & moti
vis homo ad ea obligetur, quibus mediis
juvari poſſit in officiorum ſuorum ſtudio,
quænam interdum impedimenta ipſi obji
ciantur, & quæ ſunt hujus generis alia.

Unde

Unde & nos ad hæc rerum capita in sequentibus attendemus.

§. LXX.

Impossibile est, ut quis gloriam Dei manifestet, nisi rectam Dei, gloriæ ejus, & mediorum, eam illustrandi, habeat notitiam. Cognitio Dei.

Ergo primum speciale officium Christianorum est, ut Deum recte, & , quantum fieri potest, perfecte cognoscant. Jer. IX. 24. Jo. III. 19. 20. 21. XVII. 3. Rom. I. 25. Oportet autem

1. *Christianos Deum non tantum secundum existentiam, essentiam, & attributa, sed etiam secundum personarum Trinitatem cognoscere.* Jo. XVII. 3. Nam hoc mysterium Deus illis singulariter manifestavit, 1. Jo. V. 7. & ad hunc Deum trinum in personis colendum & profitendum ipsi etiam baptismate initiantur. Matth. XXVIII. 19.

2. *Cognoscant ejus opera, quibus se & in regno naturæ, & in regno gratiæ manifestavit.* Ex utroque enim operum genere non tantum apparet, qualis & quantus ille sit rerum omnium Dominus, qui a nobis colitur, sed etiam, quot quantaque nobis sint motiva, varia illi officia præstandi. Hinc non tantum Deus ipse suam magnitudinem, in regno naturæ demonstratam, prædicat, ut homines eum venerari & colere

lere discant, Job. XXXVIII. seqq. sc
iam in scriptura passim cognoscere
mur missionem Christi in carnem,
XVII. 3. spem vocationis nostræ, di
hæreditatis cælestis, ingentem vim gr
qua regeniti sumus, Eph. I. 18. 19. al
dinem & profunditatem amoris divini,
regno gratiæ manifestati, Eph. III. 18
alia hujus generis opera.

3. *Inprimis autem cognoscenda & volu
Dei de eo, quod a nobis præstari aut omitt
bet.* Rom. XII. 2. Ideo enim præci
commendatur cognitio Dei, ut, quam
sit officiorum nostrorum ratio, recte in
ligatur. Hæc autem in lege divina no
exponuntur. Unde & omne studium
eo collocandum est, ut hanc legem re
cognoscamus. Deut. VI. 6. seqq.

4. Magna quidem pars eorum, quæ
Deo cognoscenda sunt, ex experien
& ratione cognosci possunt, hæc tamen
reliqua omnia longe clarius & plenius
sacris literis manifestata extant. Cum e
go omnibus mediis utendum sit, quibu
hæc necessaria Dei cognitio acquiri po
est, atque Deus utrumque principium
rationem & scripturam, ad amplificandam
cognitionem nostram nobis concesserit
Rom. I. 19. 20. 2. Tim. III. 16. 17. *christia
ni quoque hominis est, ratione & revelation*

pro virili uti, ut in cognitione Dei semper magis magisque progrediatur.

5. Cognitio autem ex his fontibus hausta sterilis erit, omni effectu in voluntate carens, si tantum sit historica, incerta, & fluctuans. Et tamen ideo quærenda erat, ut homo gloriam Dei illustrare, &, quæ huc pertinent, officia adimplere posset. *Ergo opera danda est, ut cognitio nostra reddatur certa, omnesque dubitationes carnis vincat.* Hinc tot demonstrationes, refutationes errorum, & assertiones, Deum loqui per prophetas, occurrunt in scriptura. Hinc Thessalonicensium laudatur studium, explorandi, num vera essent, quæ audirent. Act. XVII. 11. Hinc Judæi ad Vet. Test. tanquam firmius verbum propheticum, attendere jubentur, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus eorum. 2. Pet. I. 19.

6. *Denique hæc cognitio ita acquirenda est, ut homo eam ad se ipsum applicet, quid sui sit officii, discat, suasque actiones ad eam componat.* Qui enim affectu prorsus contrario scripturam legit vel audit, ejus divinitatem non agnoscet, Jo. VII. 17. sed facile in impietatem gentilium incidet, qui divinam veritatem in mendacia convertebant. Rom. I. 25.

Oppo-

Oppoſita hujus cognitionis ſunt ignora
errores, præjudicia, dubitationes, q
mala ex plena ignorantia Dei & ration
eum cognoſcendi, ex opinione, nos
omnia ſcire, ad ſalutem ſcitu neceſſar
ex nimia diſtractione & negotiorum mu
danorum cumulo, ex mollitie, lectio
librorum impiorum, malo conſortio,
naturali odio adverſus veritates cæle
oriri ſolent. Præter *mandatum* D
præcepto primo Exod. XX. 3. itemque
XLVI. 11. Jer. XXXI. 33. 34. 2. Pet. I
18. & alibi contentum, hominem ad co
gnoſcendum Deum resque divinas *move*
poteſt tum *præſtantiſſima Dei natur*
qua nihil nobilius, nihil conſideratio
noſtra dignius eſt, tum *excellentia operu*
divinorum, præcipue in regno gratiæ pra
ſtitorum, quæ myſterioſam Dei ſapie
tiam manifeſtant, nec ab oculo viſa, ne
ab aure audita ſunt, nec in cor homi
nis unquam deſcenderunt, 1. Cor. II. 7. 9.
tum *cognitionis ipſius neceſſitas*, qua nimi
rum deficiente nec Deus coli, nec in eum
credi poteſt, Rom. X. 14. 17. tum denique
multiplex utilitas. Hæc enim cognitio
nos non tantum docet, quidnam noſtri
ſit officii, cui, & quare præſtari debeat,
ſed etiam cor noſtrum interne ſanctificat,
contra multas tentationes carnis & mundi
confirmat, plurimum ſolatii affert, voca-

tionis

tionis nostræ certos nos reddit, & sensum futuræ gloriæ cælestis præbet. 1. Jo. III. 2. Ut ergo hanc cognitionem consequamur, 1. *diligenter considerandæ sunt opera naturæ & vicissitudines rerum mundanarum*, e quibus & existentia Dei, & ejus summa bonitas, sapientia, omnipotentia, &c. & providentia ac gubernatio rerum omnium clarissime cognosci potest; 2. *accedat crebrior lectio scripturæ sacræ*, & usus occasionis, eam audiendi, meditandi, discendi; 3. *Inquiratur sensus ejus*, & simul ac inventus est, illi habeatur fides, etiamsi incomprehensibilis nobis videatur; 4. *Ad se ipsum attendat homo*, & ex sua ad Deum relatione eum cognoscere studeat; 5. *Invocetur etiam nomen ejus*, ut nobis verbum divinum meditantibus & scrutantibus sua gratia & benedictione adesse velit.

§. LXXI.

Cultus Dei.

Hæc autem cognitio sicuti non prorsus theoretica esse, sed potius eo tendere debet, ut gloriam Dei trinunius illustremus, (§. 69. 70.) ita & adhibenda est ad actiones edendas, quæ se ad Deum immediate referunt. Hujus generis actiones, quæ consideratione Dei, operum, & voluntatis ejus determinantur, CVLTVM DEI con-

constituunt. *Ergo Deus a nobis colendu* Deut. VI. 13. Matth. IV. 10. Rom. XI Luc. I. 74. Solet hic cultus in INTERN & EXTERNVM dispesci. Ille in solis ac nibus mentis subsistit, hic vero & per ternos actus corporis exhibetur. Har actionum aliæ ita sunt comparatæ, ut n nisi divinarum perfectionum cogitatio ad eas moveri possimus, aliæ vero ita, illis ex communi gentium consensu d divinitas honorari posse credatur. Qu si ergo unus tantum esset Deus, & pl tamen entia hoc actionum genere co rentur, unitas Dei obscuraretur, & en Deo longe inferiora illi æqualia statuer tur. Jam vero unus tantum est De quem Patrem, Filium, & Spiritum sa ctum esse, inter Christianos consta Ergo

1. *Cultus divinus soli Deo Patri, Filio Spiritui sancto deferendus est.* Exod. XX. 4. 5. Deut. VI. 13. 14. Matth. IV. 10. Rom I. 21. seqq.

2. Hic cultus actionibus continetur quæ recta Dei rerumque divinarum cogni tione determinantur, sic ut effectus & si gna opinionis nostræ de Deo sint, & alios ad Deum simili modo cognoscendum & honorandum excitare possint. *Quare & cultus Dei distincta & recta Dei cognitione semper dirigatur.* Ex hac causa Paulus λογι-

λὸν

τὴν λατρείαν fidelibus commendat, Rom. XII. 1. & Judæorum zelum improbat, quod esset ὃ κατ' ἐπίγνωσιν. Rom. X 2. Quin impossibile esse, ait, ut quis Deum invocet, aut in eum credat, sine prævia cognitione. Rom. X. 14.

3. Cum finis cultus divini sit manifestatio gloriæ Dei, (§. 69.) quisque eam intendere tenetur, qui Deo aliquem cultum exhibet. Nemo autem hunc finem intendere potest, nisi qui Deum glorificari serio cupiat, & hinc eum interne colat. *Ergo cultus externus nunquam sit sine interno.* Ps. L. 8-15. Jes. I. 11-18. XXIX. 13. 14. Matth. XXIII. 14. 15. Luc. XX. 20. 21.

4. Quando diversi dantur officiorum gradus, id, quod nobilius & præstantius est, majori etiam animi contentione adimpleri debet. Jam vero manifestatio gloriæ divinæ, quorsum cultus Dei immediate tendit, summum est officium, omnibusque aliis longe excellentius. (§. 69.) *Ergo & cultus Dei majori fervore tractari debet, quam reliqua negotia.* Hinc Deus ex toto corde diligi jubetur. Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. Et Jer. XLVIII. 10. maledictus dicitur, qui opus Dei negligenter agit. Quod cum de perditione Moabi a Deo præcepta intelligendum sit, multo magis de omni Dei cultu valet. Sic & Judæi, in patriam reduces, reprehendeban-

tur, quod ſibi ſplendidas domus exſtr
rent, templi vero ædificationem & c
tus publici reſtitutionem negligerent, H
I. 2. ſeqq.

Quemadmodum omne opus in honorem D
peragi poteſt, quatenus ex conſideratio
Dei & voluntatis ejus motiva agendi d
ſumuntur, 1. Cor. X. 31. ita & omni
ctionum genere Deus coli poteſt. Tu
autem cultus divinus in IMMEDIATVM
MEDIATVM diſpeſci ſolet. Nos jam
cultu immediato agimus, qui ſenſu ma
proprio cultus divinus & religioſus di
tur. Qui hoc cultu aliquod ens pra
unum & verum Deum proſequitur, is tu
piſſimam idololatriam exercet, cont
quam pugnat 1. *mandatum Dei* de no
habendis aliis Diis; Exod. XX. 3. 4.
Deut. VI. 13. 14. 2. *Unitas Dei*, qu
idololatria abnegatur; 3. *Publica defecti
a Deo* creatore ſuo, cum impoſſibile ſit, u
pluribus Diis ſimul ſerviatur; 1. Reg
XVIII. 18. 21. Matth. VI. 24. 4. *Tur
pitudo facti*; Ipſe enim ſatanas, malignus
ille Spiritus, actionibus idololatricis u
Deus colitur; 1. Cor. X. 20. 5. *Stulti
tia idololatrarum*, qui & res ſe longe in
feriores, ſuarumque manuum figmenta,
divino honore afficiunt, Jeſ. XLIV. 9. ſeqq.
& omnipotentem Deum, rerum omnium

Domi-

Dominum & gubernatorem, a quo omnia bona proficiscuntur, deserunt, a rebus autem surdis, impotentibus, & sæpe vita carentibus, auxilium petunt, quod ferre nequeunt; Jer. II. 13. 6. *Denique pœna*, quam Deus Idololatris minatur. 1. Reg. XIV. 9. seqq. Jes. XLII. 17. Rom. I. 24. seqq. Solet autem IDOLOLATRIA in CRASSAM & SVBTILEM dispesci. CRASSA est, qua ens, quod DEus non est, non tantum ut Deus colitur, sed etiam Deus esse creditur. Et hæc erat gentilium, quin & Judæorum & Israelitarum apostatarum impietas. SVBTILIS autem exercetur, cum ens, quod Deus non est, nec Deus esse creditur, divino cultu honoratur. Accidit hoc, cum actiones, quæ aut in se divinis perfectionibus debentur, aut quibus reverentia erga ens supremum declarari solet, intuitu rerum aliarum, & cum intentione eas colendi, committuntur. Neque idololatriæ crimen ab his actionibus removetur opinione, res, quæ hoc modo colerentur, non haberi pro Deo, nec intentionem esse, ut pro Deo declararentur. Hanc enim opinionem qui tenent, & tamen res istas ut Deum colunt, scientes ac volentes idololatriam exercent, & hinc gravius delinquunt illis, qui ex errore & ignorantia falsos Deos colunt. Opinio, cultum, qui alias Deo exhiberi solet

ex opinione divinitatis, non esse divin
& religiosum, si in creaturas confera
cum opinione perfectionum, divinis q
dem minorum, sed humanis majorm
merum est figmentum. Nititur ficta d
stinctione inter λατρείαν & δϰλείαν, q
rum prior Deo, & posterior creatu
competeret. Nam scriptura hisce vocab
lis promiscue utitur, & præsertim τὸ λ
λεύειν de cultu Deo exhibendo usurpat
Matth. VI. 24. Luc. XVI. 13. Rom. V
25. Et si qua foret differentia, eam
qualitate, non in objecto cultus esse opo
teret.

Alterum extremum, in quod incidu
a recto Dei cultu recedentes, est SVPER
STITIO, per quam præfervidum Dei cul
tum, nulla aut certe obscurissima rerum
divinarum cognitione nixam, intelligimus
Ita sine dubio comparata erat Athenien
sium superstitio. Act. XVII. 22. Oritur
hoc malum 1. *ex stupiditate & ignorantia*
connexa cum innata Dei eumque colendi
necessitatis idea; 2. *ex præjudicio auctoritatis*, quo cæci homines ductores suos
sine consilio & scrutinio sequuntur; 3. *ex falsa opinione, cultum externum* in se
Deo placere, & ad salutem sufficere; 4. *ex meticuloso affectu*, quem falsa alit persuasio, Deum esse ens terribile, pronum ad
iram & odium, & ad puniendum semper

para-

paratum, ideoque non nisi gravibus molestisque operibus placari posse; 5. *ex nimia credulitate*, rebus mere naturalibus aliquid divini ineſſe, dari visiones & apparitiones angelorum & defunctorum, fabulas, quæ narrantur, vere eveniſſe, phœnomena rariora, licet naturalia, aliquid portenti continere; 6. *ex ſpontanea malitia, contemtu veritatis agnitæ, faſtu, &c.* quibus efficitur, ut Deus homines ex juſto judicio deſerat, & gravioribus erroribus immergi patiatur. Rom. I. 24. 2. Theſſ. II. 11. 12. Qui ergo ſuperſtitionem evitare, aut ab ea liberari cupit, 1. *Deum recte cognoſcat*, Act. XVII. 23. præſertim ex verbo ſuo, quod nobis traditum eſt, ut, quid ſit, quid fecerit, & quomodo coli velit, intelligamus; 2. *Cogitet, quam periculoſum ſit*, cultum exercere, qui Deo diſplicet, eumque ſemper in hoc verſari periculo, qui religionis ſuæ rationem reddere neſcit; 3. *Perpendat, multos fuiſſe impoſtores*, & ultimis temporibus plures adhuc venturos eſſe, qui homines ad fictos cultus ſeducerent, & qui omne lucrum caperent ex ſectatorum ſtupiditate & ignorantia; 2. Pet. II. 1. 2. 3. 4. *Revelentur variæ fraudes* eorum, quos ſequuntur, ut præjudicium auctoritatis abjiciant, oſtendatur abſurditas quorundam cultuum, & meliora doceantur ex verbo Dei.

Qui cultum internum ab externo se-
rant, quandoque de industria id agu-
non ut Deum colant, sed tantum ut e-
colere videantur. Hoc hominum ge-
HYPOCRITAS appellare solemus. Matt.
VI. 16. Cum ergo illi tantum speciem
famam pietatis coram hominibus quæra-
ipsam vero pietatem non curent, 1. *hyp-
critæ* solis actionibus, ad externum cultu-
pertinentibus, vacant; Matth. XXIII. 2
26. 2. *Simulata* hac pietate gloriam a-
aliud quoddam lucrum sibi comparare st-
dent; Matth. VI. 26. XXIII. 14. 3. *E-
præcipue* actiones edunt, quibus singular-
pietas inesse videtur, & communia Chri-
stianorum officia negligunt; Matth. XXIII.
14. 15. 23. 24. 4. *Rigidissimi* sunt mo-
rum censores, magis tamen in levioribus
& traditionibus humanis hærent, quam in
gravioribus & præceptis divinis; Matth.
XXIII. 16. seqq. Luc. XVIII. 12. 5. *In-
firmitates* fratrum suorum facile animad-
vertunt, & de illis inclementer judicant,
sua vero delicta, licet teterrima, non vi-
dent, aut excusant; Luc. VI. 41. 42.
XVIII. 11. 6. *Pessimos* fines prætextu re-
ligionis sectantur; Luc. XX. 20. 7. *Gra-
vissima* peccata, quæ committunt, summa
pietatis officia esse, audacter obtendunt;
Jes. VII. 12. 8. *Verbum* & nomen Dei
semper in ore habent, quod utrumque ta-

men

men in corde suo improbe contemnunt. Ps. L. 16. 17. Quamquam hoc vitium gloriæ divinæ derogare non videatur, cum nemo aliorum corda scrutari possit, sed homo de sensu & affectu alterius ex operibus tantum externis judicet, abominabile tamen peccatum contra Deum est, a quo quisque sibi cavendi gravissimas causas habet. Nam 1. *Christus* omne genus malorum hypocritis minatur, repetitis vicibus exclamans: Væ vobis, o hypocritæ! Matth. XXIII. 13. seqq. 2. *Deus*, qui ipse est Deus veritatis, diligit veraces, & odit mendaces. Ps. V. 7. XV. 1. 2. LI. 8. Nulla autem veritas est in hypocrita, sed quicquid agit, fraudulenter agit, & turpiter mentitur. 3. *Hypocrita* in corde suo blasphemat Deum. Dum enim externe quidem eum colere videri vult, vere autem eum non colit, aut non credit, Deum existere, aut negat, eum interiora cordis nosse, aut putat, externis operibus Deum contentum esse, aut denique nihil curat judicium Dei de se suisque factis. Quicquid horum sit, Deum imperfectionis arguit. 4. *Honorem*, quem Deo debet, illi rapit, & totum in se ipsum devolvit hypocrita. Ratio enim, cur se Deum colere externe simulet, non est, ut Deus glorificetur, sed ut ipse pro homine pio & sancto habeatur, ab aliis propterea æstimetur, aut

aliud quodcunque lucrum inde percip
quasi externus cultus in commodum &
tilitatem hominis institutus esset. 5.
primis autem gravissime peccat, quod s
ctissimis rebus, cultu nimirum divino, u
utatur ad occultandos fines malos, ad c
cipiendum proximum suum, ad celan
peccata commissa & adhuc committe
da. &c. 6. *Totum* Dei cultum, omne
que pietatem prodit, ac contemtui exp
nit, si forte impietas cordis, externa p
tatis specie hactenus tecta, aut peccata o
culta, & sub prætextu nominis divini co
missa, aliquando innotescant, quod no
raro accidere solet. Act. V. 1. seqq. VII
13. 18. seqq. 7. *Etiamsi* vero & tale qu
non esset metuendum, constat tamen, bo
num opus non tam in externa operis, quam
interna mentis conformitate cum lege con
sistere, (§. 41. Sch.) & Deum ideo rect
tudinem & bonitatem cordis exigere. 1. Sam.
XVI. 7. Prov. XXI. 2. XXIII. 26. Jer.
XVII. 10. 1. Thess. II. 4. At vero hac
interna bonitate caret hypocrita, quam-
quam alios credere velit, hanc sibi omni-
no inesse. 8. *Taceo*, hypocritam fictos
cultus quærere, si modo habeant speciem
pietatis, iniquum esse censorem proximi
sui, multosque simplices homines sua sin-
gularitate & simulatione seducere.

Denique fervori, quem postulamus, oppo-

ni-

nitur TEPOR, quo alias intelligi solet studium inefficax Deum colendi, seu ille affectus, quo homo in Deum & mundum simul fertur. Apoc. III. 15. 16. Hoc loco autem TEPOR nobis est studium remissius, Deo serviendi, atque evitari debet, *tum* propter mandatum Dei, Rom. XII. 11. *tum* propter excellentiam officiorum, quibus Deus immediate colitur, *tum* propter periculum, in quo versamur, cultum Dei ex amore & desiderio negotiorum mundanorum penitus negligendi, nisi vehementior affectus adsit, qui in Deum resque divinas tendit.

§. LXXII.

AMOR est dispositio voluntatis, ex ente quodam voluptatem capiendi. Solet autem voluptas ex cognitione intuitiva boni oriri, & quo majus est bonum, quo distinctior certiorque ejus cognitio, eo major adest ratio, in ente isto beneplacitum habendi, quæ simul infert obligationem, ens illud diligendi. (§. 35.) Cum ergo Deus tam in se, quam respectu nostrum sit summum bonum, christiani vero eum perfectissimo modo cognoscere debeant, (§. 70.) *dubium non est, quin obligati sint ad Deum super omnia diligendum.* Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. 1. Tim. I. 5. 1. Jo. IV. 19. Exserit se amor iste *1. In-* Amor Dei.

1. *Ingenti desiderio, de Deo rebusque d*
nis cogitandi & loquendi. Nam quo ma
est voluptas, quam ex ente quodam
pimus, eo crebrius & diligentius quoq
illius rei recordamur, eamque animo n
stro volvimus, & omnes cogitationes
eo defigimus. Ps. LXIII. 7.

2. *Magno gaudio, quod sentimus, dum D*
um contemplamur. Ps. XXXII. 11. XXXII.

3. *Efficaci studio, faciendi ea, quæ Deo p*
cent. Nam qui alterum diligit, nihil m
gis optat, quam ut & ipse ab eo diligatu
illique placeat, & summo studio sibi cave
ne eum forte offendat. Ferre enim no
potest, ut in eo aliquod tædium, tristiti
aut displicentia existat. Jo. XIV. 23. 1. Jo
II. 5. V. 3.

4. *Dispositione animi, propter Deum quæv*
etiam durissima patiendi. Nam qui calami
tates ægre ferret, aut prorsus declinare
vellet, etiamsi sciret, eas sibi ex voluntate
Dei & in honorem ejus perferendas esse,
in se ipso majus haberet beneplacitum,
quam in Deo, & hinc eum non diligeret
super omnia. Act. V. 41. XX. 24. Rom.
VIII. 35. sqq.

5. *Tanta acquiescentia in Deo, ut eo solo*
contenti simus, etiamsi rebus omnibus aliis no-
bis carendum esset. Nam qui Deum super
omnia diligit, eum etiam pro summo &
sufficientissimo bono habet. Hoc autem
qui

qui possidet, eoque fruitur, parum curat, si forte reliqua bona ipsi rapiantur. Unde hic amor perpetuam voluptatem ex Deo haustam operatur, quæ nulla jactura, nullo detrimento aut damno turbari potest. Ps. LXXIII. 25. 26.

6. *Summo gaudio, quod ex glorificatione nominis divini hauritur, & studio, eam quovis modo promovendi.* Quid enim illi, qui Deum super omnia diligit, jucundius, quid gratius & acceptius esse potest, quam gloria, laus, & honor objecti tantopere a se amati! Phil. I. 3. 4. 5. Col. I. 3. 4. 5.

7. *Tristitia & dolore, si quid aut a nobis, aut ab aliis peractum fuerit, quod in obscurationem gloriæ divinæ tendat, Deoque displiceat.* Voluptas enim, quam in aliquo objecto quærimus, & ex eo haurire cupimus, vehementer turbatur, si quid illi evenerit, quod improbat & aversatur. Exod. XXXII. 19. Jes. I. 4. Thren. V. 16. Dan. IX. 17. 18.

8. *Desiderio unionis cum Deo,* h. e. singularis ejus præsentiæ, & status, in quo Deum continuo participamus. Ps. XXV. 1. XLII. 2. 3.

Amor iste a nuda *amoris præsumptione* distingui debet, quam quis habere potest, cum sola Dei beneficia intuetur, & cogitat, eum amore nostro dignum omnino esse. Tunc enim facile sibi persuadet, se Deum

Deum amare, inprimis, quamdiu c
ex voto ipsi succedunt. At vero ha
mnia fieri possunt, licet non Deum,
beneficia ejus diligat. Verus Dei a
num adsit, ex criteriis in ipso
exhibitis dignosci debet. Et præ
monendus est homo, qui vanam a
Dei persuasionem habet, ut se ipsum
ploret, num tranquillam habeat consc
tiam, & Deo confidat, cum ejus infini
sanctitatem & justitiam, sua vero pecc
æterna morte digna, contemplatur;
in divinis legibus, quæ summum rigo
exigunt, & carni placere nequeunt,
bent beneplacitum; num mediis in cala
tatibus Deo & forte sua contentus sit;
Scilicet hominis, qui Deum diligit, to
mentem sic dispositam esse oportet, ut
Deo summam suam voluptatem, gaudiu
& acquiescentiam inveniat, quæ quid
dispositio eum quavis occasione data
edendos actus istos impellit. Unde &
mor non tam actus, quam dispositio & h
bitus est. Pro diversitate tamen actuu
& effectuum, quibus se exserit amor D
in varias species dispesci solet. Datu
namque AMOR DEI COMPLACENTIÆ,
quo designari videtur ipsa voluptas, quam
contemplatio Dei in homine parit; Datu
& AMOR CONCVPISCENTIÆ, qui est ap
petitus vehementior Deo fruendi. Frui-
mur

mur autem Deo, dum eo utimur in nostram voluptatem & felicitatem. Qui ergo Deum diligit amore concupiscentiæ, vehementer desiderat, non tantum ut ipse a Deo diligatur, sed etiam ut tota sua vita Deo placeat, & hinc studium, mandata ejus servandi, adhibet. Hinc oritur AMOR AMICITIÆ & OBEDIENTIÆ, qui a nonnullis ad amorem complacentiæ, rectius vero ad amorem concupiscentiæ refertur.

§. LXXIII.

Motiva Deum diligendi.

Ad Deum ita diligendum, quemadmodum oportet, *moveri* possumus,

1. *Perfectissima Dei natura*, quæ animo non potest non voluptatem creare, nisi mere sensualia & carnalia concupiscat; Ps. VIII. 2. Apoc. IV. 11. VII. 12.

2. *Infinito Dei amore*, 1. Jo. IV. 19. qui non tantum per conservationem, providentiam, ac gubernationem rerum omnium tam generalem quam specialem quotidie manifestatur, Ps. XVIII. 2. 3. sed inprimis per opus redemtionis declaratus est. Rom. V. 8. Hic amor eo magis amorem reciprocum generare debet, cum sit omnium maximus, vere infinitus & incomprehensibilis, nullo nostro merito aut lucro excitatus, quod ex nobis in eum redundare potuisset, nullis nostris demeritis, nullis diffi-

difficultatibus, nulla mediorum acer
te impeditus.

3. *Sic & ipsis Dei beneficiis, naturalibu
spiritualibus, hic amor erga Deum excitari
est.* Deut. XXXII. 6. seqq. Ps. CIII. 2. se
Luc. VII. 47. 1. Joh. IV. 19. coll. 10. (
enim ipsis beneficiis delectatur, eum &
beneficiorum collatore beneplacitum h
bere oportet.

4. *Ad eundem amorem nos movere potes
debet propositum & seria Dei voluntas, æter
felicitate nos donandi.* Rom. VIII. 17. 18. H
jus enim permagnæ rei cogitatio sic
gaudium & desiderium in nobis gignit,
& omnem amorem in tantæ felicitatis a
ctorem convertit.

5. *Nec parum adjuvat & auget hunc amore
certitudo, Deo cuncta dirigente nihil mali n
bis evenire posse. sed & ea, quæ noxia esse v
dentur, valde salutaria esse.* Rom. VIII. 28.

6. *Accedit certissima liberatio ab omnibu
malis, si quæ nobis, permittente Deo, ab alii
inferuntur.* Ps. CXXVI. 2. 5. 6. 2. Cor. I. 9.
10. 2. Tim. IV. 18.

7. *Quin & ipsarum legum divinarum boni
tas, præstantia, & sanctitas gravissimum moti
vum est, Deum diligendi.* Hæc legum divi
narum prærogativa toto Ps. CXIX. & alibi
celebratur. Omnes enim eo tendunt, ut
propria cujusvis felicitas promoveatur. Et
quamquam Deus suam quoque gloriam

harum

harum legum obſervantia manifeſtari velit, iis tamen cuncta ſic diſpoſuit, ut, ſi homo ad earum normam nomen Dei glorificet, ſuam ipſius felicitatem ſimul promoveat. Cum igitur ſummo jure gaudeat, legibus nos obligandi, quibuscunque voluerit, pro ſua tamen benevola propenſione in homines eas tantum tulerit, quibus propria noſtra felicitas continetur, hæc ipſa legum divinarum qualitas hominem ad diligendum Deum impellit.

8. *Denique Deus unicus fons, unicum principium eſt, unde homines veram felicitatem haurire poſſint.* Si qua enim dantur bona mundana, quibus homo ſe perfici poſſe credat, hæc tamen a Deo creata ſunt, & ejus gratia & potentia conſervantur. Sed bona hujus Seculi, licet & ipſa hominum commodis ex divina intentione inſervire debeant, multo tamen imperfectiora ſunt, quam ut ſpiritum noſtrum vere felicem reddere poſſent. Hinc ſolus Deus ens illud eſt, cujus cognitione, poſſeſſione, & fruitione veram & perennem felicitatem conſequi poſſumus. 1. Jo. III. 2. Et quantum hoc eſt motivum, Deum ſuper omnia, res vero omnes reliquas tantum propter Deum diligendi!

Cum quis Deum unice propter perfectiſſimam ſuam naturam diligit, ejus AMOR dicitur

PVRVS

PVRVS; cum vero & propter benefici accepta vel adhuc accipienda eum di IMPVRVS appellari solet. De cujus usque possibilitate & moralitate cum ta disputata sint, rem totam nonnullis spicuis assertionibus comprehendam.

1. *Potest & debet Deus diligi pro perfectissimam suam naturam.* Nam hæc summis maximisque perfectioni continetur, quarum consideratio volu tem in spiritu gratia Dei illuminato & stificato creare potest. Et quoniam D a nobis diligi debet, quantum fieri pot (§. 72.) sine dubio & hoc respectu a bis diligendus est. Conf. §. 73. num. 1.

2. *Sed nec debet nec potest propter h solam diligi.* Qui enim hoc solo respe Deum diligeret, suis conceptibus infin tam & absolutam Dei perfectionem amore Dei, quo nos complectitur, ab a tributis illis, quæ felicitatis nostræ pri cipium sunt, & a divinis promissionib separararet, atque ex illa sola Deum diligen di motiva peteret. Id vero qui ageret nec Deum, qualis & quantus est, nec e omnibus illis causis diligeret, ex quibu diligi potest & vult. (§. 73. num. 2-6.8.) Vanæ quoque tunc forent adhortationes scripturæ ad amorem Dei, quæ ipsius erga nos amore & beneficiis in nos collatis ni terenrur. Pf. V, 12. 13. 1. Jo. IV. 19. Imo

& gra-

& gratitudo, magnum illud officium, quod scriptura ubique urget, tunc prorsus caderet. Accedit, impossibile esse, ut quis Deum diligat, non habita felicitatis suæ ratione, cujus fons & principium solus Deus est. Sic enim condita est anima nostra, ut propriam suam felicitatem non possit non appetere & desiderare, atque ex iis omnibus voluptatem capere, quæ illam augent ac promovent. Si quis vero Deum unice ex hac causa diligeret, quia in se est ens perfectissimum, minime vero propterea, quia ipse a Deo diligitur, immensa beneficia ab eo accepit, & adhuc majora bona expectat, suam felicitatem non curaret, & perinde illi foret, sive a Deo conservaretur, sive perderetur. Ejusmodi amor tunc quoque locum haberet, etiamsi cogitaret homo, Deum sibi esse ens terribile, immisericors, odio plenum, sibique non nisi omne malorum genus ab eo metuendum esse. Quæ omnia impossibilia, contra Dei voluntatem, & hominis naturam esse, nemo non videt.

3. *Ergo amor ille purus merito rejicitur, & impurus commendatur.* Minus tamen congrue hic amor dicitur purus, si per eum intelligamus amorem, qui impuritate morali seu vitio laboraret. Non enim est vitium, Deum propter suum erga nos amorem, propter beneficia exhibi-

ta, propter ingentia in nos merita, p
pter ſalutem nobis promiſſam diligere,
ctius ergo amor *debitus* aut *promeritu*
ceretur, quam *impurus*. Idque eo ma
cum attributa Dei abſoluta propter con
xa relativa reſpectu noſtrum non ſint
na mere abſoluta, ſed ſimul relativa.

4. *Facile tamen in amorem illeg*
mum, aut potius meram amoris ſpec
degenerare poſſet, ſi Deus propter ſola
neficia diligeretur. Nam qui Deum
hac ſola cauſa diligit, non tam De
ipſum, quam ejus beneficia amaret, ide
que Deum non Dei, ſed ſui ipſius ca
diligeret, quod certe eſt ſe magis qu
Deum diligere. Neque ille ex omnib
quæ ad Deum pertinent, ſed ex ſolis b
neficiis ſeu ſtudio benefaciendi voluptat
caperet. Atque iſta omnia naturam am
ris Dei tollerent.

5. *Multo magis amor iſte reprehende*
dus eſt, ſi ſolis beneficiis temporalibus no
tatur. Quemadmodum enim, qui hoc
amore affectus eſt, bona terrena præfer
ſpiritualibus & æternis, ita & diſpoſitio
caret, in Deo acquieſcendi, & ſummum
ſuum beneplacitum in eo habendi. Ea
vero deficiente quomodo adeſſe poteſt a
mor Dei? Patebit hoc, ſi forte irruant ca
lamitates, & bonis hujus ſeculi privetur
homo, aut ſtudium veræ pietatis exigatur.

Hujus

Hujus generis amor, aut potius vana amoris præsumtio erat in Judæis, qui Christum propter panes acceptos quærebant, doctrinam vero ejus recipere nolebant. Jo. VI. 26. seqq.

6. *Itaque verus Dei amor cogitatione divini amoris, bonitatis, misericordiæ, beneficiorum & promissionum excitatur quidem, perfectissima vero ejus natura conservatur & perficitur, & in Deum utroque respectu nunquam separato tendit.* Qui amor si adfuerit, quælibet alia officia erga Deum generat, ut ex sequentibus patebit. Quam ob causam Salvator noster etiam testatur, summam totius legis esse amorem Dei. Matth. XXII. 37.

§. LXXIV.

Amor erga benefactorem, ut talem, dicitur GRATITVDO. Quodsi ergo Deus beneficiis nos auxit, atque nos propter illa Deum amare obligamur, gratum quoque animum illi debemus. Et quo majora & excellentiora ista sunt beneficia, eo gravior est Deum diligendi obligatio. Jam vero Deus toti humano generi infinita beneficia tam in regno naturæ, quam gratiæ exhibuit. Inprimis autem Christianis imputatum est meritum Christi, remissa sunt peccata, ipsique constituti sunt Filii Gratitudo.

Dei & hæredes æternæ vitæ, quod bene
eiorum genus in alios non cadit. (§.
Cum itaque & propter beneficia Deus
ligendus sit, (§. 73.) *dubium non est, q*
Christiani præ reliquis hominibus ad gratit
nem erga Deum obligentur. Ps. L. 14. XCIX.
C. 4. CV. 1. seqq. CVI. 1. 2. CVII. 1. De
XXXII. 6. Jes. I. 3. Jer. XXXIII. 11. L
XVII. 16. 1. Cor. XV. 57. Col. III.
1. Thess. II. 13. 2. Thess. I. 3. Eph. V.
Ut autem hoc officium rite præste
Deo,

1. *Illi gratias agamus pro omnibus ben*
ciis, Eph. V. 20. tam naturalibus quam sp
ritualibus, quibus & comparata & applic
ta nobis est æterna salus, cognitis & inco
gnitis, quin & pro iis, quæ in alios De
contulit. 1. Thess. II. 13. 2. Thess. I. 3.

2. *Ex toto corde illi gratias solvamus*, quo
fit, dum,

a) quicquid boni in nobis est, Dei do
num esse agnoscimus; Gen. XXXII. 10.
2. Sam. VII. 18. seqq. 1. Cor. IV. 7. XV. 10.
2. Cor. III. 15.

b) nostram indignitatem coram illo
profitemur; Gen. XXXII. 10. Job. VII. 17.
Ps. VIII. 5. CXLIV. 3. Matth. VIII. 8. 1. Cor.
XV. 9. 10.

c) de beneficiis istis gaudemus, iis con-
tenti sumus, & Deum ex animo propter-
ea

ea diligimus; Ps. XVIII. 2. Luc. I. 46. seqq. 2. Cor. XII. 9.

d) iis utimur in bonum finem, ab ipso Deo intentum; 1. Cor. XV. 10.

e) ea corde & ore prædicamus, & si possibile foret, ad ea aliquid referre desideramus; Ps. CXVI. 12. seqq. CXLV. 5. seqq.

f) et in mediis calamitatibus beneficiorum divinorum recordamur, easque propterea patienter toleramus. Job. I. 21. II. 10.

3. *Et hunc gratum animum Deo declaremus per Dominum nostrum Jesum Christum*, Rom. VII. 25. Col. III. 17. h. e. agnoscamus, & firmiter credamus, omnia bona nobis propter Christum evenire, qui gratiam Dei suo merito nobis comparaverit.

4. *Denique hoc peragamus semper*, Eph. V. 20. h. e. ita simus dispositi, ut studium & habitus Deo gratias agendi semper in nobis conservetur, & quavis data occasione per actus animæ & corporis erumpat.

Excitari potest hæc gratitudo erga Deum 1. *Si cogitemus*, quicquid fidelibus evenit, a singulari Dei providentia dependere, & in illorum commodum ac utilitatem tendere, Rom. VIII. 28. ne ipsis quidem calamitatibus exceptis, quæ sunt paternæ castigationes; Ebr. XII. 5. seqq. 2. *Si perpendamus*,

damus, quicquid boni in nobis & vitæ nostra esse ipsi intelligimus, donum Dei e cujus etiam beneficio tot miseriæ a nob removerentur, quibus alios premi vi mus: Atque hunc in finem præstat, s gulas vitæ nostræ periodos sæpius discu re, nostram conditionem cum aliorum longe infeliciorum statu comparare, bo & mala, quæ nobis acciderunt, ponde re; &c. 3. *Si beneficia* in regno gra exhibita, quibus æterna salus nobis co parata est, diligenter & serio meditem attendendo tum ad magnitudinem ips rummet beneficiorum, tum ad immensit tem amoris divini, unde suam habent or ginem, tum ad gravitatem & acerbitate medii, quod adhiberi debebat; Rom. V. VIII. 32. 4. *Si & ea consideremus* bene ficia, quibus meritum Christi nobis appli catum est, quibusque facta applicatione fruimur, regenerationem nimirum, justifi cationem, remissionem peccatorum, co optationem in filios Dei & hæredes salu tis, unionem cum Deo, inhabitationem Sp. S. &c. Tit. III. 5. Rom. VIII. 16. 17. 1. Jo. III. 1. 5. *Si indignitatis* nostræ rationem habeamus, quæ tum ex naturali nostra corruptione, tum ex affectata ma litia patet, qua bona spiritualia nobis be nignissime oblata aliquamdiu sprevimus, & gratiæ Sp. S. restitimus; Rom. II. 4. IX. 22.

6. De-

6. *Denique si turpitudinem* ingrati animi ante oculos habeamus, quo & Deus graviter offenditur, & beneficia accepta perduntur, & ira Dei ad vindictam excitatur. Deut. XXXII. 6. Jes. I. 3. seqq. Jer. II. 5. seqq. Ezech. XVI. 6. seqq. 2. Tim. III. 2. Quo crebrius & efficacius istæ meditationes in animo renovantur, eo magis homo ad gratitudinem erga Deum disponitur.

§. LXXV.

ABNEGATIO SUI IPSIUS est serium & efficax propositum, ea, quæ nobis grata & accepta sunt, propter Deum negligendi. Negligimus autem ea propter Deum, cum his rebus omnibus carere malumus, quam aliquid peragere, quod est contra Dei voluntatem. Qui ergo se ipsum non abnegat, ille Deum offendere mavult, quam iis rebus privari, quæ ipsi alias sunt grata & accepta. At vero id fieri nequit, nisi homo ex se ipso majorem capiat voluptatem, quam ex Deo, & hinc se ipsum magis diligat. Cum itaque Deus super omnia a nobis diligendus sit, (§. 72.) sequitur, *hominem, & inprimis Christianum, se ipsum abnegare debere.* Matth. XVI. 24. Marc. VIII. 34. Luc. IX. 23. Hæc autem abnegatio supponit, impossibile esse, ut simul & Deo officium præstetur, & bonum Abnegatio sui ipsius.

aliquod retineatur. Quod quamvis de bo
nis terrenis quandoque verum sit, tam
respectu æternæ salutis nunquam accide
potest. Nam si homini propter cultu
Dei æterna felicitate aliquando carendu
esset, aut ipse Deus homines propter ha
pietatem ab ea excluderet, aut in hom
num potestate foret, alios homines pr
pter studium Deo serviendi in æternu
perdere. Deum homines, qui eum c
lunt, propter hoc ipsum reprobare & d
mnare, qui cogitaret, eum sine dubio m
gna contumelia afficeret. Unum vero ho
minem alterum æterna vita privare poss
& in se absurdum est, & scripturæ contra
rium. Matth. X. 28. Ergo

1. *Abnegatio sui ipsius nunquam involvit, ut quis æternæ suæ saluti nuntium mittat, & propter Deum aut in ejus gloriam damnum velit.*

2. Quicquid boni cogitari aut homini evenire potest, si cum æterna felicitate comparetur, certe est bonum minus, & si haberi haud posset absque dispendio sa
lutis, foret bonum apparens. Matth. XVI. 26. Atque hujus generis esse puto, quæ propter Deum quandoque negligi debent. Nullum enim datur pietatis officium, quod, si adimpleretur, hominem æterna vita privaret. Quin potius cum æterna salus cum cultu Dei semper connexa sit,

bonum

bonum illud, quod propter Deum abjiciendum est, ita comparatum esse oportet, ut nec salvâ salute retineri posset. *Ergo qui se ipsum abnegat, tantum bonum minus aut apparens negligit, ut majus & verum bonum conservetur.* Matth. XIX. 29. Rom. VIII. 18.

3. *Ad hæc bona non tantum pertinent voluptates sensuales, quibus nobis sæpe carendum est, ut legem Dei servare possimus*, Rom. VI. 12. 13. *sed etiam alia bona terrena, qualia sunt conjuges, liberi, amici, opes, honor, dignitas, quin & ipsa vita.* Matth. V. 29. 30. X. 37. 38. XVI. 24. 25. XIX. 21. 29. Luc. XIV. 26. 27. His enim bonis non semper frui possumus, nisi in aliquam Dei offensionem consentiamus, &, quod illi præstari debet, officium deseramus. Quod si acciderit, Christianus, qui Deum super omnia diligit, ita dispositus esse debet, ut his rebus omnibus carere malit, quam malum aliquod in Deum committere. Act. XXI. 13. Ebr. X. 34.

4. Quia vero jactura bonorum hujus vitæ, sive sint apparentia, sive vera, licet comparative minora, malum est, atque omne malum dolorem parit, qui eo vehementior est, quo majus est malum, quod sentimus, *abnegatio sui ipsius non est sine intensissimo mentis dolore*, unde & cum CRUCIFIXIONE comparari solet. Rom. VI. 6. Gal. II. 19. V. 24. VI. 14.

5. Caute tamen hac in re proced dum est. Non raro enim accidit, ut se ipsum affligat, seque suosque, & res negligat, ex opinione cultus divini, h opus, quod peragit, nullus sit cultus D Hoc institutum Deo placere nequit. N & ipse nos diligit, & vult, ut ipsi nos d gamus, nostræque felicitatis rationem beamus. Quod qui negligit, cum nulli obstat officium Deo præstandum, sine bio male agit. *Vera igitur abnegatio ipsius supponit, vere adesse officium erga De quod sine jactura bonorum terrenorum adim ri non possit.* Mich. VI. 6. 7. 8.

Desiderium, æternam damnationem prop Christum subeundi, impossibile est, & Deo æque indigna, ac votum, ut omn homines perirent propter Christum, v prævia incredulitate finali, vel sine ill Unde ad abnegationem sui ipsius referri quit. Nec obstat votum Pauli Rom. IX 3. qui optasse videtur, ut in æternum re jectus esset a Christo, si hoc pretio an mas fratrum suorum redimere posset. Nam ἀνάθεμα hoc loco significat *rem ex itio & morti*, non æternæ, sed temporali, dolorosæ tamen & execrabili, *destinatam.* Et voc. ἀπὸ non principium aut alterum unionis extremum, sed *causam efficientem* denotat. Quare Apostolus se non re-

pugna-

pugnaturum esse, sed potius serio optare, testatur, ut a Christo durissimo & abominabili mortis generi destinaretur, si hoc medio sanari & conservari posset gens judaica. Votum itaque emittit, quale a pio homine fortassis concipi posse, alibi dixerat. Rom. V. 7. Ut vero hæc abnegatio facilius procedat, 1. *cogitandum est*, hominem, qui eam exercet, tantum bonum majus minori, verum apparenti præferre; sola enim transitoria hujus vitæ bona negligi, ne quid fiat, quo æterna animæ salus impediri posset; 2. *perpendendum*, nihil profuturum homini, sed potius irreparabile damnum illaturum esse, si inconstantia illa bona brevi tempore retineret, anima vero in æternum periret; Matth. XVI. 26. 3. *Stolidum esse*, bona, cum offensione Dei, retinere velle, quæ sunt in manu Dei, & forte eo ipso tempore, quo jactura æternæ felicitatis conservare volumus, ex justo Dei judicio nobis adimuntur; Matth. X. 28. XVI. 25. 4. *Turpe etiam esse*, bonorum terrenorum jacturam Dei causa facere nolle, qui tamen ex amore prorsus immerito unigenitum suum filium pro nobis in mortem tradidit, & cujus sunt bona ista, quæ in honorem ejus reddere debemus; Jo. III. 16. Rom. V. 7. 8. 9. 5. *Glorioſum esse*, ad quid Dei causa pati; Act. V. 41. 6. *Denique & magnam*

gnam utilitatem afferre, cum quic
propter Deum patimur, infinitum in
dum compensari debeat. Matth. XIX.
29. Rom. VIII. 17. 18.

§. LXXVI.

Timor Dei. TIMOR DEI est noluntas, aliquid ag
di, quod Deo displicere novimus. Ra
hujus noluntatis est aut cogitatio, qu
Deus hanc vel illam actionem averse
aut consideratio pœnarum, quæ inde
tuendæ sunt. Priori casu FILIALIS, po
riori SERVILIS timor appellatur. C
ergo Deus a nobis super omnia diligend
sit, (§. 72.) atque hic amor sese exse
tum efficaci studio, faciendi ea, quæ D
placent, (§. cit. num. 3.) tum tristitia
dolore, si quid a nobis peractum fuer
quod Deo displicet. (§. cit. num. 7.) I
quitur, *hominem, & inprimis Christianu
ad timorem Dei obligari.* Eccl. XII. 13. M
I. 6. Jer. II. 19. 1. Pet. II. 17. Apoc. XI
7. Sed

1. *Hunc timorem oportet esse filialem.* Qu
enim Deum ex toto corde diligit, ille sol
consideratione, quod aliqua res Deo di
spliceat, movetur, ut eam nolit & averse
tur. (§. 72. num. 3. 7.) Hæc autem no
luntas est timor Dei filialis. Ergo cum
Deus super omnia diligi debeat, (§. 72.)
& hic

& hic amor a nullo officio separari possit, timor noster esto filialis. Quando igitur scriptura timorem Dei urget, & nihilo minus testatur, spiritum timoris non esse in fidelibus, Rom. VIII. 15. 2. Tim. I. 7. sine dubio timorem servilem a filiali distinguit.

2. Qui aliquid ex hac causa aversatur, quia Deo displicet, ille hanc displicentiam Dei pro malo habeat, necesse est. Malum autem a nemine reputari potest, nisi qui amorem Dei erga se ut summum suum bonum desiderat. Nam cui perinde est, sive a Deo diligatur, sive non diligatur, ille hac consideratione, quod Deus aliquod actionum genus oderit, non movebitur ad illud aversandum & fugiendum. *Ergo timor filialis in eo tantum esse potest, qui a Deo amari, & cum eo uniri cupit.*

3. *Minime tamen timor servilis in totum improbandus est.* Cum enim pœnæ in se sint ratio sufficiens, actionem nolendi, quam pœna sequitur, atque Deus hunc quoque in finem pœnas comminatus sit, ut homines a malo sibi caverent, Gen. II. 17. Exod. XX. 5. Jer. II. 19. homo autem omnibus motivis uti possit & debeat, quibus concupiscentiæ pravæ coerceri possint, justum omnino est, ex hac quoque causa malum aversari, quia punitur a Deo. Eccl. XII. 13. 14. Jer. XXVI. 18. 19.

4. Qui

4. Qui Deum timet, ea non vult, q ipsi displicent. Quid autem Deo plac vel displiceat, satis declaratum est divi legibus. Scilicet si omittatur, quod pr cepit, & committatur, quod prohib semper aliquid peragitur, quod Deo gratum est. Hujus generis actiones cuntur peccata. (§. 43.) *Ergo timor involvit studium efficax, ab omni peccato cavendi, & quidem ex hac ratione, quia displicet.* Prov. XIV. 2. 16. VIII. 13. Qu quidem studium majus esse debet, qua ut peccati dulcedine, aut commodis hu jus vitæ cum peccato connexis vincatu Gen. XXXIX. 9.

Timor servilis si solus sit, solo pœnarum me tu homo ad aversandum peccatum move tur. Talis autem timor Christianum no decet. Nam & nunquam efficit, ut in peccato beneplacitum habere desinat, & est sine amore Dei, & animum hominis odio adversus Deum implet, & affectum filialem erga Deum ut benignissimum pa trem expellit. Atque ex his causis Apo stolus dixisse videtur, *justo legem positam non esse.* 1. Tim. I. 9. Scilicet de com minationibus legis loquitur, quibus non justi, sed impii terreri deberent, ut pruri tus peccandi aliquo modo coerceretur. Sed si ad filialem accedat, non video, cur impro-

improbari debeat. Potest utique & debet homo fidelis consideratione pœnarum uti, ut ea ad non peccandum eo fortius impellatur. Nam & homo manet, ideoque rationibus ad naturam mentis humanæ compositis movendus est; & caro insurgit contra spiritum, cujus vehementia nulla re magis compescitur, quam pœnarum repræsentatione; & Deus populo suo tam bona quam mala proposuit, ut utriusque consideratione ad legem servandam obligari se pateretur. Videtur autem timor servilis non amplius esse servilis, si ad eum accedat filialis. Servi enim, a quibus petita est denominatio, non curant amorem dominorum. Solo pœnarum metu in officio continentur. Quod si tamen accedat filialis, hic semper potior esse debet servili. Nam amor Dei est omnium officiorum mater, & qui hoc principio non movetur, reliquis officiis non recte fungi potest. MOTIVA, quibus animus ad pietatem dispositus excitari potest ad timorem Dei, sunt 1. *Dignitas personæ*, quam timere jubemur; Jer. X. 6. 7. Apoc. XV. 4. 2. *Sanctitas legis divinæ*, quam servare tenentur, qui Deum timere volunt; Ps. XIX. 8. 3. *Magna felicitas eorum, qui Deum timent.* Ps. XXXIV. 8. 10. 12. seqq. Nam amore & protectione Dei fruuntur, quod bonum qui possi-

possidet, nullo felicitatis genere ca
potest. Ps. XXIII. 1. seqq. 4. *Grati*
do, quam Deo pro tot beneficiis debe
& quam non nisi timore Dei declar
possumus. 5. *Prudentia*, quam in tota
sua exercet, qui Deum timet. Ps. CXI.
Prov. IX. 10. Nam ille legem Dei s
per ante oculos habet, eamque servat,
iamsi nulla hujus vitæ commoda speret
lucretur. Lex autem Dei ita compar
est, ut, qui eam sectatur, optimum s
per eligat, & ad fines consequendos apt
simis mediis utatur. Quod qui facit, s
dubio prudenter agit. Hinc & prude
esse prædicatur, qui legem Dei serv
Prov. XXVIII. 7. Homo enim non se
per novit media, quibus fine suo pot
possit. Non semper intelligit, quid utile
& salutare sit. Suam igitur opinione
si sequeretur, a recta via quam longissim
aberraret. Sed nunquam errabit, si a
legem divinam actiones suas componat,
licet hoc ipsi non raro nimis periculosum
videatur. 6. *Damnum*, quod ex negle-
cto timore Dei oritur. Tunc enim homo
non tantum amorem Dei perdit, & unio-
ne cum eo excidit, sed etiam suo tempore
gravissimis pœnis certissime affligetur.
Jer. II. 19.

§. LXXVII.

§. LXXVII.

Hic Dei timor simul involvit obedientiam erga eum. Est enim OBEDIENTIA studium, faciendi & omittendi ea, quæ alter fieri & omitti vult, & quidem ex hac causa, quia hæc est voluntas alterius. Jam qui Deum timet, aversatur ea, quæ Deo displicere novit, & si timore filiali eum timet, sola voluntatis divinæ consideratione movetur, ut faciat, quod Deus vult, & non faciat, quod non vult. (§. 76.) Cum igitur Deus a nobis timeri debeat, (§. cit.) & præterea sola Dei voluntas Christianorum sit fortissima obligatio, (§. 36.) sequitur, *omnem obedientiam Deo præstandam esse.* Hinc & obedientia tantopere commendatur in scriptura, 1. Sam. XV. 22. 23. & ab hominibus severe exigitur. Exod. XV. 26. XIX. 5. Deut. XXX. 2. 8. 10. Eccl. XII. 12. 13. Jes. I. 19. 20. Jer. VII. 23. Ut autem ea Deo præstetur, quemadmodum oportet,

Obedientia Deo præstanda.

1. *Christiani diligenter explorent leges divinas, & quicquid legum habet rationem, veluti adhortationes, promissiones, comminationes, exempla Christi & sanctorum, atque hæc omnia probe perspecta habeant.* Rom. XII. 2. Eph. V. 17. Qui enim legem Dei ignorat, aut non recte tenet, quomodo eam servare poterit?

2. *Omnem operam det, qui Deo obedi-tiam præstare vult, ut in divinis legibus hab beneplacitum.* Ps. I. 2. CXIX. 70. 72. enim lex Dei non placet, is forte exter quidem legis opera peraget, animum ve legi conformem non habebit, qui tam moralitatem formalem & hinc potiore actionis bonitatem constituit, (§. 41.) quo deficiente omne studium legem s vandi mera est hypocrisis. (§. 71.) Pot autem hoc beneplacitum in homine chr stiano facile conservari & augeri, si cog tet, leges istas a benignissimo & sapient simo legislatore, imo vero potius a Pat ex paterno affectu latas esse, & hinc i veram nostram felicitatem tendere, si in ternam legum bonitatem, sanctitatem & præstantiam contempletur, & si ad ipsum attendat, quanta animi acquiescen tia, conscientiæ tranquillitate, veraqu felicitate fruitus sit, quamdiu legem De servaverit. Matth. XI. 29. 30.

3. *Ad se ipsum probe attendat, occasionum agendi, circumstantiarum, & naturæ actionis rationem habeat, eamque ad normam legis divinæ diligenter examinet, antequam aliquid agere decernat.* Hæc est illa ἀκρίβεια, quam Paulus Eph. V. 15. commendat & qua neglecta homo ex ignorantia vel præcipitantia multum peccaret.

4. *Præstat etiam, propositum suum, Deo ser-*

vien-

viendi, *sæpe renovare*, Ps. XVII. 3. XXXIX. 2. quod fieri potest crebra recordatione rationum, quibus mandata Dei servare obligamur.

5. *Oportet autem hanc obedientiam extensive, protensive, & intensive perfectam esse.* EXTENSIVE lex Dei servatur, cum omnibus præceptis delectamur, omniaque servare studemus. Hujus rei necessitas patet tum ex mandato divino, Jac. II. 10. 11. tum ex hac ratione, quia, qui unam legem transgreditur, non facit ea, quæ Deus fieri vult, nec voluntatem Dei tanquam actionum suarum normam sequitur, & hinc Deo est inobediens. Accedit divina comminatio, maledictum esse, qui non *omnia verba legis* servaverit. Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. PROTENSIVE perfecta est nostra obedientia, cum per universam vitam continuatur. Quod qui non agit, denuo peccatis immergitur, remissionem, quam habebat, perdit, & ex statu gratiæ excidit. Ezech. XVIII. 24. Imo longe periculosius est, a studio pietatis desciscere, quam illud nunquam exercuisse. 2. Pet. II. 20. 21. Denique INTENSIVE Deo obeditur, cum id tanto ardore, beneplacito, & zelo fit, quantum lex exigit. Ad hanc partem obedientiæ Deo præstandam vel hæc unica ratio nos obligat, quod eum ex

toto corde & ſuper omnia diligere de
mus. (§. 72.)

6. *Ex hac ipſa cauſa neceſſe eſt, ut De
gis obediamus, quam hominibus.* Act. IV.
V. 29. Fieri namque poteſt, ut hom
quibus alias obedientia debetur, q
quam præcipiant, quod Deus prohib
In hac officiorum colliſione illud pr
rendum eſt, cujus adimplendi major
fortiora motiva adſunt. (§. 39.) At n
ſine dubio graviora adſunt motiva, D
obediendi, quam hominibus. Nam
eſt ſupremus omnium legislator, & ab
ſolo leges hominibus latæ ſuum habe
valorem & ſtabilitatem; (§. 36. num.
ille magis diligendus & timendus e
quam omnes reliquæ creaturæ; (§. 72.
illi ab omnibus aliquando reddenda e
ratio; Eccl. XII. 13. Matth. XVI. 27.
præceptum humanum, cum divino rep
gnat, nullam habet obligationem. (§. 3
num. 4.) Ergo obedientia erga Deum m
rito præferenda eſt obedientiæ hominibu
præſtandæ. Matth. X. 28.

7. *Denique hæc obedientia ſancte præſtetur
etiamſi nullum lucrum, ſed potius magna da
mna & pericula in nos redundare putemus.*
Equidem nihil mali vere metuendum eſt
cum Deo fideliter obedimus. Fieri ta
men poteſt, ut id metuendum eſſe appa
reat. Quod ſi acciderit, eo magis alla
boran-

borandum est, ut voluntati divinæ satisfaciamus. Tunc enim solo præstantissimo motivo, h. e. solius voluntatis divinæ consideratione & solo ejus amore ad obediendum movemur, quod non impossibile esse, exemplum Abrahami nos docet. Gen. XXII. 2. seqq.

Perfecta illa obedientia, quam urgemus, licet in hac vita possibilis non sit, necessaria tamen est ex lege divina, & homo hanc perfectionem consequi tenetur, quantum per gratiam Dei fieri potest. Ad hoc studium promovendum non parum facit 1. *cognitio*, hominis christiani esse, universum Dei verbum non tantum scire, sed etiam ut normam vitæ & actionum suarum recipere; Rom. II. 13. Jac. I. 22. 2. *Sensus* propriæ impotentiæ & defectus virium, quo non tantum temeraria perfectionis præsumtio pellitur, sed & homo coram Deo humiliatur; 3. *certitudo*, Deum vires nobis conferre velle, legem servandi, quantum humana imbecillitas patitur; 4. *Seria* & fiduciæ plena invocatio Dei, ut nobis spiritum timoris & obedientiæ largiri velit. MOTIVA, Deo obediendi, eadem fere sunt, quæ animum ad timorem Dei disponunt & excitant. (§. 76. Sch.)

§. LXXVIII.

Fiducia.

FIDVCIA est gaudium vehementius bono quodam futuro perceptum. Et ha fiducia in aliqua persona collocatur, cu certi sumus, bonum illud ab hac perso nobis expectandum esse. Quemadmo dum ergo ex cognitione boni oritur vol ptas, cujus major gradus gaudium dici let, ita & ratio ac motivum adest suffi ens, in aliqua persona fiduciam suam co locandi, si per eam bona futura certo bis consequenda sint. Et quo major sunt bona ista, quo certius impetrari po sunt, & quo major hujus rei in nobis e aut esse debet convictio, eo gravior e causa fiduciæ in persona ista collocanda. Jam vero Deus per omnipotentiam suam cuncta bona, terrena & cælestia, nobis largiri potest. Infinita quoque est ejus bonitas, ut creaturas suas perficere, omnibusque beneficiis ornare velit. Et quamquam peccatis hominum impediatur, quo minus bonitatem suam exercere possit, tamen cum Christiani habeant peccatorum remissionem, (§. 32.) atque hinc impedimentum illud sublatum sit, quo solo beneficiorum divinorum fontes obstruuntur, illi certi esse possunt, quævis bona a Deo sibi expectanda esse. Auget hanc certitudinem multiplex promissio, qua Deus se

fide-

fidelibus nunquam defuturum, nunquam eos neglecturum, sed potius cuncta, quibus opus haberent, illis daturum esse pollicetur. Jer. XXXI. 33. Jer. XLIX. 14. 15. 16. Ps. XXXVII. 4. Rom. VIII. 32. Ebr. XIII. 5. *Ergo etiam summam in Deo fiduciam collocare obligantur.* Ps. XXXVII. 3. 5. XVIII. 31. CXVIII. 8. 9. Ebr. X. 35. Quæ quidem obligatio tanto gravior est, quo magis hæc fiducia, qua Deo adhæremus, divinam omnipotentiam, bonitatem, sapientiam, providentiam, rerumque omnium gubernationem declarat, diffidentia autem hæc Dei attributa obscurat. Cum enim illustratio gloriæ divinæ omnium officiorum scopus sit, quibus Deus a nobis colendus est, (§. 69.) illud inprimis negligi non debet, quod præ reliquis in honorem Dei tendit, quodque negligi non potest sine manifestissima gloriæ divinæ obscuratione. Involvit autem hoc officium,

1. *Ut non dubitemus de auxilio divino & felici rerum nostrarum successu.* Rom. VIII. 38. 39. 2. Tim. I. 12.

2. *Metus, quem forte imminentia mala & pericula nobis incutiunt, ita temperandus est, ut spes in Deo posita metum malorum futurorum vincat.* Jes. VII. 4. seqq. XXXV. 4. XLI. 10. 14. Equidem metus ab iis, qui Deo confidunt, merito prorsus abesse deberet. Quia vero sunt homines, qui hanc infirmita-

mitatem evitare nequeunt, tantum ope
danda est, ut spes ac fiducia in Deo m
jor sit metu opposito. Hic enim met
si prævaleret, & sic in DIFFIDENTIAM ab
ret, homo crederet, & se credere dec
raret, aut potentiam aut voluntatem, a
xilium in hisce necessitatibus ferendi, D
deesse, aut, si forte malum hoc non d
pelleret, illud vera felicitate homine
privaturum esse, quæ nec restitui n
compensari ullo modo posset. Quicqu
autem horum cogitet, certe honori di
no derogat, & gloriam ejus obscurat.

3. *Soli Deo confidendum est.* Illi namqu
soli confidimns, cum omnis boni collatio
nem, & in quibuscunque necessitatibu
& periculis auxilium ab eo solo expecta
mus, &, quæ causarum secundarum op
nobis eveniunt aut evenire possunt bona
ipsius beneficio & providentia nobis con
tingere, persuasi sumus. Qui ergo soli
Deo non confidit, in hominum auxilio, in
opibus, in sapientia & potentia propria,
aliisque rebus mundanis totus acquiescit.
Hoc ipso autem corde suo negat, Deum
primum omnium bonorum auctorem esse,
cuncta ipsius sapientia, bonitate, & poten
tia gubernari, atque res omnes in ejus ma
nu esse, sic ut eas conservare & perdere,
iisque in nostram felicitatem & exitium
uti possit. Hanc rerum omnium guber-

natio-

nationem, soli Deo competentem, creaturis tribuit, eas magis colit & honorat, quam creatorem, & sic turpissimæ idololatriæ noxam contrahit. Impeditur etiam hac falsa fiducia, quo minus Deum adeat, & ab eo, quemadmodum oportet, auxilium petat. Cum ergo Deus multiplici modo offendatur, & gloria ejus obscuretur, nisi ipsi soli confidamus, apparet, quanti ponderis & momenti hoc sit officium. Hinc & fiducia in opibus & creaturis posita tantopere improbatur in scriptura. Ps. XLIX. 7. LII. 9. CXVIII. 8. 9. CXLVI. 3. Jer. XVII. 5. Et multa exempla ostendunt, misère periisse, qui rebus mundanis confisi sunt, in omnibus autem periculis & calamitatibus conservatos esse, qui soli Deo sua fiducia constanter adhæserunt. Conf. Ps. XX. 8. 9.

4. *Hæc autem fiducia se exserat in rebus corporalibus & spiritualibus, in temporalibus & æternis.* Ps. XLII. 6. 12. 1. Cor. X. 13. Scilicet Deus solus & hujus vitæ felicitatem & æternam animæ salutem nobis largiri & conservare vult & potest. Ille solus sua providentia omnia dirigit in nominis sui gloriam, &, nisi homo obstet, simul in ipsius felicitatem. Et quicquid decrevit, nulla ratione impediri potest. Ps. XXXIII. 9. Ergo & ab eo solo omne felicitatis genus merito expectatur.

5. *Fundamentum hujus fiduciæ esto Christ*
Ratio nimirum, ob quam Deum nob
propitium fore, suaque providentia in no
stram felicitatem cuncta gubernaturu
esse credamus, Christus ejusque meritu
esse debet. Naturalis enim nostra ad De
um relatio ita est comparata, ut non ni
quælibet mala hujus & futuri seculi ab e
nobis metuenda sint. Christus autem in
divinæ causas suo sanguine sustulit, De
nos reconciliavit, atque effecit, ut pecca
ta nobis condonare, nobiscum in gratia
redire, nosque in æternum felices redde
re possit. Quod beneficium cum grato
animo agnoscere debeamus, nec ullum
officium Deo placere possit, quod cum il
lius obscuratione aut negatione præstare
tur, necesse est, ut nostram indignitatem
coram Deo confiteamur, &, quicquid bo
ni ab eo expectamus, donum gratuitum
esse censeamus, quod intuitu solius Christi
meriti nobis contingeret. Hinc & Paulus
testatur, se per Christum Deo confidere,
2. Cor. III. 4. Et Christus per suum no
men precari nos jubet. Jo. XVI. 23. 24.

6. *Minime tamen negligendus est mediorum naturalium usus, quibus aliquod bonum impetrari, aut malum evitari vel removeri possit.* Cum enim Deus providentiam suam per naturales rerum nexus plerumque exerceat, & hominem variis mediis viribusque

que instruxerit, ut illis in suam felicitatem uteretur, ille, qui fine horum mediorum usu Dei auxilium expectaret, aliquid postularet, Deumque facturum esse præsumeret, quod ipsius sapientia indignum foret. Videtur etiam providentiam Dei in naturalibus rerum eventibus conspicuam negare, qui non nisi immediatum auxilium sperando fiduciam in Deo collocari posse putat. Quod cum Deo placere non possit, naturalibus mediis omnino utendum est, & sperandum, Deum sua gratia & rerum omnium gubernatione effecturum, ut salutares effectus inde proveniant. Hinc & labor ad acquirendas opes, Eph. IV. 28. sumtio cibi ad rerecuperandas vires, Act. XXVII. 33. 34. usus vini ad curandam sanitatem 1. Tim. V. 23. commendatur. Et stultitiæ signum esse, ipse Christus ait, prælium committere velle, nec prius cogitare, num copiæ sufficiant ad resistendum hosti. Luc. XIV. 31.

7. *Denique nec expectandum est auxilium, quod se laturum esse, Deus nunquam promisit.* Vana enim est fiducia, quæ verbo & promissione Dei destituitur. Hinc & Christus, tentatus a satana, ex alto præcipitem se dare nolebat. Matth. IV. 6. 7. Nulla enim aderat promissio, quod & in his viis Deum habiturus esset comitem.

Fidu-

Fiducia hoc loco aliter sumitur, quam in Art. de Justificatione, cum fides fiducia in Christi merito collocata esse dicitur. Exserit se virtus ista præcipue rebus in arduis, cum mala præsentia vel futura animum terrent. Nihilo tamen minus & absente periculo Deo confidere possumus, quamquam tunc facilius sit, in Deo & ejus providentia acquiescere. Nemo autem hoc officium Deo præstare potest, nisi qui in Christum vere credit, tum quia fiducia Christi merito, peccatorum remissione, & pace cum Deo niti debet, tum quia præcipuum ejus objectum sunt bona spiritualia & æterna. OPPONITVR huic fiduciæ 1. DIFFIDENTIA, quæ est metus ex opinione ortus, Deum nobis non adfuturum esse, aut quia nolit, aut quia non possit juvare. Hoc peccatum Israelitæ committebant in deserto. Num. XIV. 1. seqq. Ex hac diffidentia oriri solet *desperatio*, Gen. IV. 13. *superstitio*, 1. Sam. XXVIII. 6. 7. *fiducia in viribus humanis*. 2. Reg. XVI. 6. 7. coll. Jes. VII. 4. seqq. 2. VANA FIDUCIA, qua quis ex falsa persuasione singularis sanctitatis, purioris cultus Dei, aut aliarum prærogativarum putat, nihil mali sibi metuendum esse, cum tamen ob malitiam cordis pœnæ divinæ immineant. Ps. X. 6. Jer. VII. 4. 14. Mich. III. 11. 3. TENTATIO DEI, cum quis Deo mo-

dum

dum & tempus auxilii præscribit. Exod. XVII. 2. 4. *Desidia & securitas*, quam in nonnullis præpostera fiducia gignit, & quam verbis Christi ornare solent: Ne sitis solliciti de crastino. Matth. VI. 34. 5. *Temeritas*, qua quis se, ex falsa persuasione præsidii & auxilii divini, periculis sine omni necessitate exponit. Hæc extrema evitari poterunt, veraque in Deo fiducia collocabitur, si homo christianus crebro & diligenter cogitet, 1. *Deum esse omnipotentem*, summe bonum, omniscium & sapientissimum, qui possit & velit hominem juvare, ex omnibus periculis eripere, illique cuncta hujus & futuræ vitæ bona largiri; 2. *Eundem esse veracissimum*, qui non possit non promissa servare; promisisse autem, se fidelibus in omni necessitate adfuturum, eosque in æternum felices redditurum esse; Ergo non dubitandum, quin hæc omnia nobis sint eventura; 3. *Eum quoque universum mundum gubernare*, rebusque omnibus providere, hinc nos semper in oculis gestare, cuncta in salutem & utilitatem nostram disponere, calamitates, quæ forte imminent, prævidere, nosque adversus istas protegere, aut, si permiserit, earum mensuram determinasse, & in nostram felicitatem convertere posse; 4. *Ratione spiritualium* nosse eum nostras infirmitates,

gra-

gratiam ad fidem conservandam sufficientem suppeditare, nec permittere, ut supra vires, quas largitur, tentemur; 5. *Rationem temporalium* ea, quæ salutaria nobis esse omnium optime novit, ex paterno affectu nobis conferre velle, & vi potentiæ suæ largiri posse; 6. *Denique eum nobis semper præsentem esse*, miserias, pericula, & necessitates nostras videre, harum vero rerum omnium non nudum spectatorem esse, sed sapientia, bonitate, amore & benignitate cuncta disponere. Neque *hæc fiduciæ fundamenta concuti* possunt cogitatione, *nos esse peccatores*, ideoque amoris & auxilii divini indignos. Constat enim, Deum non secundum merita nostra, sed infinitam suam misericordiam nobiscum agere, unigenitum suum filium pro nobis in mortem tradidisse, & per eum nos sibi acceptos reddidisse, Ps. CIII. 8. 9. 10. CXXX. 3. Rom. VI. 20. VIII. 32. Eph. I. 6. inprimis autem fideles habere peccatorum remissionem, esse filios Dei, & accepisse pignus divinæ gratiæ. Rom. VIII. 16. 17. Eph. I. 13. Sic & *fiducia nostra impediri* non debet experientia, pios ac fideles multis calamitatibus vexari. Ista enim mala tantum habent speciem malorum, multa felicitatis nostræ veræ & in æternum duraturæ impedimenta removent, brevi transeunt, & infinitis præmiis compensan-

pensantur. Jo.XVI.20. Ebr.XII.11. Rom. VIII, 18.

§. LXXIX.

Mala, quæ a Deo immittuntur, & non habent pœnarum rationem, CRVX appellantur. Quæ cum adest, & sentitur ab homine, non potest non in ejus animo tædium & tristitiam excitare. Quemadmodum autem omne tædium maximopere limitatur opposito gaudio, quod ex bono præsente vel futuro, certo tamen eventuro, hauritur, ita & ea tristitia, quam crux parit, temperari potest, & debet, si homo christianus teneatur, semper gaudere, & quidem de bonis, quæ a Deo sibi expectanda esse certo novit. Cum ergo Christianorum sit, suam fiduciam in Deo collocare, h. e. omne bonorum genus ab eo expectare, & de iis gaudere, (§. 78.) dubium non est, quin & tristitiam suam sub cruce perceptam temperare obligentur. At vero hoc tristitiæ temperamentum per fiduciam in Deo collocandam dicitur PATIENTIA. *Ergo Christianis crux, quam Deus illis imponit, patienter ferenda est.* Prov. III. 11. Rom. V. 3, 2. Pet. I. 6. Ebr. X. 36. Jac. V. 7. Cui officio, in sacris literis summa cura commendato, ut satisfiat, Patientia.

1. *Homo diligenter scrutetur, num mala, quæ*

quæ ſentiat, ſint pœnæ peccatorum, an [illegible] *crux, qua Deus eum exercere velit.* Hoc [illegible] cile inveniri poteſt, ſi homo in ſe ipſu[m] deſcendat, conſcientiam ſuam explor[et] aut ad externas calamitatum ſuarum c[au]ſas attendat. Job. XXVII. 6. 2. Cor. V[I] 2. 4. 5.

2. *Non opus eſt, ut mali ſenſum & triſtitia[m] inde ortam prorſus ſupprimat.* Nam impo[ſ]ſibile eſt, hominem, qui ſibi ſtatus ſui co[n]ſcius eſt, malum non ſentire, aut, ſi ſe[n]tiat, non triſtari. Imo vero ex intentione Dei neceſſarium eſt, ut dolores ſentia[t] ſive afflictionibus carnem coercere, fi[des] fidem & fiduciam hominis explorare v[o]lit. Accedit, patientiam concipi hau[d] poſſe, ubi nullus dolor ſentitur. Hinc & Jobus non peccaſſe dicitur, cum, auditis ſuis calamitatibus, mœrore confectus veſtem laceraret, caput tonderet, & in terram ſe projiceret. Job. I. 20. 22. Quin obdurati peccatoris indicium eſſe, ſcriptura ait, ſi quis afflictiones ſuas non ſentiat. Jer. V. 3.

3. *Suam tamen triſtitiam temperet fiducia in Deo collocata*; Job. II. 10. Pſ. XLII. 12. XLIII. 5. Thr. III. 26.

4. *Hoc temperamentum involvit, ut homo ſibi caveat a temerariis judiciis*, ex. gr. ſe tot tantaque mala non promeruiſſe, Ezech. XVIII. 2. melius eſſe, non vivere, quam

tot

tot calamitates pati, Job. III. 1. seqq. aut nullum sibi supersesse solatium, *ut non quærat illegitima media, malum fugiendi, nec odium & iram convertat in eos, a quibus, Deo vel jubente vel permittente affligitur*; 2. Sam. XVI. 10.

5. *Verum potius justitiam Dei agnoscat, nomen ejus & mediis in calamitatibus celebret, & ab eo vires petat, cruci patienter ferendæ sufficientes.* 1. Sam. III. 18. Job. I. 21. II. 10.

6. Cumque Deus in nostris miseriis non habeat beneplacitum, neque homo suam felicitatem aversari, aut suis afflictionibus delectari possit, *patientia non impedit, quo minus media legitima quærat, & oblata adhibeat, malum, quod sentit, minuendi aut prorsus delendi.* Et quoniam Deus omnia in mundo gubernat, ac sine ejus voluntate nihil evenire potest, *eum præcipue precibus nostris adeamus, ut ab omnibus malis nos liberare velit.* Jes. XXVI. 16.

Omne malum in se quidem est pœna peccati, sed non semper habet pœnæ rationem: Nam qui habent peccatorum remissionem, liberi sunt a pœnis, & mala, quæ forte sentiunt, non sunt pro pœnis habenda. Quod ipsum vero cum & de solis fidelibus, peccatorum remissionem consecutis, valeat, consequens est, & ad solos fideles crucem ac patientiam pertinere. Hinc posterior

inter fructus ſpiritus collocatur. Gal. 5. 22. Ad hanc patientiam exercendam homo chriſtianus eo magis obligatur, cum defectus ejus nomen Dei maximopere obſcuret. Nam qui ſe totum rebus in adverſis triſtitiæ & mœrori tradit, hoc ipſo declarat, ſe non credere ens aliquod ſummum, ſapientiſſimum, benigniſſimum, & potentiſſimum, quod rebus omnibus provideret, & cuncta in ſuam gloriam & hominum felicitatem gubernaret, aut, ſi tale ens credat, ſe tamen ignorare aut negare, ſe Deo reconciliatum eſſe per mortem filii ejus, ſeque ideo bene de eo ſperare poſſe. Interea vehementer falluntur, qui ad patientiam pertinere putant, nullos ſentire dolores, illis non contriſtari, non ingemiſcere, non illacrymare, &c. Hæc enim omnia ſunt impoſſibilia. Nam humana natura ita eſt comparata, ut malum, quod adeſt, non poſſit non cum dolore ſentire. Et ſi qui forte inter gentes fuerint philoſophi, qui nulla doloris ſigna externe ediderint, mera hæc fuit hypocriſis. Aut ſi vere non ſenſiſſent, non habuiſſent, de quo gloriari potuiſſent. Namque glorioſum non eſt, tranquillo eſſe animo, ubi nec malum nec dolor ſentitur. Virtutis autem eſt, aut operis, de quo eximia bonitas recte prædicatur, tædiis & doloribus affligi, & ſimul ita eſſe diſpoſitum, ut

modus

modus libere servetur. MOTIVA, quibus ad hanc patientiam flecti potest animus, eadem fere sunt, quæ fiduciam excitare solent. Accedunt autem variæ considerationes, veluti, 1. *Non ex ira, sed ex amore* Deum crucem nobis imponere, Ebr. XII. 6. hoc enim esse commune fatum discipulorum Christi & filiorum Dei, Matth. X. 38. Jo. XVI. 20. 2. *Majora nos possidere bona*, ex. gr. unionem cum Deo & spem futuræ vitæ, quibuscum comparari non possint mala, quibus vexamur; Rom. VIII. 18. 3. *Mala ista* nec nos perdere posse, nec in æternum duratura esse; 2. Cor. IV. 17. 4. *Immitti, temperari, & dirigi ab eo*, qui nos infinite amat, nec nos supra vires tentari patitur; 1. Cor. X. 13. 5. *Patientia coli & honorari eum*, cui tot ineffabilibus beneficiis obstricti sumus; 6. *Sanctissimos homines* idem passos esse, inprimis autem CHRISTVM, qui & innocentissimus hominum, & ipse Dei filius unigenitus erat, Ebr. XII. 3. ad cujus exemplum pati sine dubio gloriosum esse; Rom. V. 3. 7. *Nullam esse calamitatem*, quæ fidelibus non esset admodum salutaris; Rom. VIII. 28. His enim explorari ipsisque manifestari interiora cordis sui; carnis concupiscentias frenari; multas tentationes removeri; ipsos fideles impelli, ut non in mundo, sed in

Deo gaudium & voluptatem ſuam q
rant; diſponi ad mortem deſiderand
aut placide expectandam; ſpem futuri p
mii corroborari & augeri; &c. Hi
motivis homo ſimul confirmatur con
quævis patientiæ OPPOSITA, qualia ſu
1. *Mollities* ſeu *timiditas*, h. e. tar
calamitatum averſatio, ut Deum offend
re, quam eas ſuſcipere & ſuſtinere ma
mus; Luc. VIII. 13. 2. *Hypocriſis*, q
quis externe ſimulat, ſe malum contemn
re; 1. Sam. XV. 32. 3. *Levitas*, qu
quis ad ſtatum ſuum non attendit, aut n
gotiis mundanis, converſationibus, alia
que diſtractionibus ſenſum mali violenter
expellit; 4. *Impatientia*, quæ eſt nimius
dolor, nullum temperamentum aut ſole
tium admittens, quæque ſe exſerere ſole
accuſando Deum, murmurando contra
eum, deſperando, & quandoque etiam ſe
ipſum interficiendo; 5. *Temeritas*, qua
quis ſe periculis ſine mandato & neceſſi
tate exponit. Sir. III. 26. Ne igitur in
unum alterumve horum extremorum inci
damus, fugienda ſunt PATIENTIÆ IMPE
DIMENTA, quorſum præcipue pertinet
vana perſuaſio, fidelibus nihil patiendum
eſſe, vitæ genus molle & delicatum, nimia
præſumptio de propria ſanctitate, invida
felicitatis aliorum conſideratio, ſolius ma
li, quod nos premit, contemplatio. Fu
gimus

gimus autem ista, dum motivorum, quæ recensuimus, frequentissime habemus rationem, vias & consilia Dei diligenter scrutamur, exempla sanctorum intuemur, voluptates & felicitates mundanas contemnere discimus, & Deum in omni calamitate ardentissimis precibus invocamus.

§. LXXX.

Acquiescentia in Deo.

Qui Deo confidit, certus est, nil nisi, quod vere bonum est, a Deo sibi expectandum esse. (§. 78.) Hinc & mediis in calamitatibus nomen celebrat, & justitiam Dei agnoscit. (§. 79. num. 5.) Inde vero fieri nequit, quin complacentiam habeat in iis rebus, quæ ipsi ex voluntate Dei eveniunt. Hæc complacentia dicitur ACQUIESCENTIA IN DEO. Quare sicuti homo christianus ad fiduciam in Deo collocandam obligatur, (§. 78.) *ita & necesse est, ut in Deo acquiescat.* Hoc officium scriptura nobis inculcat, quando precari jubet, ut fiat voluntas Dei, Matth. VI. 10. & vult, ut pro quacunque re Deo gratias agamus. Eph. V. 20. Pertinet autem ad illud,

1. *Ut homo agnoscat, nihil sibi evenire, nisi volente aut permittente Deo*; Thr. III. 37. 38. Matth. X. 29. 30.

2. *Ut persuasus sit, ex sapientissima Dei providentia ea tantum hominibus contingere,*

quæ singulis pro cujusvis statu vere salutaria utilia sunt, nec, quæ meliora videntur, ea talia nobis fore; Ps. XXIII. 1. XXV. 8. 9. LXXXIV. 12.

3. *Ut sorte sua contentus sit*, nec meliora sibi fata optet, nisi sub conditione, si Deo ita visum fuerit; Job. I. 21. Matth. XXVI. 39.

4. *Ut nec Deo nec hominibus irascatur, quid mali forte patiendum sit*; 2. Sam. XVI. 10.

5. *Ut irruentibus periculis & afflictionibus rem totam Deo committat, & in ejus dispositione acquiescat*; Jes. XXXVII. 16. seqq.

6. *Ut calamitatum causas non in Deum devolvat, sed in se ipso quærat.* Dan. IX. 7.

OPPONITVR huic officio 1. STVPIDITAS seu INANIMADVERTENTIA: Vera enim acquiescentia in Deo recta ejus cognitione determinari debet; 2. Πλεονεξία, seu insatiabilis cupiditas, plus boni habendi, quam nobis contingit; 3. MVRMVRATIO adversus Deum, quâ ipsius justitiam & bonitatem accusamus; 4. INVIDIA, qua aliorum felicitatem moleste ferimus; 5. TEMERARIVM IVDICIVM de modo regiminis divini; 6. IMPATIENTIA & DESPERATIO. MINIME vero hanc acquiescentiam tollit TRISTITIA in afflictionibus, si modo justus modus teneatur; nec

PRE-

PRECATIO, ut Deus aliquod bonum nobis largiri, malum autem avertere velit, modo sit conditionata; nec CVRA, qua quis sibi suisque de rebus necessariis prospicere allaborat. 1. Tim. V. 8. Ad officium hoc Deo præstandum moveri potest homo christianus, si cogitet, 1. *Deum esse absolutum* Dominum rerum omnium, suaque bona pro arbitrio distribuere posse; Rom. XI. 36. Matth. XX. 15. 2. *Hominem nihil mereri posse*, omnique beneficio divino plane indignum esse; 3. *Tantam tamen esse Dei bonitatem*, ut omnibus hominibus quævis bona largiri velit; 4. *Inprimis hujus rei certum esse* posse christianum, qui fide consecutus est peccatorum remissionem, & filius Dei factus; Rom. VIII. 15. 28. 5. *Infinitam quoque ejus esse sapientiam*, qua longe melius scit, quid nobis vere prosit; 6. *Exitum rerum omnium expectandum esse*, qui docebit, ea, quæ nobis dura & amara videntur, valde tamen proficua esse, &, si res aliter & ex voto nostro evenissent, magna damna nobis illaturas fuisse. Præstat etiam, exempla piorum hominum & ipsius Christi intueri, qui in Deo acquieverunt, 1. Sam. III. 18. 2. Sam. XVI. 10. Ps. XVIII. 2. 3. Job. I. 21. Matth. XXVI. 39. & fatorum, quæ experti sunt, vicissitudines

contemplari, ut & noſtra acquieſcentia Deo confirmetur.

§. LXXXI.

Humilitas coram Deo.

HVMILITAS CORAM DEO eſt ſtudium infinitum illud diſcrimen inter dignitatem Dei noſtramque indignitatem declarandi. Ad hoc ſtudium ſine dubio graviſſima detur obligatio, ſi & tale diſcrimen inter Deum & hominem exiſtit, & hujus diſcriminis declaratione Deus colitur, ſeu gloria ejus manifeſtatur, & denique diſcrimen illud ſatis revelatum eſt hominibus. (§. 70. 71.) Jam vero Deum eſſe ens perfectiſſimum & prorſus independens, nos autem opus potentiæ & ſapientiæ ejus, quod totum ab ejus voluntate dependet, &, quicquid boni in nobis eſt, ab eo nobis datum eſſe, qui nullo beneficio digni ſumus, ideoque infinitum dari diſcrimen inter præſtantiam Dei noſtramque indignitatem, adeo notum eſt, ut omni demonſtratione hujus rei ſupersedere poſſimus. Qui hoc diſcrimen agnoſcit & declarat, non tantum ipſe infinitam Dei excellentiam, bonitatem, & perfectionem veneratur, ſed etiam aliis manifeſtat. Nec quisquam eſt, cui occaſio aut vires deficerent, magnum hoc diſcrimen cognoſcendi. Ipſa ratio, a Deo nobis conceſſa, nos docet &

ſum-

summam Dei Majestatem, & nostram dependentiam ab eo, indigentiam, infirmitatem, ac indignitatem. Multo clarius autem & plenius utrumque manifestat scriptura, quam Christiani norunt, & ut infallibilem veritatem amplexi sunt. *Ergo singuli quidem homines, omnium vero maxime Christiani ad humilitatem coram Deo obligantur.* Mich. VI. 8. Matth. XI. 29. 1. Pet. V. 6. Jac. IV. 10. HÆC HVMILITAS

1. *Eo major esse debet, quo perfectior Deus est creaturis omnibus, quo nos Deo sumus inferiores, & quo magis ab eo dependemus, omnique ejus beneficio indigni sumus;*

2. *Declarari debet verbis & factis, tam internis quam externis, omnique opere, quod a nobis peragitur;*

3. Et quamvis omne officium, quod Deo præstatur, aliquod hujus humilitatis exercitium sit, quatenus hoc ipso infinitam Dei perfectionem declaramus, nosque illi infinitis modis obstrictos esse agnoscimus, *nulla tamen re homo magis coram Deo humiliatur, quam promptissimo obsequio erga mandata ejus;* Mich. VI. 8. Ps. XL. 9. Luc. I. 38. Act. IX. 6.

4. *Præterea huc pertinet, ut nunquam sine maxima reverentia de Deo cogitemus, loquamur, aut loqui audiamus;* Jud. II. 20. *ut nihil viribus nostris, sed omnia Dei gratiæ tribuamus, sive sit bonum naturale, sive spirituale;*

1. Cor. IV. 7. XV. 10. *ut noſtram indigni-tem agnoſcamus, & coram eo conſiteamur;* P VIII. 5. 2. Cor. III. 5. 6. *ut calamitates n ſtras, tanquam a Deo immiſſas, patienter & laudem ejus feramus;* Job. I. 21. II. 10. *ut omnibus neceſſitatibus ad Deum precibus confu giamus;* Pſ. CXVI. 3. 4. *Denique ut reb omnibus, tanquam depoſito, utamur & cogni mus, rationem aliquando nobis reddendam e* Matth. XXV. 14. ſeqq.

Huic virtuti quam maxime oppoſita eſt AM BITIO, ſeu FASTVS, per quem vivendi ra tionem intelligimus, divinæ excellentiæ a nobis agnoſcendæ, noſtræque a Deo dependentiæ, prorſus contrariam. Poteſt ille haud incommode in NATVRALEM & SPIRITVALEM diſpeſci. Ut enim homo, tam naturalis quam ſpiritualis, ex ſuis quisque principiis Dei eminentiam, ſuam dependentiam, & beneficia ab eo accepta, cognoſcere, hisque notitiis aliquo modo conformiter vivere poteſt, ita & poſſibile eſt, ut uterque contrariam agendi ratio-nem eligat, & ſic faſtu ſuo Deum offen-dat. NATVRALIS itaque FASTVS men-tem hominis occupat, cum infinitam Dei præſtantiam, ſuamque ab eo dependen-tiam per creationem & conſervationem agnoſcere negligit, vocem Dei audire re-cuſat, & quod ipſi per univerſalem & or-

dina-

dinariam Dei providentiam contigit, suæ sapientiæ & viribus tribuit. Hujus criminis reus erat Herodes, Act. XII. 21.22. Pharao, Exod. V. 2. & Nebucadnezar, Dan.IV.27. SPIRITVALIS autem FASTVS est prava cordis dispositio, quæ pendet a vana præsumptione, qualitatem nostram moralem longe meliorem esse, quam vere est, neque ratione bonorum spiritualium, quæ forte in nobis sunt, a divina gratia penitus nos dependere. Potest hoc vitium multiplici ratione exseri, inprimis tamen, cum homo credit, naturam suam tam profunda corruptione non laborare, se liberum esse a peccatis, quæ iram Dei mererentur, alios homines se longe pejores esse, seque suam rerum divinarum cognitionem, pietatem, & sanctitatem suis viribus acquisivisse. Exemplum hujus fastus videmus in Episcopo Laodiceno, Apoc. III. 17. & Pharisæo in templo precante. Luc. XVIII. 11. 12. Adversus hæc mala confirmari potest homo christianus, 1. *Si perfectissimam* Dei naturam, & ingentia illa beneficia tam in regno naturæ quam in regno gratiæ exhibita sæpe consideret; 2. *Si naturalem suam dependentiam* a Deo, & continuum ejus influxum, Act. XVII. 28. totius naturæ corruptionem, & impotentiam, quicquam boni faciendi, Ps. LI. 7. Eph. II. 1,10. 2. Cor. III. 5.

& gra-

& gratiæ divinæ beneficium, quo solo regenitus esset, Eph. I. 18. 19. 20. probe ponderet; 3. *Si rationem habeat summæ suæ indignitatis*, qua tamen Deus se impediri non pateretur, quo minus ipsi benefaciat, filium suum in mortem tradiderit, & gratiam toties contemtam iteratis vicibus offerat; Ps. VIII. 5. Rom. V. 6. 8. Matth. XXII. 3. 4. 4. *Si ex una parte magnam illam felicitatem* ante oculos habeat, humilibus promissam, ex altera vero terribiles pœnas, superbis & fastu plenis metuendas. Jes. LVII. 15. Prov. XXIX. 23. Luc. I. 51. XVIII. 14. 1. Pet. V. 6. Jac. IV. 10. Nec parum etiam promovebit studium humilitatis, si cogitemus, quanta sit stultitia, illius Majestatem non venerari, & coram eo humiliari nolle, qui nos nostraque fata in sua manu habet; & si exempli Christi semper simus memores, qui, licet tota Majestas divina in ipso habitaret, se tamen ipsum exinanivit, & Patri suo usque ad mortem crucis obediens factus est. Phil. II. 5. seqq.

§. LXXXII.

Imitatio Dei.

IMITATIO DEI est studium, actiones nostras ad normam actionum divinarum componendi. Hoc sensu, non impossibile est, ut quis Deum imitetur. Quamquam

quam enim perdita sunt excellentissima illa dona, quæ primum hominem Deo similem reddebant, alicujus tamen similitudinis cum Deo adhuc capaces sumus, eamque per renovationem aliquo modo recuperamus. Qui vero huic suarum actionum conformitati cum actionibus divinis studet, is primum id agit, quod vere bonum est, & perfectissimam sanctitatis regulam sequitur. Secundo hac vivendi ratione declarat, quanta sit creatoris sapientia, bonitas, potentia, sanctitas, & perfectio. Optimum enim & perfectissimum sine dubio esse oportet, qui hominem condidit, non tantum sanctitatis capacem, sed & illi vere studentem, dum exemplum creatoris sui sequitur. Cumque tertio ens illud excellentissimum & præstantissimum esse credamus, quod nobis imitandum delegimus, hac imitatione Dei singulare humilitatis exercitium continetur. (§. 81.) Hæc omnia satis perspicue docent, esse voluntatem Dei, ut ipsum imitemur. Quod eo minus in dubium vocari potest, cum homo conditus sit ad imaginem Dei, Gen. I. 26. 27. & ad eam renovari debeat. Eph. IV. 23. 24. *Ergo datur obligatio ad imitationem Dei.* Lev. XI. 44. 45. Luc. VI. 35. 36. Eph. V. 1. 1. Pet. I. 15. 16. Quam qui sibi commendatam habet,

1. *In-*

1. *Inquirit, quomodo Deus sentiat, & quem agendi modum in operibus suis servet.* Potest hoc tum ex attributis Dei, tum ex declarationibus divinis, tum denique ex ipsis operibus, quæ & ratio & scriptura revelat, intelligi.

2. *Semetipsum convincit, opera Dei esse optima, & perfectissimam actionum nostrarum regulam.* Quod enim qui non credit, quomodo inde rationem desumet, suas actiones determinandi, easque ad illorum normam componet?

3. *Diligenter explorat, quatenus & qua in re Deum imitari possit.* In iis enim rebus eum imitari velle, in quibus est sine imitatione exemplum, potius arrogantiæ indicium foret, quam pietatis studium.

4. *His cognitis dat operam, ut eodem modo sentiat & agat, quo Deum sentire & agere intellexit.* Unde imitatio Dei non tantum ad opera externa pertinet, sed præcipue ad internos affectus, desideria, & inclinationes.

5. *Ratio autem, cur ita sentire & agere studeat, hæc est, quia novit, Deum ita sentire & agere, illiusque exemplum omnium dignissimum esse, quod actionibus nostris exprimere allaboremus.*

Ea, quæ Deus ut ens independens ac infinitum, ut rerum omnium Dominus, ut judex

dex orbis terrarum, aut ex fine ultimo civitatis suæ ac regiminis in ea exercendi agit, ad imitandum non sunt proposita. Quæ vero ab ipso peraguntur vi sapientiæ, bonitatis, misericordiæ, aliarumque virtutum moralium, quas cum spiritu creato communes habere potest, ex omnino sunt imitanda. Hunc enim in finem primos homines sapientia & sanctitate instruxerat, &, postquam hæc perfectio amissa est, eam restaurari vult. Declaravit Deus hunc suum agendi modum tum per lumen rationis, tum per scripturam, quæ de voluntate Dei, de affectu ejus erga homines, deque operibus in regno naturæ & gratiæ peractis multa tradit. Longe vero clarius & plenius id declaravit unigenitus Dei filius, cum humana forma indutus ambularet inter homines, nobisque per omnia similis fieret, excepto peccato. Phil. II. 7. Ebr. IV. 15. Humiliabat enim se ipsum, humanisque conditionibus & relationibus obnoxius factus multa præclara edebat pietatis, amoris, patientiæ, mansuetudinis aliarumque virtutum specimina. Hinc & eum inprimis imitari jubemur. Matth. XI. 29. Jo. XIII. 15. 34. Rom. VIII. 29. Phil. II. 5. 1. Jo. II. 6. Quod qui negligit, mundum & satanam exemplum sibi imitandum deligit, magno cum animæ suæ periculo. Rom. XII. 2. Jo. VII. 44.

Hoc

Hoc ipsum autem simul gravissimum e motivum, Deum & Redemtorem nostr Jesum Christum imitandi. Ad quod a cedit 1. *summa* hujus exempli perfecti 2. *præstantia* similitudinis cum De 3. *vocatio* Christianorum, qui discipu Christi esse, ideoque eum sequi debe Matth. X. 38. XVI. 24. 4. *Multa* magn que illa beneficia, quibus de nobis be meritus est, seque nostra imitatione d gnissimum reddidit; 5. *divinum* benepl citum in nostro vivendi genere; 6. *futu* gloria, quam cum Christo consecuturi s mus. Rom. VI. 5. VIII. 17.

§. LXXXIII.

Cultus externus.

Quæ hactenus dicta sunt, solis anim actionibus & affectibus continentur, ideoque ad cultum Dei internum pertinent (§. 71.) Quia vero & corpus humanum in gloriam Dei conditum est, & hinc aptum esse debet ad actiones edendas, quæ in hunc finem tendunt, atque omnium officiorum Deo præstandorum scopus est manifestatio gloriæ divinæ, (§. 69.) quæ sine externo corporis usu impossibilis est, *homo christianus sine dubio & ad externum cultum Deo exhibendum obligatur.* (§. 71.) Hujus officii necessitas tum ex mandato Dei, diem septimum sanctificandi, Exod. XX. 8.

seqq.

seqq. tum ex divina ordinatione cultus externi ab Israelitis Deo exhibendi patet. Agnoverunt eam ut & præstantiam ejus fideles, ideoque a Deo petierunt, ut sibi semper liceret congregationibus interesse, ubi Deus externe colitur. Ps. XXVII. 4. Et Paulus vult, ut corpora nostra Deo sistamus victimam vivam, sanctam, illique acceptam. Rom. XII. 1. Cum autem abominabilis sit hypocrisis, Deum externe colere, sine cultu interno, (§. 71. num. 3.) omne officium erga Deum tendere debeat in nominis ejus gloriam, (§. 69. num. 1.) & denique amor Dei fundamentum & radix omnium officiorum sit, (§. 72.)

1. *Necesse est, ut cultus externus procedat ab animo pio, & cum desiderio, Deum honorandi, peragatur.* Ps. XXIV. 3. 4.

2. Fieri potest, ut quis Deum externe colere intendat, perversam autem rationem sequatur, quæ nec a Deo præcepta est, nec illi accepta esse potest. Jes. XXIX. 13. Jo. XVI. 2. *Quod ne fiat, cultus noster externus ita sit comparatus, uti eum comparatum esse oportere ex ratione vel scriptura certo constat.* Rom. I. 21. seqq. XII. 1. Col. II. 18. 20. seqq.

3. Accidit nonnunquam, ut, qui Deum externe colunt, variis opprobriis afficiantur ab impiis, aut, qui eum Deum colendi mo-

dum sectantur, quem solum rectum e putant, plurimum persecutionis pati d beant. Quia vero cultus externus ad o ficia erga Deum pertinet, quæ omnib aliis præferenda sunt, (§. 69. num. 4.) D us super omnia diligi, (§. 72.) & cum a negatione sui ipsius ab homine coli debe (§. 75.) *homo christianus nec ignominia, n persecutione, nec quocunque alio malo vel pe culo impediri se patiatur, quo minus Deum a terne colat.* Dan. VI. 10. seqq. Matth. V. 1 11. 12. Act. IV. 19. 20. IX. 16.

4. Norunt Christiani, non tantum P trem Domini nostri Jesu Christi, sed Filium & Spiritum sanctum verum ac s premum Deum esse. Norunt etiam, cu humana Christi natura communicata est divina attributa, tum quoad possessionem, tum quoad usum, sic ut & illa imperium in omnes creaturas exerceat. Cum itaque cultus divinus non tantum illi, qui verus Deus est, sed etiam illi, qui divinam Majestatem possidet, eaque ad conservandum & gubernandum mundum utitur, debeatur, *certe & cultus externus Patri, Filio, & Spiritui sancto, & quidem Filio secundum utramque naturam deferendus est.* Jo. V. 23. Ebr. I. 6. Phil. II. 10. Jes. VI. 3. coll. Act. XXVIII. 25. 26. Luc. II. 26. 29.

5. Christus non tantum verus Θεάνθρω-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

τος, sed etiam Redemptor & Rex spiritualis esse a Christianis creditur. Utroque hoc officio functus est, & adhuc fungitur secundum utramque naturam. *Ergo & ut Redemptor & Rex noster externe colendus.* Ps. II. 8. seqq. XXIV. 7. seqq. Phil. II. 9. 10.

6. *Cæterum hic cultus externus in* PVBLICVM & PRIVATVM *dispescitur.* Ille consistit in actionibus, quæ ab integra societate in honorem Dei eduntur; Hic autem est cultus, quem quisque separatim Deo exhibere potest.

Qui Deum quidem interne, sed non externe colendum esse putant, hoc argumento plerumque niti solent, quod omnia erga Deum officia amore Dei contineantur, hic vero absque ullo externo cultu haberi possit. Sed non animadvertunt, impossibile esse, vero Dei amore quempiam tangi, & nullum tamen cultum externum Deo exhibere. Qui Deum amat, quemadmodum oportet, ille primum in lege divina beneplacitum habet, eamque servare studet, quod non semper fieri potest sine actionibus externis. Deinde nihil magis desiderat, quam divinæ gloriæ manifestationem. Atque hanc promovere nequit, nisi Deum externe colat. Vult etiam, ut Deus ab aliis cognoscatur & colatur. Ad

hoc aliorum ſtudium excitandum dum
obligatum eſſe intelligit, iterum videt, e
terno cultu opus eſſe. Ipſam vero obl
gationem Deum externe colendi, præt
rationes jam redditas, monſtrat tum divin
inſtitutio mediorum, quibus internus De
cultus promovendus eſt, & quorum u
Deus externe colitur, qualia ſunt verbum
Dei & Sacramenta, tum exemplum Chri
ſti, qui confeſſione veritatis, precibus, &c.
Deum externe coluit. Quæ conſideratio
nes ſicuti ſimul excitare poſſunt ſtudium
hac in re faciendi, quod noſtri eſt offici
ita illud non parum *augetur* 1. *variis com
modis*, quæ ſingulis partibus cultus exter
ni adhærent; 2. *cultus ipſius dignitate*
3. *rei jucunditate*, quam tot ſancti experti
ſunt; Pſ. XXVII. 4. LXXXIV. 2. 3. 4. *ex
emplo angelorum*. Jeſ. VI. 3. Dan. VII. 10.
Reliqua, quæ proferri poſſent, motiva
magis ad cultum publicum pertinent. Hoc
autem loco tantum *de cultu privato* nobis
agendum erit. Obligatio, omnes tres
perſonas divinitatis ſingulariter colendi,
tum ex rationibus adductis, tum ex inſti-
tutione baptiſmi patet, quo ad profiten-
dum & colendum Patrem, Filium, & Sp.
S. initiamur. Matth. XXVIII. 19. Coli-
mus autem Sanctiſſimam Trinitatem, cum
divinitatem trium perſonarum externe pro-
fitemur, eas adoramus ac invocamus, ope-

ra,

ra, quibus singulæ se manifestare voluerunt, veneramur, omnesque actiones, quibus illa cum pietate & gratiarum actione declarari possunt, edimus. Inprimis Christum, ut mediatorem & regem nostrum, externe colimus, celebrando meritum ejus, vindicando veram de eo doctrinam, adhærendo Ecclesiæ, & invocando eum, ut intercessorem nostrum apud Deum. Sed de his omnibus plura jam dicenda erunt, dum ad specialiores partes cultus externi descendimus.

§. LXXXIV.

Celebratio nominis divini.

Qui Deum externe colit, id agit, ut gloriam divinam externis actionibus manifestet. (§. 83.) Id autem præcipue agunt, qui Majestatem & opera Dei enumerant, suamque reverentiam, qui ejus perfectioni debetur, declarant. Quare, cum hæc enumeratio attributorum & operum Dei, conjuncta cum debita reverentia, sit laus & celebratio nominis divini, nemo non videt, *Deum a nobis laudandum, & nomen ejus celebrandum esse.* Hinc Christus precari jubet, ut nomen Dei sanctificetur. Matth. VI. 9. Idem inculcat Paulus Rom. XV. 6. Eph. V. 19. 20. Et sancti homines, quavis data occasione, nomen Dei summis laudibus extulerunt. Exod. XV. 1. seqq. Jud. V. 2.

seqq. 1. Sam. II. 1. seqq. Ps. XIX. 1. seq. CIII. CIV. CV. CVI. CVII. &c. Luc. I. 4[6] seqq. 68. seqq. Quin ipse Deus magnum nomen suum celebrat, Job. XXXVIII. seq. quod exemplum imitati sunt angeli. Is. VI. 3. Dan. VII. 10. Ut autem sanctissimum Dei nomen recte celebretur,

1. *Homo det operam, ut summam Dei perfectionem, & opera tam in regno naturæ quam in regno gratiæ ab eo peracta, intime & perfecte cognoscat*: Qua in re plurimum juvatur si ratione sua recte utatur ad Deum a priori cognoscendum, si opera naturæ diligenter scrutetur, si ad vias providentiæ divinæ attendat, & historiam profanam & sacram, inprimis autem Evangelium utiliter legat, in quo præcipua sapientiæ, bonitatis, & potentiæ divinæ opera manifestantur;

2. *Omnem illam reverentiam in corde sentiat, qua de Deo rebusque divinis loqui & cogitare fas est*;

3. *Hanc infinitam Dei Majestatem testetur, & opera ejus recenseat, quotiescunque id agendi commoda occasio oblata fuerit*;

4. *Alios, qui de his rebus publice aut privatim disserunt, libenter & cum pietate ac devotione audiat*;

5. *Quibuscunque actionibus declaret, se solum Deum Patrem, Filium, & Sp. S. religiose colere,*

colere, in eo solo omnem fiduciam collocare, ab eo solo auxilium expectare, seque ab eo solo juvari posse, firmiter persuasum esse;

6. *Atque hæc omnia ita peragat, ut non suam, sed solius Dei gloriam intendere videatur.* Quare nec invitis celebrationem nominis divini obtrudat, nec de rebus divinis intempestive differat, nec prolixiores & inutiles sermones de iis instituat, aliaque extrema prudenter evitet.

Huic officio quam maxime opposita est PROFANATIO NOMINIS DIVINI, per quam intelligo, quicquid aut gloriam summi Numinis obscurat, aut debitæ erga Deum reverentiæ contrarium est, & hinc honori divino aliquid detrahit. Hujus generis facta & DIRECTE vel IMMEDIATE, & INDIRECTE vel MEDIATE committi possunt. Ad posteriora pertinet, quicquid alicui officio erga Deum repugnat. Ad priora autem refero

I. ABVSVM NOMINIS DIVINI, qui multiplici ratione committi potest. Inprimis nomine divino abutuntur, qui aut sine justa reverentia de Deo rebusque divinis loquuntur, aut nomine Dei ac religionis utuntur ad celanda crimina, confirmanda mendacia, & tegendas malas intentiones. Nec minus huc pertinent maledictiones & imprecationes, quibus aut

Deus aut diabolus temere & impie invocatur, ut nos vel alios perdere velit.

2. Profanatur etiam nomen divinum BLASPHEMIA, qua, quæ Dei sunt, pervterve negantur, &, quæ Deo indigna sunt illi tribuuntur. Potest illa in CRASSIOREM & SVBTILIOREM dispesci. Illa committitur, cum attributa & opera divina disertis verbis negantur, infirmitas autem, quandoque etiam vitia hominum de eo prædicantur. Hujus blasphemiæ rei sunt, qui ex. gr. providentiam Dei negant, eum auctorem peccati faciunt, divinitatem Christi & Sp. s. non agnoscunt, &c. Subtilis vero blasphemia est, si vera Evangelii doctrina ignominiose traducatur, & opprimatur, aut etiam illius confessores duris persecutionibus vexentur. Quod cum & ex ignorantia, simplicitate, & cœco fervore fieri possit, apparet, quanta circumspectione opus sit, cum de rebus ad religionem pertinentibus agitur, ne de iis temerariam & præposteram sententiam feramus. Gravius vero peccant, qui contra propriam conscientiam, aut, neglecta & spreta meliori informatione, quam habere poterant, veram doctrinam insectantur.

3. MAGIA non minus est atrociſſima nominis divini profanatio. Variæ quidem illius dantur species. Sed illa, de qua nunc

nunc agitur, & quæ SVPERSTITIOSA vel INFAMIS dici solet, est studium efficiendi res, quæ per ordinarium Dei concursum viribus naturæ effici nequeunt, & ad quas efficiendas tamen nec extraordinarie Deus concurrere vult. Solet in DIVINATRICEM & EFFECTRICEM dispesci. Illius est res arcanas revelare & futura prædicere; Hujus vero, effectus in rerum natura producere, qui viribus humanis aliisque nobis cognitis produci non possunt. Utraque vel VANA & LVDICRA, vel DIABOLICA esse potest. VANAM eam voco, qua quis arte proprio ingenio inventa, vel ab alio impostore accepta, effectum magicum producere tentat. Hac vero nomen Dei profanari, ex eo constat, quod, qui eam exercent, sibi vel aliis persuadent, se absque concursu Dei ordinario vel extraordinario singulare quid, quod in humanis viribus alias positum non est, efficere posse. Aut in ea sunt opinione, Deum sibi non defore in exercendis artibus, quæ nec præceptæ nec approbatæ sunt a Deo, sed hominum temeritate & vanitate inventæ. Inprimis turpissima hæc nominis divini profanatio committitur, cum ad hoc negotium invocatio Dei, scriptura, aut alia quæpiam res sacra adhibetur. Magia DIABOLICA est ea impietas, qua ope diaboli, qui ad hunc ipsum finem invocatur,

effectus insoliti hominumque viribus, arte & sapientia longe majores praestantur. Qui ad haec opera peragenda mali spiritus opem deposcunt, MAGI & PRAESTIGIATORES appellari solent. Et si forte pacti sint cum diabolo de auxilio sibi semper ferendo, SAGAE & LAMIAE vocantur. Miror, disputatum unquam esse, num tale hominum genus extiterit, aut possibile sit? In re ipsa enim nullam video impossibilitatem, sive virium satanae sive impietatis hominum habeatur ratio. Deus contra praestigiatores expressas leges tulit earumque auctoritatem severis commination-nibus munivit. Deut. XVIII. 9. 10. 11. 12. Extant etiam horum hominum exempla. Exod. VII. 11. 1. Sam. XXVIII. 7. sqq. Dan. II. 2. Act. VIII. 9. 10. Quod ergo olim factum esse scimus, id hodie prorsus impossibile esse, credi non debet. Et quamquam satanas opus suum hodie non amplius immediate exerceat, & hinc, quicquid de praestigiis & divinationibus diabolicis narratur, non facile credendum sit, minime tamen dubito, quin adhucdum homines existant, qui diaboli patrocinium desiderent, eum diris execrationibus provocent, aut se quoque illius auxilio frui putent. Hi, si animum spectes, non minus sunt praestigiatores, ac veteres illi, qui ope diaboli stupenda perpetrarunt.

Quan-

Quanta vero hæc sit nominis divini profanatio, quisque facile intelliget, qui perpendit, hoc modo turpissimam idololatriam exerceri, honorem, qui soli Deo debetur, deferri satanæ, præstigiatores non Dei sed diaboli auxilium implorare, eosque adjuvante satana opera & fines Dei impedire velle.

Ab his omnibus profanationis generibus ut quisque sibi caveat, excitari potest argumentis istis, quibus necessitatem & obligationem nomen Dei celebrandi demonstravimus. Accedit 1. *severum interdictum* hujus profanationis, cui gravissima comminatio adjecta est; Exod. XX. 7. Lev. XXIV. 16. 2. *Summa sanctitas* nominis divini, quod & ab angelis maxima reverentia celebratur; Jes. VI. 3. 3. *Publica & solemnis defectio* a Deo creatore & redemtore suo; Matth. XII. 30. *Fœdus baptismale*, quo diabolo omnibusque ejus operibus renunciavimus, nosque totos solius Dei veri cultui tradidimus. Matth. XXVIII. 19. 4. *Arctior conjunctio cum satana*, qui ipse est spiritus maledictus, æternis cruciatibus destinatus; Matth. XXV. 41. 5. *Stultitia quarundam*, & *extrema impietas* aliarum profanationum divini nominis, creatura rationali prorsus indigna; 6. *Exemplum creaturarum irrationalium*

nalium & *inanimatarum*, quæ omn nomen Dei celebrant. Pſ. XIX. 2.

§. LXXXV.

Confeſſio Dei & doctrinæ Chriſti.

CONFESSIO DEI eſt externa verbisq prolata declaratio veræ doctrinæ de D. eſſentia, attributis, & operibus. CON FESSIO autem CHRISTI eſt talis declarat nos non tantum in Chriſtum tanquam Deum & Redemtorem noſtrum credere, ſe etiam Evangelio, uti ab ipſo prædicatu eſt, toto corde aſſentiri. Qui veram Deo doctrinam externe declarat, ſequ illam amplecti profitetur, ille ſine dubi gloriam divinam hoc ipſo manifeſta Quod cum ſit præcipua pars cultus Dei ex terni, *quisque ad confeſſionem Dei obligatu* (§. 83.) Chriſtum vero qui profitetur primum externe ſignificat, ſe credere eum eſſe verum Deum, & ſuum Redem torem, in quo omnis ſpes æternæ ſalutis collocanda eſſet; ſecundo, doctrinam, quam Chriſtus tradidit, veram, divinam, & ſalvificam eſſe. Prius ergo ſi quis negligeret, Chriſto cultum externum detra heret, quem ipſi ut Deo & Mediatori ſuo debet. (§. 83. num. 4. 5.) Poſterius autem qui recuſaret, is doctrinam rejiceret, improbaret, aut certe non approbaret, qua ſumma Divinitatis myſteria continentur,

præ-

præcipua sapientiæ, potentiæ, bonitatis, sanctitatis, & justitiæ opera manifestantur, & qua sola homo ex voluntate Dei salvari potest & debet. Sed hoc ipso non tantum nomen Dei celebrare intermitteret, verum etiam celebrationem istam impediret, & nomen divinum obscuraret. Quod cum sit turpissimum & iniquissimum opus, (§. 84.) *Christi quoque & doctrinæ ejus confessio est necessaria.* Matth. X. 32. 33. Rom. X. 9. 10. Gravissimum hoc est officium, quod quemque Christianorum sibi commendatissimum habere oportet. Ne quis ergo in unum alterumve extremum incidat, sciendum est,

1. *Confitendum esse Christianis, Deum, quem colerent, esse Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, unum in essentia & trinum in personis.* Confitendus enim est Deus, quem vere colunt. Atqui cultu sacro sanctæ Trinitatis Christiani sese ab aliis gentibus distinguunt. Hinc & in nomen P. F. & Sp. S. baptizantur, Matth. XXVIII. 19. & receptum est in Ecclesia, ut, qui baptizari velint, in P. F. & Sp. S. se credere prius testentur. Ergo & per universam vitam suam hanc confessionem edant.

2. Minime vero generalis illa confessio sufficit. Ipse enim Christus nos docuit, quid de singulis personis, de Redemtione, de Justificatione, & reliquis fidei articulis sen-

sentiendum sit. Idem docuerunt Apos
li. Et tota hæc doctrina in literas rel
est. Sicuti ergo ea sola, quæ hac doct
na continentur, vera & Deo digna sun
ita & eam credi, & illius professione e
terna coli & glorificari vult. *Ergo &*
tam illam doctrinam, quæ in sacris literis
tat, ut unice veram & salvificam profiteri
oportet. Matth. X. 27. XXVIII. 20. Mar
VIII. 38. Rom. X. 9. Gal. I. 8. 1. Tim. I
16. IV. 11. 1. Jo. I. 1. 3.

3. Ea nunc est, & jam diu fuit Eccl
siæ conditio, ut in varias partes dissec
sit, variasque sectas complectatur. Qu
libet se veram Christi doctrinam sequi o
tendit, & incredibilis tamen omnium e
dissensus in potioribus fidei capitibus. Pl
ræque crassissimos errores fovent, qui no
sine magna Dei contumelia credi docer
que possunt. Si quis ergo, hac existent
animorum dissensione, in genere tantum
profiteretur, se doctrinam Christi amplec
ti, dubium foret, quam illius interpreta
tionem sequeretur, veram an falsam, au
num singularem haberet fidem, ab opi
nionibus receptis distinctam. Sed hoc
ipso confessionem Christi & doctrinæ ejus
occultaret. Sin vero falsæ accederet Ec
clesiæ, omnes illius errores publice ap
probaret, veritatemque oppositam abne
garet. Denique si nulli adhæreret, et
iamsi

iamsi vera existat & nota sit Ecclesia, pariter abnegaret veritatem, & Christum confiteri nollet. *Quare nostrorum temporum ratio postulat, ut, qui Christum confiteri vult, quemadmodum oportet, ex receptis religionibus veram distincte approbet, & cœtui, qui illam profitetur, sese adjungat.* Huc pertinet mandatum, societatem malorum, falsos doctores, & hæreticos fugiendi, Ps. I. 1. Matth. XVI. 6. VII. 15. Tit. III. 10. gravissima admonitio, ne quis a vera religione deficiat, Ebr. VI. 4. 5. 6. & objurgatio Episcopi Pergamensis, quod Balaamitas & Nicolaitas in sua societate & communione toleraret. Apoc. II. 14. 15.

4. Quemadmodum autem hæc distincta confessio requiritur, ut ex externis nostris actionibus vera fides innotescat, & sic nomen Dei per nos celebretur, *ita quisque sibi caveat, necesse est, a declarationibus ambiguis suæ fidei, & factis, quæ ab aliis ita possent intelligi, ac si falsa religio a nobis approbaretur.* Ex hac causa Paulus non permittebat, ut Christiani religiosis Gentilium conviviis interessent, aut scientes idolothyta comederent. 1. Cor. X, 20. 21. 27. 28. Verendum enim erat, ne alii cogitarent, Christianos in idololatriam consentire.

5. Accidit non raro, ut cum externa Christi & doctrinæ ejus confessione multa magnaque pericula connexa sint. Quod si eve-

si evenerit, adest collisio officiorum erga Deum & nos ipsos. Quia vero, quoties cunque id acciderit, officia erga Deum quibuscunque aliis præferenda sunt, (§. 65. num. 4.) & externa illa confessio, de qua nunc agitur, est officium erga Deum, *doctrina Christi profitenda est etiam cum extremo periculo, & ipso vitæ discrimine.* Ideo Christus vult, ut veri ejus discipuli, quicquid illis carum est, quin & ipsam vitam suam ipsius causa oderint. Luc. XIV. 26. Petrus Deum sua abnegatione graviter offendebat, etiamsi ad hunc lapsum imminente periculo adigeretur. Matth. XXVI. 75. Et Paulus per gratiam Dei testabatur, se nullis calamitatibus nullisque persecutionibus ad defectionem ab amore, cultu, & professione Christi moveri posse. Rom. VIII. 35. 36.

6. Interim tamen constat, & officia erga nos ipsos a Deo præcepta, & hinc adimplenda esse, quamdiu salvis officiis potioribus erga Deum fieri potest. (§. 17.) Cum ergo non liceat, sese periculis temere exponere, ea vero non raro subeunda sunt, quando doctrinam Christi profitemur, *magna confessoribus opus est prudentia ac circumspectione, ne hanc confessionem sine necessitate, utilitate, & voluntate Dei edant.* Hanc regulam sequebatur Esther, quæ suam fidem & gentem non prius manifestabat,

bat,

bat, quam necessitas exigebat. Esth. II. 10. coll. VII. 3. Sic & Paulus non statim dicebat, quis esset, cum suspicio in eum caderet, quod esset malus homo, quem vindicta divina persequeretur. Act. XXVIII. 4. 5.

7. Adest autem necessitas & voluntas Dei, doctrinam Christi publice profitendi,

a) *Cum silentium tenere non possumus, salvo officio nobis demandato*; Act. IV. 19. 20.

b) *Cum magistratus politicus rationem fidei sibi reddendam poscit*; Jo. I. 19. seqq. XVIII. 36. 37.

c) *Cum alii a nobis doceri cupiunt*; 1. Pet. III. 15.

d) *Cum silentium nostrum videri potest aut veræ fidei abnegatio, aut falsæ approbatio.* Jo. VII. 50. Luc. XXIII. 50. 51.

8. Denique cum omnis cultus externus ex animo pio, & cum desiderio, Deum honorandi, peragi debeat, (§ 83. num. 1.) nominis autem divini & doctrinæ Christi professio præcipua pars cultus externi sit, *eos, qui hoc officio rite fungi volunt, doctrinam, quam profitentur, prius explorare, illi toto corde assentiri, & de ea convictos esse oportet.* Ps. CXVI. 10. Matth. XII. 34. 35. Rom. X. 9. 10.

CONFESSORES olim dicebantur, qui propter nomen Christi dura quædam passi erant;

rant; Et MARTYRES, qui confessione
fidei suæ ipsa morte obsignaverant. Ve
autem Christum confitetur, qui doctri
a Christo traditæ se assentiri externe sig
ficat. Christum enim confiteri, q
aliud est, quam declarare, eum esse unig
nitum Dei Filium, Redemtorem huma
generis, fundamentum salutis nostræ,
ut cuncta paucis complectar, vera esse
mnia, quæ de se ipso & de modo salut
consequendi docuisset, docerique voluiss
Hujus confessionis necessitatem, præ
mandatum divinum, probat obligatio
riam Dei manifestandi, quæ est summ
omnium officiorum principium. (§. 1
Nulla enim re Deus magis glori
cari potest, quam lingua, quæ apta est
enarranda & mysteria divinitatis, & ar
buta, & opera ejus. Jac. III. 9. Et ha
omnia pleniſſime & veriſſime traduntur i
Evangelio. Accedunt vero & aliæ ratio
nes. *Primum* enim Christum VT MEDIATOREM ET REGEM NOSTRVM coli o
portet, (§. 83. num. 5.) quod fieri hau
potest sine Evangelii professione. *Secun
do* natura discipulorum Chtisti, qui ba
ptismate ad colendum & confitendum Pa
trem, Filium, & Sp. S. Matth. XXVIII.
19. initiantur, postulat, ut coram mundo
testaremur, quænam sit fidei nostræ ratio.
Tertio Christus non permittit, ut urbs in
mon

montanis sita, h. e. Ecclesia occulta maneat. Matth. V. 14. Occulta vero maneret, si Christiani fidei suæ confessionem edere nollent. *Quarto* idem Salvator noster vult, ut ipsius causa multa patiamur. Matth. X. 34. seqq. XVI. 24. 25. Sed fidei causa, quæ in corde latet, nemo pati potest. Sola confessio Christianos persecutionibus exponit. *Quinto* Christus Ebr. III. 1. dicitur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν. Quid hoc aliud est, quam sacerdos, quem confitemur & confiteri debemus? *Sexto* Apostoli omni afflictionum genere propter doctrinam de Christo vexabantur. Quorsum hoc opus fuisset, si confessione externa carere potuissent?

OPPOSITA hujus confessionis sunt 1. ABNEGATIO Christi & doctrinæ ejus, quæ committi potest tum APOSTASIA a vera Ecclesia, descripta ab Apostolo Ebr. VI. 4. 5. 6. tum CONTINVATA VNIONE CVM ECCLESIA FALSA. Hæc posterior excusari non potest exemplo Christi, qui in Ecclesia Judaica perseverabat, licet illius cultum improbaret. Nam Ecclesia judaica usque ad complementum vaticiniorum in se erat vera. Habebat verbum Dei & sacramenta divinitus instituta. Accesserant tantum traditiones humanæ, quibus corrumpebatur. Cœtus vero purior

nondum aderat. Hæc si sit rerum faci
non statim opus est, ut Ecclesiam dese
mus. Sufficit, illius errores & abusus n
tare, suumque dissensum declarare. S
que emendari non vult, aliqua autem
lius pars nostram sacrorum reformati
nem approbat, tunc demum est volunt
Dei, ut ex hac societate exeamus, alium
que cœtum puriorem condamus. Ha
regulam ipse Christus & Apostoli ejus s
exemplo nobis præscripserunt, quam q
sequitur, recte agit. Secus se res habe
cum jam plures cœtus existunt, quor
unus veram, reliqui falsam religionem pr
fitentur. 2. BLASPHEMIA & PERSEC
TIO VERITATIS, quæ proxime ad pecc
tum in Sp. S. accedit. Matth. XII. 24
32. 3. SEPARATISMVS, h. e. tale vit
genus, quo quis res suas sibi soli habe
nulliusque cœtus sacris addictus est. Hu
vitium sicuti est externa omnium religio
num receptarum improbatio, & specie
Atheismi præ se fert, ita & repugnat ma
dato Apostoli. Ebr. X. 25. Recte qu
dem homo christianus se separat ab impi
& idololatricis cœtibus, qui verum Deu
nec agnoscunt, nec venerantur. Sed ubi
Ecclesia Christi existit, ubi verbum Dei &
sacramenta haberi possunt, ibi separatis
mus foret abnegatio veræ doctrinæ, et
iamsi Ecclesia illa aliqua imperfectione la
bora

horaret, aut indigna quædam membra contineret. 4. INDIFFERENTISMVS, quo doctrinarum differentia tollitur, & statuitur, perinde esse, sive hoc, sive aliud Religionis systema sequamur. 5. LEVITAS IN ACTIONIBVS, quæ ex consuetudine diversarum religionum notæ esse solent, licet alias in se forent indifferentes. His enim aliis facile persuaderi posset, nos falsæ religioni adhærere. 6. PRÆPOSTERA CONFESSIO, quam a nonnullis veterum Christianorum editam esse puto, qui nec accusati, nec interrogati, nec officii sui ratione adacti, ex solo martyrii desiderio, apud judices gentiles nomen suum inter Christianos sponte profitebantur. 7. ARROGANS CONFESSIO, quæ non ex convictione, pietate, & amore Dei proficiscitur, sed ex vano desiderio, nomen confessoris & vindicis veræ doctrinæ sibi comparandi. Matth. VII. 21. 22.

MOTIVA, quibus hoc studium nomen Christi confitendi accenditur & augetur, ex parte jam continentur argumentis, quibus demonstrata est nostra obligatio. Accedit autem 1. CONSIDERATIO BENEFICIORVM a Christo nobis exhibitorum, quæ coram mundo celebramus, dum Evangelium profitemur. Quantus foret illorum contemtus, quanta ingratitudo, ea prædicare nolle! 2. AMOR PROXIMI,

quem nostra confessione & constantia in fide confirmamus, aut ad agnoscendam & amplectendam veritatem invitamus, dissimulatione autem aut abnegatione seducimus, vel in incredulitate sua confirmamus. 3. TVRPITVDO RATIONVM, a quibus confessionis defectus, abnegatio, & inconstantia hominum dependet. Aut enim eos pudet Evangelii, aut timent pericula. Quicquid sit, Deum graviter offendunt & stulte agunt. Matth. X. 28. Marc. VIII. 38. Rom. I. 16. 4. GRAVITAS DELICTI, quod abnegatione veritatis committitur, & quod rarissime vera pœnitentia sequi solet. Ebr. VI. 4. 5. 6. 5. PRÆSTANTIA VERÆ DOCTRINÆ, cujus praedicatio ingens est Dei beneficium. 6. EVIMIA PRÆMIA, confessoribus promissa Matth. X. 32. & pœnæ non confitentibus metuendæ. Matth. X. 33. 7. EXEMPLA SANCTORVM, qui ab hac confessione nullis periculis, ne ipsa quidem morte, se abstterreri patiebantur. Act. IV. 18. 19. 20. Rom. VIII. 35. seqq. 2. Cor. XI. 23. seqq. 8. INSIGNIS HONOR, redundans in eos, qui inter afflictiones & vexationes mundi causam Dei intrepide agunt. Act. V. 41.

§. LXXXVI.

Adoratio.

Aliquem ADORARE dicimur, quando nostram

noſtram erga eum reverentiam verbis aliisque ſignis ipſi declaramus. Hæc reverentia quemadmodum in perfectionibus, meritis, ſuperioritate alterius, noſtraque ab eo dependentia fundata eſt, & hinc illorum menſura determinari debet, ita magna eſt adorationis varietas, nec hoc ſenſu impoſſibile foret, creaturas quoque adorare. Solet tamen hac voce illius reverentiæ declaratio intelligi, quo ens illud proſequimur, cujus providentia cuncta geruntur in terris, quod nobis ſemper præſens eſt, & de fatis noſtris pro arbitrio diſponere poteſt. Tale ens cum Deus ſit, idemque Pater, Filius, & Sp. S. atque hac ratione ille externe colatur, (§. 83.) nomenque ejus celebretur, (§. 84.) *dubium non eſt, quin Deo Patri, Filio, & Sp. S. exhibendus ſit cultus adorationis.* Pſ. XXII. 28. XLV. 12. Jeſ. LXVI. 23. Matth. IV. 10. Ebr. I. 6. Ergo

1. *Verbis aliisque ſignis externis declarandum eſt, nos Deum venerari tanquam ens illud, quod ubique præſens eſt, quod univerſum mundum ſua providentia gubernat, & a quo toti dependemus.*

2. Quia vero cultus externus nunquam eſſe debet ſine cultu interno, (§. 71. num. 3.) *quilibet etiam de his omnibus certus ſit, & ex affectu pietatis Deo hunc cultum exhibeat.* Jo. IV. 23. 24.

3. CumqueDeus ſolus ens illud ſupremum ſit, cujus omnipræſentia & gubernatio rerum omnium noſtrorumque fatorum definitio credenda & veneranda eſt, *abſit, ut quemquam præter Deum adoremus.* Exod. XX. 5. XXIII. 24. Matth. IV. 10. Apoc. XXII. 8. 9.

4. *Quodſi ergo ex conſuetudine ſigna quædam recepta ſunt, quibus adoratio ſummi numinis peragi ſolet, caveamus, ne iisdem creaturam quandam colamus.*

Adoratio eſt ſpecies cultus religioſi, de qua cum prolixe diſputatum ſit §. 71. & Sch. non opus eſt, ut, quæ jam dicta ſunt, hoc loco repetamus. Inde etiam cauſæ jam conſtant, quibus moveri poſſumus ad adorandum Deum. Addamus tamen 1. INFINITAM DEI MAIESTATEM, quam præcipue ante oculos habebant ſancti, cum adorationis cultum Deo deferrent; Dan. IV. 31. 34. 2. NOSTRAM A DEO DEPENDENTIAM, ſine cujus continuo influxu nihil eſſemus; 3. MAGNA ILLA BENEFICIA, quibus bene de nobis meretur Deus; Mal. I. 6. 4. OMNIPRÆSENTIAM DIVINAM, Pſ. CXXXIX. 7. ſeqq. quam qui ſemper conſiderat, non poteſt non ſummam reverentiam erga ſanctiſſimum hoc ens declarare; 5. EXEMPLVM ANGELORVM, qui Deum maxima devotione adorant;

rant; Jes. VI. 3. Ebr. I. 6. 6. EXIMIAS PROMISSIONES, quæ Deum colentibus & adorantibus proponuntur, 1. Sam. II. 30.

§. LXXXVII.

ALIQVEM INVOCARE est ab eo desiderare, ut aliquod bonum nobis conferat, aut malum a nobis removeat, idque agendi motiva illi proponere. Fieri hoc potest tum sola mente, tum etiam verbis, quæ deficere non solent, cum justus desiderii affectus adest. Si quem vero invocare volumus & obligamur, necesse est, ut propriam indigentiam sentiamus, ut ille, qui invocandus esse creditur, non tantum sciat nostra desideria & verba audiat, sed etiam auxilium ferre possit & velit; ut vero hoc facere nolit, nisi a nobis invocetur; denique ut in promptu sint motiva, quibus ad implenda nostra desideria flecti possit. Hæc omnia si intuitu alicujus entis adsint, invocatio ejus sine dubio necessaria, utilis, nobisque proficua est. Jam vero constat, hominem quemcunque multis bonis semper indigere, multisque in periculis continuo versari, a se ipso tamen nihil habere posse; Constat etiam, Deum esse omniscium, qui non tantum verba nostra audire, sed etiam absconditas hominum cogitationes videre possit; Invocatio.

Idem porro potentia sua efficere pote
quicquid vult, & quia summe bonus e
hominum quoque felicitatem cupit;
quamvis ipsa naturæ suæ perfectione
benefaciendum impellatur, sapientia
men, quæ manifestationem gloriæ divi
pro fine omnium actionum habet, n
semper patitur, ut beneficia sua distribu
nisi creaturæ ipsum tanquam fontem
mnium bonorum agnoscant & venera
tur; Hinc & in verbo suo sub condition
invocationis auxilium pollicetur; Ps. L.
Denique & singularia motiva dantur, qu
bus solis Deus moveri potest ad benefac
endum, desumpta nimirum non ab hom
num dignitate, sed a gratia Dei, merit
& interceſſione Christi. *Ergo & Deus
nobis invocandus est.* Ps. L. 15. CXLV. 18.19
Matth. VI. 7. Jo. XVI. 23. 24. Eph. VI. 18
Jac. I. 5. Invocamus autem Deum, quan
do ab eo petimus, ut bonum aliquod no
bis largiri, aut a malo quodam, periculis
& calamitatibus liberare velit. Cum igi
tur cuncta sint in manu Dei, ejus provi
dentia omnia gubernentur, & nihil nobis
evenire possit, nisi volente aut permitten
te Deo,

1. *Omne bonum, quo indigemus, sive sit spi
rituale sive temporale, a Deo petendum, & in
omnibus necessitatibus ad eum confugiendum
est.* Confirmatur hoc tum formula pre
cum,

cum, ab ipso Christo nobis præscripta, Matth. VI. 9. seqq. tum generali exauditionis promissione. Matth. XVIII. 19.

2. Hoc tamen non ita intelligi volo, ac si homo quælibet bona absolute & sine omni restrictione a Deo petere possit & debeat. Nam qui Deum invocat, supplex eum adit opinione, quod, quæ desideramus, nobis largiri non tantum possit, sed etiam velit. Jam vero constat, Deum alia bona absolute, alia tantum sub conditionibus, ipsi soli notis, hominibus impertiri velle. Et quænam illa sint, non tam a priori, quam ex divina promissione aut alia quacunque voluntatis Dei declaratione cognosci potest. *Ergo hoc discrimen observetur, ut, quod Deus se nobis dare velle declaravit, absolute, reliqua autem, de quibus voluntas Dei certo non constat, tantum sub conditione, si ipsi ita placeat, ab eo petamus.*

3. Æternam salutem, fidem, Spiritum sanctum, remissionem peccatorum, & reliqua bona spiritualia, ad salutem necessaria, Deus in verbo suo omnibus & singulis hominibus offert. 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. &c. *Hinc dubium non est, quin & spiritualia absolute ab eo petere liceat.* Ps. VI. 2. seqq. LI. 3. seqq. Jac. I. 5. Cum tamen ea sint multiplicia, & gradu a se invicem differant, Deus autem non omnibus æqua'em mensuram horum donorum impertiri velit,

ille,

ille, qui singularem mensuram bonorum spiritualium desiderat, cum conditione Deum implorare. 2. Cor. XII. 8. 9.

4. Dantur etiam bona, ad hujus vitæ felicitatem pertinentia, quæ se nobis largiri velle, Deus satis declaravit. Matth. VI. 11. Pleraque tamen ita sunt comparata, ut, si conferrentur omnibus ea desiderantibus, gloria Dei obscuraretur, aut ipsius hominis vera felicitas & æterna salus impediretur. Hæc sane Deus nobis dare non vult, ideoque nulla hujus rei extat promissio. *Quapropter bona temporalia cum conditione, si Deo ita visum, nobisque salutare fuerit, petenda sunt, nisi aliqua extet divina declaratio, ea a bonitate Dei certo expectanda esse.*

5. Hoc modo qui Deum invocat, certus esse potest, se exauditum iri. Nihil enim petit, nisi quod Deus dare possit & velit. Quodsi ergo nihilo minus dubitaret, num Deus ipsum exauditurus sit, aut non crederet, Deum sua potentia, quicquid vult, efficere posse, aut non fideret divinæ promissioni. Utrumque autem Deum graviter offendit. *Ergo quicquid petimus secundum regulam præscriptam, petendum est certa fide, Deum nos exauditurum esse.* Jo. XVI. 23. Jac. I. 6. 7.

6. Denique cum & motiva exauditionis Deo proponenda sint ab eum invocantibus

tibus, homo autem nihil mereri possit, sed Deus sua gratia & misericordia sola ad benefaciendum moveatur, cujus exercitium cum interveniente peccato impossibile redditum esset, Christus suo merito nobis restituit, *Deus ita invocandus est, ut, quicquid petimus, a sola ejus gratia per Christi meritum desideremus.* Ps. XXV. 6. 7. Dan. IX. 16. 18. Jo. XVI. 23.

Officium invocationis non tollitur OBIECTIONE, Deum precibus nostris non indigere, optime eum scire, qua re opus habeamus, neque precibus, sed misericordia & sapientia sua ad benefaciendum moveri, denique omnia ab æterno jam decreta esse, quæcunque nobis aliquando eventura sunt, & hæc decreta esse immutabilia. FATEOR, Deum nostris precibus non indigere. Sed nec ullo alio cultu, imo nulla re, indiget. Act. XVII. 24. 25. Et tamen ab hominibus coli vult, cujus causam alibi demonstravimus. Indigentiam nostram non ex nostris precibus, sed vi suæ omniscientiæ novit. Vult tamen a nobis invocari, ut bona nobis largiri possit, quorum inopia nos laborare non ignorabat. Et quamvis ex sola misericordia propter Christum nobis benefaciat, eaque bona sola nobis conferat, quæ salva sapientia sua nobis conferre potest,

est, ipsius tamen sapientiæ non conveniret, iis nos juvari beneficiis, quibus juvamur, nisi nomen ejus invocaremus. Vult enim a nobis cognosci tanquam fons & origo omnium bonorum. Vult, ut quælibet bona ab eo tanquam beneficia prorsus immerita accipiamus. Vult, ut invocando nomen ejus glorificemus. Quodsi fiat, beneficiis nos ornare potest, quæ alias salva ejus sapientia conferri haud potuissent. Et quoniam ab æterno infallibiliter prævidit, nos hoc vel illo tempore nomen ejus invocaturos esse, ipse etiam fata nostra ab æterno prædefinivit. Quorsum igitur opus est precibus? Si, quod mihi evenire debet, inquies, jam decretum est ab æterno, & si decretum hoc immutabile est, aut bonum mihi continget sine precibus, aut malum me vexabit, etiamsi Deus a me invocetur. At enim vero qui ita sentit, non videtur animadvertere, fata nostra a Deo *non absolute, sed intuitu precum nostrarum* æterno ejus decreto definita esse. Quodsi ab æterno precum nostrarum rationem habuit, perinde est, ac si hodie demum ad preces nostras attenderet, earumque existentia moveri se pateretur, ut hæc vel illa beneficia nobis exhiberet. Summa enim illa naturæ divinæ perfectio, qua, quicquid hodie fit, ab æterno jam prævidit, sicuti eventuum futuro-

turorum & prævisorum contingentiam non tollit, ita nec modum agendi, quem Deus observaturus esset, si futura non præsciret, non variat.

Est autem Deus in quacunque necessitate invocandus, tum quia ipsius nutu & arbitrio omnia gubernantur, tum quia in omni necessitate a nobis invocari vult. Ps. L. 15. Quia vero non semper constat, num Deo glorioſum, nobisque salutare sit, desideria nostra expleri, & nostræ tamen preces cum voluntate Dei convenire debent, multa ab eo petenda sunt tantum sub conditione. Equidem generales extare videntur promissiones, Deum omnia nobis largiturum esse, quæcunque ab eo petituri simus. Ps. L. 15. Matth. XVIII. 19. Jo. XVI. 23. 24. Et si istæ adforent, non opus esset conditione adjicienda. Verum enim vero istæ promissiones generaliores tantum *secundum quid* intelligendæ sunt. Notum enim est, multa ab hominibus desiderari posse, quæ nec ipsis utilia, nec Deo satis digna forent. Matth. XX. 22. Rom. VIII. 26. Quis igitur sibi persuaderet, hæc quoque Deum hominibus impertiri velle? Accidit vero, ut & fideles hujus generis res a Deo quandoque petant, non habita ratione conditionis adjiciendæ. Quod si fecerint, non exaudiuntur. Et hoc sensu verum est, non

omnes

omnes fidelium preces ſemper exaudiri Rom. I. 10. 13. 2. Cor. XII. 8. 9. Verum ſi rem totam divinæ voluntati committant, resque dubias, de quibus non extat promiſſio ſimplex & abſoluta, ſub conditione tantum petant, exauditio precum nunquam deeſt. Fit enim, quod Deo placet, & quod ut fieret, ipſi petierant. Hoc modo etiam a Deo petere licet, quæ ſibi eventura non eſſe, homo non ignorat, Matth. XXVI. 39. Nam hæc invocatio foret declaratio deſiderii noſtri, conjuncta cum agnitione, illud a ſolo Deo adimpleri poſſe, & cum confeſſione, nos voluntatem noſtram divinæ humiliter ſubjicere.

OPPONITVR huic officio 1. INVOCATIONIS DEFECTVS, qui & *totalis* eſſe poteſt, Pſ. LXXIX. 6. & *partialis*, cum Deus rariſſime invocatur, & humana auxilia majori ſtudio quæruntur, quam divinum; 1. Reg. XVI. 7. coll. Jeſ. VII. 4. ſqq. 2. TEMERARIA INVOCATIO, cum aut bona non promiſſa abſolute deſiderantur, aut Deo certus exauditionis terminus præſcribitur; Judith. VII. 22. 3. HÆSITATIO, qua non intelligimus dubitationem, num nobis eventurum ſit, quod optamus, ſed dubitationem, num accepturi ſimus, quæ Deus promiſit, aut ipſi glorioſa, nobisque ſalutaria ſunt; Jac. I. 6. 7.

4. LAN-

4. LANGVOR, qui est defectus constantiæ & perseverantiæ in precibus, si non statim exaudiantur; Luc. XVIII. 1. seqq. Matth. XV. 22. seqq. 5. PHARISAICA INVOCATIO, cujus illi sunt rei, qui non cum humilitate spiritus & fiducia in Christi merito Deum invocant, sed ex merito sibi exauditionem deberi putant. Luc. XVIII. 11. 12.

AD IPSAM INVOCATIONEM nominis divini movere nos debent 1. ATTRIBVTA DEI, veluti ejus potentia, bonitas, omniscientia, sapientia, & imperium in universum mundum; 2. MVLTÆ ET QVOTIDIANÆ NOSTRÆ NECESSITATES, in quibus nemo juvare nos potest, præter Deum; 3. MANDATVM DIVINVM & PROMISSIO EXAVDITIONIS; Ps. L. 15. Jes. LXV. 24. Jo. XVI. 23. 24. 4. CONSCIENTIÆ ORANTIVM TRANQVILLITAS, quæ adest, sive ipsis eveniat, quod optant, sive non eveniat; Ps. LXIX. 14. seqq. CIX. 4. Act. IV. 31. 5. CONSOLATIO ET FORTITVDO ANIMI, quam inde capiunt, quod sciant, se res suas sapientissimo & omnipotenti Deo tradidisse; 6. EXEMPLVM CHRISTI & SANCTORVM. Ut vero & FIDVCIALITER & cum certa exauditionis spe Deum invocemus, cogitandum est, 1. DEVM AVDIRE PRECES nostras; 2. EAS QVOQVE DEO ACCEPTAS esse propter Christum ejusque meritum; 3. PROMI-

SISSE EXAVDITIONEM, & hoc promissum nunquam fore vanum & inane; 4. SANCTOS INVOCASSE DEVM, & exauditos esse ab eo; 5. CHRISTVM APVD DEVM PRO NOBIS INTERCEDERE; Rom. VIII. 34. 1. Jo. II. 1. 2. 6. PRECES NOSTRAS ESSE IPSIVS SP. S. SVSPIRIA, quibus non potest non exauditio respondere. Rom. VIII. 26. 27.

§. LXXXVIII.

Preces. PRECES sunt omnis oratio ad Deum in honorem ejus directa. Ps. XIX. 15. Hujus orationis argumentum varium & multiplex esse potest. Aut enim Deo pro acceptis beneficiis gratias agimus, aut veniam peccatorum nostrorum ab eo petimus, aut magnitudinem ejus deprædicamus, nostramque humilitatem & reverentiam declaramus, aut bona cujuscunque generis vel nobis vel aliis conferendi desideramus. Hinc & varia dantur precum genera, veluti GRATIARVM ACTIO, DEPRECATIO, LAVS & ADORATIO DEI, INVOCATIO, & INTERCESSIO. 1. Tim. II. 1. De obligatione precandi cum jam satis constet ex antecedentibus, non est, ut hoc loco differamus. Id potius discutiendum nobis erit, quomodo preces nostras comparatas esse oporteat, ut Deo acceptæ

ceptæ sint, ejusque voluntati conformes. Teneamus ergo,

1. Cum preces ad externum cultum pertineant, (§. 83.) ab hoc autem cultus internus nunquam separari debeat, (§. 71.) num. 3.) *non tantum ore sed & corde precandum esse.* Jes. XXIX. 13. Jo. IV. 23. 24.

2. Sic autem qui precatur, probe attendit ad ea, quæ Deo proponit, & simul sibi conscius est magnitudinis & majestatis ejus, quocum colloquitur, nec non propriæ indignitatis. Hæc attentio conjuncta cum sensu majestatis divinæ nostræque erga eam reverentiæ dicitur DEVOTIO. *Ergo & devote precandum est.* 2. Sam. VII. 18. seqq. Ps. V. 2. 3.

3. At vero hæc cordis dispositio facillime impeditur, si sensus externo rerum terrenarum strepitu nimis afficiantur, aut negotia hujus mundi animum occupent & distrahant. Ut igitur hoc impedimentum precum Deo acceptarum evitetur, *homo non tantum animum curis mundanis evacuet, sed etiam in loca secretiora secedat, & in occulto ad Deum precetur.* Matth. VI. 6. XIV. 23. XXVI. 36.

4. Non semper est in nostra potestate, a rebus mundanis abstrahere, omnem affectuum perturbationem expellere, & ad solam contemplationem rerum divinarum animum applicare. Nihilo tamen

minus hæc omnia ſunt neceſſaria, ut pr
ces noſtræ Deo ſint acceptæ. *Ergo ille n
adſtringendæ ſunt fixis temporibus, ſed or
dum, quoties rectam animi diſpoſitionem &
citationem adeſſe ſentimus.*

5. Cæterum cum precantes coram De
compareant, cujus ſanctiſſimam Majeſ
tem angeli quoque ſupplices adorant
venerantur, Jeſ. VI. 2. 3. & homo ſciat,
omni ſanctitate & dignitate carere, & in
gentem Dei gratiam eſſe, quod ſibi eu
precibus adire liceat, *ille, qui precari tu
quemadmodum oportet, cum humilitate & pa
pertate ſpiritus oret, omnem exauditionis ſpe
in Dei gratia & merito Chriſti collocet, p
Chriſtum tanquam mediatorem & interceſſore
ſuum ad Deum accedat, ſuamque erga Deu
reverentiam externo quoque habitu corpor
ſignificet.* Dan. IX. 18. Gen. XVIII. 27. E
LI. 19. Luc. XVIII. 13. 2. Par. VI. 13. 14
Matth. XXVI. 39.

Ad devotionem excitandam requiritur, u
antequam precamur, ſummam Dei maje
ſtatem, precandi rationes & motiva, ne
non orationis noſtræ argumentum, num
Deo dignum ſit, & exauditio ſperari pot
ſit, attenta & pia mente ponderemus.
Quod cum fieri haud poſſe videatur, cum
precum formulas ab aliis conceptas adhi
bemus, quæritur, num iis uti liceat? Ego
certe

certe nullus dubito, quin id fieri possit. Nam & simpliciores ex ejusmodi precum formulis discunt, quid & quomodo precandum sit, & illorum studium ac ardor precandi excitatur, & sine hoc adminiculo multi precari haud possent, & ipse Christus formulam precum nobis præscripsit, Matth. VI. 9. & multæ aliæ in sacris literis, præcipue in Psalterio, continentur, a piis omnino adhibendæ. Inprimis hac precum formula opus est, cum Deus a multis simul, conjuncta animorum devotione, invocandus est. Ne vero usus formularum in actionem prorsus externam & mechanicam degeneret, cujus non datur sensus internus, sed ex spiritu & desiderio precandi proficiscatur, & devotionem sibi semper conjunctam habeat, prius diligenter perlegendæ sunt, & explorandæ, num a nobis pro circumstantiarum ratione adhiberi possint, atque tunc familiariores reddendæ, ut ordinem ab aliis præscriptum sequentes, nostra tamen desideria exprimamus.

Animum a rebus vanis revocare discunt, & revocandi habitum sibi acquirunt Christiani, cogitatione crebrius repetita, divina & cælestia longe excellentiora esse terrenis, confirmato beneplacito in rebus divinis, auctaque fide & amore Dei, quibus desideria carnis vincuntur. Secessio-

nem ad loca ſecretiora ipſe Chriſtus co
mendavit, Matth. XIV. 23. &c. Id
men intelligi debet de precibus priva
quæ ſi coram hominibus locisque publ
peragerentur, ſpeciem hypocriſeos pra
ferrent, & plerumque hoc caſu hypocri
cæ ſunt. Matth. VI. 5. Secus ſe res h
bet, quando publice orandum eſt. Tu
enim & præſumtio hypocriſeos caſ
quamquam adeſſe poſſit, & externæ r
precantium animos non turbant, ver
potius ad precandum excitant.

Tempora fixa precibus deſtinare, n
in ſe utilis eſt, omnibusque commenda
da. Cum enim & Deus coli debeat,
alia hujus vitæ negotia peragenda ſint, ſi
gula autem certo ordine & modo tracta
oporteat, neceſſe eſt, ut externo & im
mediato cultui Dei, ad quem ſine dubi
preces pertinent, certum deſignetur tem
pus. Quod niſi fieret, verendum eſſet,
ne totus Dei cultus caderet, & preces
prorſus negligerentur. Hinc & in eo ent
tendum eſt Chriſtianis, ut advenientibus
iſtis temporibus animum habeant ad pre
ces compoſitum. Sed caveri debet, ne
tempora iſta ſuperſtitioſe obſerventur,
quaſi preces ſtatutis temporibus fuſæ effi
caciores eſſent aliis. Quare ſi eo tempo
re, quo alias precari ſolemus, nos minus
idoneos ad precandum eſſe ſentiamus,

præ-

præstat, non precari, quam ex consuetudine sine animi devotione precari. Ex adverso autem si alio tempore mens intenta sit in res divinas, sique studium & desiderium precandi sentiatur, aut si calamitates nostræ nos impellant ad auxilium apud Deum quærendum, nulla interponenda est mora, sed ad preces eo magis confugiendum, cum dubitari nequeat, hunc impulsum esse opus Sp. S. ad precandum nos excitantis, atque ita pro nobis apud Deum intercedentis. Rom. VIII. 26. Hinc facile intelligi poterit, quorsum tendat mandatum Apostoli: Ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε. 1. Thess. V. 17. Scilicet non absolute id accipiendum esse, ex eo patet, quia nec possibile est, semper precari, nec orare licet cum neglectu omnium aliorum officiorum, nec preces nimis prolixæ Deo placent, Matth. VI. 7. XXIII. 14. multo minus continuæ, nec sancti semper precati sunt. Sed id sibi volunt verba Apostoli, ut habitualem precandi dispositionem nobis acquirere studeamus, ut preces nostras sæpe repetamus, etiamsi non statim exaudiantur, Luc. XVIII. 1. & ut quocunque tempore, quotiescunque necessum fuerit, & novæ emergant circumstantiæ, ad Deum precibus nostris confugiamus. Phil. IV. 6.

§. LXXXIX.

Juramentum.

IVRAMENTVM est invocatio Dei, ut vindictam a nobis sumere velit, nisi promissum nostrum adimpleturi simus. Hoc promissum cum esse possit justum & bonum, invocatio autem, qua Deum judicem in nos deposcimus, nisi servaturi simus promissum, externa & publica declaratio sit, Deum attendere ad actiones humanas, eundem esse creaturarum omnium judicem, & severe animadvertere in leves & malignos homines, qui fidem turpiter fallunt, *juramenta sunt species cultus externi.* (§. 83.) Quia vero juramentis opus non esset, si quisque veracitati studeret, &, quod semel pollicitus est, religiose præstaret, ideoque juramenta adhiberi cœperunt, ut fraudes & mendacia facilius evitarentur, quorum criminum suspicio in Christianos cadere merito non deberet,

1. *Ita illis vivendum est, ut necesse non sit, Christianos ad jurandum unquam adigi.* Matth. V. 34. 37.

2. Sed hoc vitæ genus inter eos, qui Christi nomen profitentur, hactenus desideratum est, & sine dubio imposterum semper desiderabitur. Cum itaque coram hominibus non constet, quinam vere pii sint, & quibus secure fidere possimus, quan-

quandoque autem multum interfit, ut veritas in lucem producatur, & promissa confirmentur, in hunc finem adhibenda sunt media, quæ sufficiunt, & sine nominis divini obscuratione adhiberi possunt. Tale medium est juramentum. Pauciſſimi enim ab omni Numinis sensu adeo remoti sunt, ut mendacia juramento confirmare auderent, aut fidem datam liberare nollent, etiamsi Deum omniscium & omnipotentem fraudis ultorem esse voluerint. Et præter hæc tantum abest, ut juramento gloria Dei obscuretur, ut potius per illud Deus certo modo colatur. *Quapropter nullum est dubium, quin Christianis jurare liceat.* Confirmatur hoc tum mandato divino, lites forenses juramento finiendi, Exod. XXII. 11. Ebr. VI. 16. tum instructione, quomodo jurandum sit, Deut. VI. 13. X. 20. Matth. XXIII. 16. seqq. tum denique significatione, juramentum per nomen veri Dei pertinere ad rectum ejus cultum. Jes. XIX. 18.

3. Quemadmodum autem juramentum est actio religiosa, ad quam ex necessitate tantum confugiendum est, & facile vilesceret, omnique effectu careret, si quacunque occasione, etiam leviſſima, exigeretur, nec minus perjurium ingens crimen est, quod ne a quopiam committatur, summo studio caveri debet, *juramenta de-*

ferenda non sunt, nisi in causis gravioris momenti, cum certitudo asserti aut promissi aliter haberi nequit, & tamen multum interest, ut habeatur. Matth. V. 37.

4. Qui per nomen alicujus jurat, hoc ipso testatur, se credere, eum, per quem jurat, esse omniscium & omnipotentem judicem omnium creaturarum, qui malum ulciscí velit & possit, etiamsi nulla humana vis ad hanc ultionem sufficiat. *Quod cum de solo Deo vero valeat, per Dei quoque solius nomen jurandum est.* Deut. VI. 13. X. 20. Jes. XIX. 18.

5. Qui juramento aliquid confirmat, quod falsum esse novit, aut præstare non vult, ille nomine Dei abutitur ad securius mentiendum & fallendum, divinam vindictam, quam in se deposcit, nihili facit, & hinc credit, Deum aut non curare res humanas, aut hanc impietatem punire nolle, vel non posse. Ita vero Deus & totus cultus ejus ludibrio habetur, & externo religionis prætextu efficacius peccatur. Quod cum grande delictum sit, *quisque sibi caveat a perjurio.* Exod. XX. 7. Lev. XIX. 12. Num. XXX. 3. Gal. VI. 7.

Juramenta dispesci solent in ASSERTORIA & PROMISSORIA. Vere autem omnia sunt promissoria. Quando juramentis Deum coli dicimus, distinguenda est ipsa actio reli-

religiosa ab illius causa. Hæc merito existere non deberet inter Christianos. Est enim multiplex mendacium & pacti violatio, commissa quoque ab iis, qui alias veracitatis, honestatis, & probitatis speciem præ se ferebant. Viderunt homines, plerosque fidem fallere, &, quod promiserunt, non præstare, nisi metu externæ coactionis adigerentur. Sed hæc non semper sufficiebat ad manifestandum verum, aut ad extorquenda promissa illis data. Itaque medio se invicem obligare volebant, quod vim suam retineret, etiamsi nulla coactio, nulla pœna civilis metuenda esset. Hac ratione inciderunt in juramenta. Quatenus ergo Christianis veracitati studendum est, sic ut nulla fraudis suspicio in eos caderet, & hoc si fecerint, non opus esset juramentis, ab iis merito jurari non deberet. Atque id sibi Christus sine dubio voluit, Matth. V. 34. seqq. quamquam & siniſtrum jurandi modum eo loco simul improbet. Minime vero juramenta absolute prohibita esse, tum ex rationibus num. 2. excitatis patet, tum ex eo, quod & inter Christianos vitæ genus tolerat, quo juramenta necessaria redduntur. Addi possunt juramenta a sanctis præstita, Gen. XXI. 23. 24. XXIV. 3. 9. XXVI. 31. XLVII. 31, laudes eorum, qui, quod jurarunt, etiam ser-

servant, Ps. XV. 4. XXIV. 4. & ipse Dei exemplum, qui per suum nomen sa juravit, ut de promissionibus suis eo ce tiores redderet homines. Gen. XXII. 1 Ps. CX. 4. Ezech. XXXIII. 11. Ebr. VI. Quemadmodum autem juramenta adh bentur, ut jurantem sensu Numinis & tu vindictæ divinæ eo fortius in consci tia obligent, ita juramentum, quod Athe & Dei contemptoribus deferri solet, me est ceremonia civilis, quam, si jurant impietas satis manifesta est, approba non possumus. Jer. IV. 1. 2.

Juramentum per nomen ejus, qui no est Deus, præstitum vera est idololatri ideoque severe interdictum. Jer. V. XII. 16. Ex hac causa non tantum sib caveat quisque, ne per sanctos juret, se etiam judici purioribus sacris addicto no licet, tale juramentum permittere, etiam juraturus religionem profiteretur, qua juramentum per sanctos approbat & ur get. Nam judex illud permittens ipso facto consentit in cultum idololatricum. Jurans vero salva conscientia per solum Deum iurare potest, omissa mentione san ctorum. Judæo autem si jurandum fo ret, permittatur jusjurandum per Deum Abrahami, Isaaci, & Jacobi. Quod enim si judex admittere nollet, declararet, se non credere, Deum Abrahami, Isaaci, & Ja-

& Jacobi verum esse Deum, quem tamen verum Deum esse Christiani credunt. Ad juramentum per nomen Christi adigi non potest. Quomodo invocabit eum, in quem non credit? Rom. X. 14. Et impium foret, externam Divinitatis professionem extorquere, quæ corde abnegatur.

Perjurium duplici modo committitur: Primum, cum quis jurat, verum esse, quod tamen falsum esse, non ignorat; Secundo, cum quis jurat, se quid præstiturum esse, quod tamen præstare non vult. Sed posteriore casu supponitur, justum esse promissum, quod Deo placet, & juxta leges impleri debet. Distinguendum autem est inter præstare *nolle*, & præstare *non posse*. Fieri potest, ut quis promissum juramento confirmatum servare velit, sed non possit. Cujus causa si non est ipsius juramento obstricti culpa, non-adimpletio promissi minime habenda est pro perjurio. Nemo enim jurat, se promissum impleturum esse, etiamsi futurum sit impossibile. Quanta impietas sit pejerare, ut quisque intelligat, consideret, 1. *Perjurium* esse extremum abusum nominis divini, Exod. XX. 7. Lev. XIX. 12. 2. *Perjurum* non tantum mendaciis & fraude Deum offendere, Exod. XX. 16. sed etiam hæc vitia religionis prætextu & invocatione nominis

nis divini tegere; 3. *Perjurum* consc- tire in vindictam divinam, eamque condi- tionem adimplere, qua extitura eam in s depopoſcit; 4. *Perjurum* ipſo facto de- clarare, ſe aut Deum ipſum, aut ejus o- mniſcientiam, potentiam, vel ſanctitatem abnegare; 5. *Perjuris* locum non eſſe in communione ſanctorum; Pſ. XV. 4. XXIV. 4. 6. *Eosdem*, niſi omni Numi- nis ſenſu careant, morſibus conſcientiæ continuo excruciari, nec poſſe ejus gra- am implorare, quem ſibi iratum & vindi- cem ipſi ultro voluerunt; 7. *Excuſſiſſe* eos quoque omnem honeſtatis & civilis juſti- tiæ ſenſum, dum extremum illud vinculum ſpreverunt, quo ſe obligare ſolent homi- nes, cum reliqua omnia deficiunt.

CAPVT II.

DE OFFICIIS CHRISTIANORVM ERGA SE IPSOS.

§. XC.

Amor ſui ipſius.] *Primum, quod quisque ſibi ipſi debet, eſt amor ſui ipſius, h. e. ſtudium, ſuam ipſius perfectionem & felicitatem promovendi.* Summa enim totius legis naturæ hæc eſt: Fac ea, quæ gloriam ſummi Numinis illuſtrant, teque

teque ipsum perficiunt. (§. 17.) Cum ergo naturæ lex lege Dei positiva minime abrogata, sed potius magis declarata & confirmata sit, (§. 28.) & hinc Christianos utramque sequi oporteat, quisque etiam se ipsum amare tenetur. Lev. XIX. 18. Matth. XXII. 39. Rom. XIII. 9. Eph. V. 29. Quod ne præposterе aut cœco quasi impetu peragatur,

1. *Homo Christianus se ipsum quam diligentissime exploret*, ut intelligat, tum quid habeat virium & perfectionum a Deo acceptarum, tum quibus adhuc laboret imperfectionibus, tum quænam sit illa felicitas, cujus particeps fieri possit, tum denique quibus illa mediis comparari queat; 2. Cor. XIII. 5. Eph. I. 17.

2. Homo ex anima & corpore constat, variasque circumstantias ac relationes externas habet, quæ statum ejus externum constituunt. Horum omnium contrariæ possibiles sunt determinationes, quarum aliæ in hominis felicitatem tendunt, aliæ in ejus infelicitatem. *Ergo & animæ, & corporis, & status externi perfectio strenue promovenda est*;

3. Cognita perfectione, qua quis potiri possit, cognitisque mediis, quibus utendum sit, *ea tanto studio adhibenda sunt, ut nec laboris, nec molestiæ nec difficultatis metu absterreri nos patiamur*;

4. Fieri

4. Fieri autem potest, ut perfectio ma jor & minor simul impetrari nequeat, i eoque alterutra negligenda sit. Quod acciderit, considerandum est, perfectio nem minorem, quæ impedit majorem aliquid mali esse, hominem reddere in feliciorem. *Ergo existente collissione mino perfectio negligi debet, ut majorem consequ possimus*;

5. Sed in hoc studio, se ipsum perfi ciendi, certus tenendus est modus. Con stat enim, Deum quoque amandum esse (§. 72.) Cum ergo officia erga Deum qui buscunque aliis potiora esse debeant, (§. 69 num. 4.) sequitur, *Deum magis amandum esse, quam nos ipsos*; Gen. XXII. 12. Deut. XIII. 6. seqq Luc. XIV. 26.

6. Denique cum præter nos ipsos non tantum Deus, sed etiam res aliæ diligi debeant, *nemo se solum amet.*

Amor dispesci solet in AMOREM BENEPLACENTIÆ & BENEVOLENTIÆ. Ille est dispositio ex re quadam voluptatem capiendi; hic vero studium, rem istam perficiendi. Amor autem benevolentiæ cum oriatur ex amore beneplacentiæ, atque sine hoc esse nequeat, sufficiebat, prioris necessitatem demonstrasse. Præter rationem jam redditam & expressum Dei verbum obligationem, se ipsum diligendi, probat

I. STI-

I. STIMVLVS NATVRÆ INTIME INFIXVS, quo nemo mortalium caret, & qui non est habitus vitiosus, a corruptione mentis dependens, sed principiis tam naturalibus quam revelatis plane conformis. Hunc stimulum Apostolus innuit & approbat, Eph. V. 29. & quoniam quisque eum sentit, & non potest non sequi, officium, se ipsum diligendi, in decalogo nulla expressa lege præcipiebatur, quamquam implicite & cum necessaria limitatione in eodem contineatur, Lev. XIX. 18. Matth. XXII. 39. 2. NOSTRA A DEO DEPENDENTIA. Ipsius enim opus sumus, quod vi amoris erga creatorem magni facere, fovere, & æstimare debemus. 3. SVMMVS DEI AMOR, qui tantus in quemque nostrum erat, ut & unigenitum suum filium pro nobis omnibus traderet. Jo. III. 16. Rom. VIII. 31. 32. 4. MOTIVA, quibus ipse Deus nos ad obsequium erga mandata sua obligat, quæque ita sunt comparata, ut nihil valoris haberent, nisi homo se ipsum diligeret, seque diligere obligatus foret. Exod. XX. 5. 6. Rom. II. 7. 9. 5. INHABITATIO SP. S. qua fideles templum Dei redduntur. 1. Cor. III. 16. 17. 6. PRÆCEPTVM INVOCANDI DEVM in quacunque necessitate, ut nos liberet ab omni malo. Ps. L. 15. Matth. VI. 13. Huic officio non repugnat ABNEGATIO SVI

IPSIVS, cum quis propter Deum se sut-
que felicitatem negligit. Nam qui se
psum abnegat, recte & ordinate se dili-
& tantum bonum majus minori præfe-
Certus enim est, majora sibi expecta-
esse bona, si alia propter Deum abjicien-
sint. Hinc & abnegatio sui ipsius m-
quam postulat, ut Dei causa æterna sal-
carere velimus. (§. 75.)

OPPOSITA amoris hujus sunt & DEF-
CTVS OMNIS AMORIS, qui tamen nu-
bi facile existet, & AMOR INORDINATV-
qui eo frequentior esse solet. Varie a-
tem immoderata & inordinata illa philau-
se exserere solet, veluti 1. *cum majora* bo-
na pluresque perfectiones nobis in esse co-
gitamus, quam vere adsunt, defectus a-
tem, imperfectiones, & vitia, quibus la-
boramus, aut non videmus, aut excusa-
mus; Matth. VII. 3. seqq. Luc. XVIII. 11.
2. *cum, quæ nobis insunt*, bona & vir-
non ad Deum tanquam auctorem, sed a-
nos ipsos referimus; Dan. IV. 27. 1. Cor.
IV. 7. 3. *cum sorte* nostra contenti non
sumus, sed bona appetimus, quæ supra
conditionem humanam posita sunt; Gen.
III. 5. 6. Act. XII. 22. 4. *cum nos solos*
diligimus, rebusque aliis tantum bene cu-
pimus, quatenus ad nos habent relatio-
nem, nostrumque statum perficiunt; Matth.
XIX. 27. 5. *cum Deum unice* propter uti-
lita-

litatem nostram colimus, quod Jobum facere satanas præsumebat; Job. I. 9. 10. 11. 6. *cum bona* minora & apparentia præferimus majoribus & veris; Matth. VIII. 34. 7. *cum nostra* commoda injustis & illegitimis mediis quærimus. Luc. XVI. 5. seqq. Et quis omnia extrema hujus extravagantis amoris recensere posset? Difficile est, eum ita coercere, quemadmodum oportet. Est enim stimulus naturæ, qui, cum accedit naturæ corruptio, ita evagatur, ut nullis limitibus se contineri patiatur. Sed *fideles*, in quibus est natura per gratiam emendata, *multa habent motiva*, quibus cavent, ne necessarius sui ipsius amor degeneret in inordinatum. 1. *Sciunt*, amorem inordinatum vere nullum esse, & homines, qui eo laborant, se odisse, suamque in perniciem de industria se præcipites dare; 2. *Norunt*, amore inordinato effici, ut nec videant, quibus bonis indigeant, quibusque malis premantur, nec justa suæ felicitatis promovendæ media adhibeant; 3. *Norunt* etiam, hunc ipsum amorem esse veram idololatriam, dum honorem & amorem, qui soli Deo debetur, in se devolvunt homines, hoc vitio infecti; 4. *Didicerunt*, eundem esse omnium vitiorum, fastus, avaritiæ, injustitiæ, invidiæ, &c. matrem; 5. *Denique non ignorant*, quot quantæque sibi sint causæ, Deum super

omnia diligendi, & proximum ſicut ſe
ipſos, hisque conſiderationibus amorem ſ
ipſius ita temperare ſtudent, ut non faci
in transverſum agatur.

§. XCI.

Cura animæ.

Perfectionum, quas intuitu ſui ipſi
quisque ſectari debet, alia eſt animæ, al
corporis, alia ſtatus externi. (§. 90. num.
Sed harum omnium præcipua ſine dubi
eſt animæ. Nam primo anima eſt pa
nobiliſſima hominis, quæ ſola Deum po
eſt cognoſcere, legibus obligari, & offici
quæ Deo præſtanda ſunt, adimplere. Se
cundo anima eſt immortalis, & perenn
vita fruitur, cum corpus interit, omne
que hujus vitæ circumſtantiæ abolentur.
Tertio perfectio corporis & ſtatus extern
nihil eſſet, niſi anima eam ſentiret, & e
ea voluptatem caperet. Cum ergo ma
jor perfectio præferenda ſit minori, (§. 9
num. 4.) *homo chriſtianus ante omnia anima
curet, ejusque veram perfectionem & felicita
tem promoveat.* Matth. X. 28. XVI. 26. Jam
vero

1. Anima variarum perfectionum natu
ralium capax eſt. Intellectus multiplici
cognitione & ſapientia, voluntas autem
multis bonis habitibus inſtrui poteſt, qui
ad honeſtatem & juſtitiam civilem perti
nent

nent. *Ergo & opera danda est, ut his naturalibus donis & virtutibus anima ornata sit.* Phil. IV. 8.

2. Omnium vero maxima perfectio est æterna vita. Tunc enim intellectus lumine gloriæ & perfectissima Dei cognitione gaudebit. Voluntas & intensissimo Dei amore flagrabit, & summam ac ineffabilem lætitiam sentiet. Nulla tunc erit imperfectio, nullus dolor, nullus defectus. Et hæc felicitas uti in se est maxima, ita & semper duratura est. *Hinc præcipua Christianorum cura esse debet, ut æternam salutem consequantur.* Matth. VI. 33 Phil. II. 12.

3. Norunt autem Christiani, hanc felicitatem sola fide in Christum impetrari. Norunt etiam, fidem istam oportere esse constantem & finalem. Excussa enim fide perditur remissio peccatorum & justitia, cui cæleste præmium promissum est. Ezech. XVIII. 24. Quin hæc fidei amissio adeo periculosa est, ut præstet, eam nunquam habuisse, quam rursus perdidisse. Ebr. VI. 4. 5. 6. 2. Pet. II. 20. 21. Quapropter cum Christiani in Christum credant, & fide jam facti sint filii Dei, & hæredes æternæ salutis, Rom. VIII. 15. 16. 17. *omnibus viribus illis enitendum est, ut in fide usque ad ultimum vitæ momentum perseverent.* Matth. X. 22. 1. Cor. X. 12. Phil. I. 6. 1. Pet. V. 10. Apoc. II. 10.

4. Hanc

4. Hanc perseverantiam cum Deus omnibus & singulis largiri velit, qui viribus spiritualibus in regeneratione acceptis recte utuntur, continua verbi divini meditatione fidem suam confirmant & augent, studium bonorum operum pro virili sectantur, tentationibus carnis & mundi fortiter resistunt, & a Deo auxilium gratiamque petunt, *his mediis omnibus recte etiam utendum est piis Christianis.*

CVRA ANIMÆ fidelibus eo magis commendanda est, tum quia anima sola ad divinam imaginem creata est, quæ, licet lapsu amissa sit, in fidelibus tamen restauratur, & semper magis magisque perfici debet; Rom. VIII. 29. Eph. IV. 24. tum quia præcipua Dei beneficia, qualia sunt remissio peccatorum, unio cum Deo, &c. ad animam pertinent; tum quia hæc omnia illi comparata sunt infinito pretio, morte nimirum ipsius filii Dei; Rom. V. 10. 1. Tim. II. 6. 1. Pet. I. 18. 19. tum quia ipsa est templum Spiritus sancti. 1. Cor. III. 16. Potest autem anima perfici & DONIS NATVRALIBVS, quæ non minus sunt beneficia divina, a Deo petenda & accipienda, quam spiritualia, Exod. XXXI. 3. 6. 2. Par. I. 10. 11. 12. Prov. II. 6. & DONIS SPIRITVALIBVS. Quæ posteriora licet ipsa regeneratione conferantur, & renovatione tantum augeantur & perfici-

ficiantur, tamen, cum heic loci officia Christianorum, h. e. hominum jam renatorum, exponantur, ea duntaxat dona indicanda erant, quæ in ipsa renovatione acquiruntur. Hæc autem omnia *perseverantia in fide* continentur. Nam perdurante fide existere pergit remissio peccatorum, declaratio hominis pro justo, jus filiorum Dei, spes æternæ vitæ, &c. Eadem perdurante crescit etiam & conservatur studium pietatis, unio cum Deo, inhabitatio Sp. S. sanctificatio, habitus justitiæ inhærentis, &c. Ut vero fides ista conservetur, opus est variis exercitiis pietatis, quæ ex parte breviter indicata sunt num. 4. ex parte autem copiosius exponentur, cum in parte tertia de vario Christianorum statu de industria nobis agendum erit. Itaque MOTIVA PERSEVERANDI IN FIDE tantum adiiciam. Huc inprimis pertinet 1. *continuata* possessio bonorum spiritualium; 2. *certitudo* unionis cum Deo, gratiæ ejus, & futuræ vitæ, qua nullum bonum potest esse excellentius; Ps. LXXIII. 25. 26. Rom. V. 1. 2. 2. Tim. I. 12. 3. *Inhabitatio* Sp. S. qui pignoris loco nobis datus est, ut inde cognoscamus & sentiamus, Deum nostrum esse patrem, nosque filios ejus, & hæredes salutis; Rom. VIII. 15. 16. 17. Eph. I. 13. 2. Tim. I. 7. 4. *Confidentia*, & terreno-

rum bonorum nihil nobis defuturum esse, Pſ. XXIII. 1. Matth. VI. 33. quæ ſummam in Deo acquieſcentiam gignit, omnemque futurorum malorum metum excludit; 5. *Ingens jactura*, quam fideles lapſu & amiſſione fidei faciunt; Ezech. XVIII. 24. Matth. XVIII. 32. 34. 6. *Graviſſima impedimenta*, quæ reſtitutionem fidei difficilem reddunt; Ebr. VI. 4. 5. 6. 7. *Major* eorum condemnatio, qui fidem habuerunt, ſed rurſus excuſſerunt. Ebr. X. 26. 27. 2. Pet. II. 20. 21. Cæterum huic officio quam maxime REPVGNAT 1. *Securitas*, quæ adeſt, cum homo ſe ipſum explorare, defectus ſuos animadvertere, & in conſtantiam ac emendationem ſuam media a Deo ordinata adhibere negligit; 2. *Negligentia*, cum terrena magis curantur, quam ſpiritualia, 3. *cura præpoſtera*, cum aut illegitima media, aut juſta quidem media, ſed illegitime adhibentur.

§. XCII.

Præparatio ad mortem.

Inprimis autem id animæ noſtræ debemus, ut ad beatam & tranquillam mortem nos continuo præparemus. Satis enim notum eſt, æterna hominis fata a fide & incredulitate, quæ in ipſo mortis articulo adeſt, dependere. Chriſtus enim diſertis verbis inquit, eos, qui credunt, ſalvatum, qui vero

ro non credunt, damnatum iri. Marc. XVI. 16. Quod cum de fide & incredulitate temporaria non valeat, Ezech. XVIII. 21. 22. 24. Luc. VIII. 13. de utraque circa exitum ex hac vita existente intelligi debet. Sic etiam satis notum est, tempus, quo quisque moriturus est, nemini constare. Cum igitur Christianorum præcipua cura sit, ut æternam salutem consequantur, (§. 91. num. 2.) & hinc diligenter evitari debeat, quicquid eos æternæ mortis periculo exponere possit, ita illis vivendum est, ut, quocunque tempore moriantur, beata & placida morte extinguantur. Tit. II. 11. 12. 13. Quod ut fiat,

1. *Salutarem mortis meditationem sæpius in se ipsis renovent*, cogitantes nimirum, sibi aliquando moriendum esse, hanc vitam sequi aliam, in æternum duraturam, eamque vel felicem, vel infelicem, hominem judicari secundum illam qualitatem & dispositionem, quæ ipso mortis articulo adest; &c. Ps. XC. 12. XXXIX. 5. 6.

2. *Animo suo diligenter volvant, fixum quidem sed sibi incertum vitæ terminum positum esse, seque præter omnem expectationem morte præveniri posse*; Luc. XII. 20. Matth. XXIV. 42. 43. 44. XXV. 6.

3. *Semet ipsos quotidie explorent, num fide instructi sint, & cum eam adesse sentiant, operam dent, ut confirmetur, peccata ex infirmi-*

tate commissa serio deprecentur, siqua aliqua in se esse animadvertant, quòd Deo displicea illud abolere omni studio enitantur; 2. Cor. XIII. 5. 1. Tim. I. 19. Act. XXIV. 16.

4. *Attenti sint ad singulas actiones, nequi peragant, quod in ipso mortis momento & su discessum ex hac vita a se peragi nollent*; 1. Cor. XI. 31.

5. Et quoniam homo nunquam magis expositus est tentationibus, quam imminente morte, quo tempore satanas & ipsa caro fideles variis dubitationibus, mem mortis & futuri judicii, aliisque doloribus animi vehementer vexat, & quandoque etiam magni cruciatus corporis accedunt, *Christianus se ipsum continuo exerceat meditatione gloriæ cælestis, ejusque certitudinis, sequa semper magis magisque convincat de existentia fidei suæ & remissionis peccatorum, mortem consideret, ut transitum ad æternam & beatam vitam, vanitatem rerum mundanarum, earumque inconstantiam & imperfectionem animo suo ponderet, mortem Christi dolorosam & ignominiosam ante oculos habeat, futura carnis resurrectione animum recreet, fidem providentiæ divinæ, quæ familiam in mundo relinquendam non destituet, in se ipso confirmet, assiduis precibus Deum invocet, ut ipsi in agone potissimum adesse, &, quicquid mors acerbi habet, temperare velit, denique loca scripturæ, quibus plurimum solatii inest, diligentes colligat, earum*

rum vim & efficaciam sentiat, sibique familiaria reddat, ut in ultimo conflictu constitutus hoc gladio spiritus quascunque tentationes & ipsos terrores mortis vincere possit; Phil. I. 23. Rom.. VIII. 38. 39. 2. Tim. IV. 6. 7. 8.

6. *Inprimis hisce meditationibus totum se tradat, cum gravis morbus, ipsa senectus, virium defectus, aut alius casus vitæ terminum adesse significat, illisque toto animo ita inhæreat, ut fiducia & lætitia plenus mortem expectare possit*; Luc. II. 29. Act. VII. 58. 2. Tim. IV. 6. 7. 8.

7. Felicem hanc mentis compositæ quietem non parum turbant res domesticæ, quas moriturus novit valde perplexas esse. Verus enim Christianus & post mortem suam suorum saluti prospicit, & fere non potest, ut sua culpa aliquid duri & incommodi patiantur, aut rerum confusio, quas componere potuisset, rixas & lites moveat. *Hinc & ad piam mortis meditationem pertinet, ut quisque de rebus suis domesticis mature disponat*. Jes. XXXVIII. 1. Gen. XXV. 5. 6. 1. Reg. II. 1. seqq.

Quotidianam illam præparationem ad beatam mortem, præter rationes jam propositas, suadet 1. *Ipsius vitæ hujus conditio*, quæ est migratio & festinatio ad æternam & cælestem patriam; Phil. III. 20. Ebr. XIII. 14. 2. *Ejusdem vitæ brevitas* & incon-

inconstantia; Ps. XXXIX. 6. XC. 3. *Terminus vitæ fixus*, nobis vero abs conditus; Job. XIV. 5. Ps. CXXXIX. 16. 4. *Necessitas moriendi, & incertitudo circumstantiarum*, quæ mortem comitaturæ sunt; 5. *Acerbitas mortis*, quam duplociter sentiunt minus præparati, quam vero non timent, qui mortem sæpe meditantur, & norunt, se in beatam vitam transferri; Phil. I. 23. 6. *Maximum momentum beatæ mortis*, a qua quippe æterna felicitas nostra dependet; Apoc. XIV. 13. 7. *Tranquillitas & acquiescentia* eorum, qui bene præparati mortem cum certissima spe cælestis gloriæ expectant; Prov. XIV. 32. Rom. VIII. 35. 38. 39. 8. *Vis hominem præservandi a multis peccatis*, quæ piæ & continuæ mortis meditationi inest. Sir. VII. 40. Ps. XC. 12. His motivis veri Christiani sine dubio excitabuntur, ut artem bene moriendi semper magis magisque discant, animumque contra terrores mortis confirment. Nihilo tamen minus fieri potest, ut multi terrores istos non prorsus excutiant, eosque tanto magis sentiant, quo se morti propiores esse putant. Hos itaque docendos esse, arbitror, mortem in se quidem pœnam esse, ideoque acerbitate sua carere haud posse, eam tamen non parum temperari, si cogitemus, pios id non sentire, quic-

quicquid alias pœnarum habere solet; iis tantum esse transitum ad meliorem vitam; omnes hujus vitæ miserias morte finiri; ineffabilem esse gloriam, ad quam morte transferuntur fideles; hanc immediate sequi beatam piorum λύσιν; iis non pertimescendum esse judicium divinum; Jo. III. 18. V. 24. separationem animæ a corpore breve tempus dutaturam esse; perinde esse, ac si laboribus fessi vestem deponerent, quam pulsa nocte resumturi essent; cæterum eos paterno affectu curaturum esse Deum sapientissimum, quos ipse in hac vita dilexisset, & quorum auxilium, spes, & præsidium fuisset. Qui hanc salutarem præparationem negligunt, haud dubie sibi persuadent, aut mortem adhuc procul abesse, aut hanc curam rejiciendam esse ad ultima vitæ tempora, cum graviore morbo decumberent, aut senectus appropinquantem mortem annunciaret. Illi ergo monendi sunt, tempus mortis quotidie expectandum esse, & maturam præparationem multum habere utilitatis, qua negligentiores non sine magno suo damno carere oporteret; Hi vero, subita & inopinata morte fortassis opprimi posse, curam beatæ mortis eo difficiliorem esse, quo diutius dilata fuerit, circumstantias morbi forte sic comparatas esse posse, ut feram hanc mortis

tis meditationem non facile admittant, &c.

§. XCIII.

Cura corporis.

Corpus variis viribus & facultatibus instructum est, quæ usu & exercitio in habitus converti possunt. Hisce habitibus continetur perfectio corporis. Quare cum & hæc perfectio a Christianis promoveri debeat, (§. 90. num. 2.) & praterea Deus externe etiam colendus sit (§. 83.) quod sine recto usu corporis & membrorum ejus fieri haud potest, denique perfectio corporis ad perfectionem animæ, propter arctissimam utriusque unionem, multum faciat, *datur obligatio ad curam corporis*. Rom. XII. 14. Eph. V. 29. Col. II. 23. Sed ne cura ista præposterе exerceatur, notandum est, non omnem habitum corporis veram esse perfectionem, sed eum duntaxat, qui cum essentiali ejus determinatione consentit. Deus enim singula membra vi agendi, facultate, & dispositione quadam naturali instruxit, ut illorum usu certum operum genus peragatur, quod & in gloriam ejus & ipsius hominis felicitatem & utilitatem tendit. Hinc

1. *Diligenter exploret homo, in quem finem singula membra a Deo creata sint, quid-*

nam

nam in ejus gloriam & animæ, cui totum corpus inservit, felicitatem præstare possint, & quomodo naturalis illa aptitudo perficiatur, ac in habitum evehatur;

2. Verum enim vero nullus datur membrorum corporis usus, nulla illud perficiendi possibilitas, nisi corpus vivat, membrisque ejus sua constet sanitas ac integritas. *Ergo & operam dare debet homo, ut vita corporis conservetur, ejusdemque ut & singulorum membrorum sanitas & integritas conservetur.* Hinc & vitam ejusque conservationem magnum Dei beneficium esse, scriptura testatur, Job. X. 12. 1. Reg. III. 14. Ps. XCI. 16. quod homo non potest non magnifacere & desiderare. Et Christus misertus est eorum, qui variis infirmitatibus & morbis vexabantur, illisque sanitatem restituit.

3. Quia vero sapientissima Dei est constitutio, ut vita ac sanitas cibo & potu, vestimentis, domiciliis, somno, aliisque rebus necessariis conservetur, *homo christianus in eo quoque studium suum collocet, ut hæc omnia ipsi nunquam deficiant, iisque recte utatur.* Act. XXVII. 33. 1. Cor. VI. 13. 1. Tim. V. 23. VI. 8.

4. Idem officium, vitam & sanitatem curandi, simul involvit *obligationem, sibi a quocunque periculo cavendi, nec sine necessitate se illi exponendi,* Sir. III. 24 - 27. Matth.

Matth. X, 23. IV. 6. 7. Jo. VIII. 59. Act. IX. 24. 25.

5. Fieri tamen potest, ut quis citra culpam suam morbo aliaque infirmitate premitur, cui nisi justa remedia opponantur, aut mors metuenda, aut misere vivendum est. *Quod si acciderit, homo non negligat usum mediorum naturalium, quibus vita conservari, & sanitas recuperari possit, inprimis autem Deum invocet, ut sibi morbo laboranti opem ferre velit.* Sir. XXXVIII, 1. 2. Luc. VIII. 43. 2. Par. XVI. 12. Jes. XXXVIII. 2. 3. Jac. V. 14. 15.

6. Quemadmodum autem officia erga animam semper potiora sunt officiis erga corpus, (§. 91.) & adhuc magis illis praeferri debent officia erga Deum, (§. 69. num. 4.) *corpus ita curandum est, ne quid detrimenti capiat anima aut cultus Dei.* Matth. X. 28. Rom. XIII. 14.

Cum corpus, vita, & sanitas sint beneficia divina, de quibus solus Deus tanquam supremus rerum omnium Dominus disponere potest, & quæ nobis tantum depositi instar tradita sunt in eorum conservationem; cum mediante corpore &, quæ extra nos sunt, opera divinæ sapientiæ & potentiæ percipiamus, &, quid nos de Deo sentiamus, significemus aliis; cum corpus aptum sit ad varias artes exercendas, quæ mani-

manifestandæ summi creatoris gloriæ inserviunt; cum & corpus a Deo sanctificatum sit, ut illius membris ad exercendam & promovendam justitiam utamur; Rom. VI. 19. XII. 1. cum denique corpora nostra sint membra spiritualis corporis Christi, & in illis Sp. S. habitet; 1. Cor. VI. 15. 19. ex his omnibus necessitas officii, quod inculcamus, satis constat. Lex, quæ illud a nobis exigit, eadem est, quæ officia erga proximum monstrant. Quicquid enim proximo debemus, illud multo magis intuitu nostrum ipsorummet observandum esse, Christus nos docuit. Matth. XXII. 39. Cumque optimus Salvator Ecclesiam corpus suum vocet, suamque curam pro fidelibus cum cura hominis pro corpore suo comparet, Eph. V. 29. hoc ipso non tantum curam corporis approbat, sed etiam suo exemplo docet, quomodo corpus curandum sit. Multis autem variisque modis peccari potest contra hoc officium. Præcipua illius OPPOSITA sunt

I. ABVSVS MEMBRORVM CORPORIS ad alenda & implenda desideria carnis, aliasque iniquitates. Rom. VI. 12. 13. XIII. 14. Eph. IV. 25. seqq. In hunc finem qui corpore suo abutitur, dupliciter peccat. Nam & desiderium mali tantum in eo esse debet, ut sibi non possit temperare ab externo exercitio, quod alias vir

honestus, licet mere naturalis, potest; a corpore contra fines divinos abutitur, a quos conditum, & Sp. S. sanctificatum est.

2. NEGLECTVS OMNIS CVLTVS CORPORIS. Nam & hunc scriptura improbat Rom. XIII. 14. Col. II. 23. Qui putant curam corporis ideo negligi posse, aut Christianum non decere, quia non pertineret ad cultum Dei, illi ignorant, dari cultum Dei & immediatum & mediatum, & hunc posteriorem non minus a Deo praeceptum esse, quam priorem. 1. Cor. X. 31.

3. Αὐτοχειρία. Quamquam enim Deus expressa & immediata lege nullibi dixit: Ne occidas te ipsum; tamen, cum naturæ stimulum se ipsum conservandi injecerit, uti experientia & verbum Dei docet, Eph. V. 29. cum alios occidere vetet, Exod. XX. 13. cumque se solum eum esse testetur, qui jure gaudeat, vitam repetendi ab homine, Ps. XC. 3. satis interdictam esse puto sui ipsius interfectionem. Et sane αὐτόχειρες non tantum in se ipsos peccant, dum sibi malum atrox adsciscunt, quod perpetuum peccati consequens & signum est, sed & in Deum. Is enim quemadmodum vitæ mortisque Dominus est, & solus de ea disponere potest, ita in jura ejus majestatica involant, qui pro arbitrio sibimetipsis vitam finiunt. Et quia nemo

se

se ipsum occidit, rebus ex voto succedentibus, sed calamitatum impatiens, & ex metu majorum malorum, αὐτόχειρ omnem fiduciam in Deo collocandam abjicit, crucem sibi impositam ferre recusat, & de auxilio divino desperat. Hinc non audiendi sunt, qui dicunt, malum minus præferendum esse malo majori. Malum enim physicum, quod ipse mihi infero, cum secum semper connexum habeat malum morale, semper etiam majus est quocunque alio malo, ab aliis mihi illato vel inferendo. Accedit, mala, quæ voluntaria morte præveniri debent, semper esse incerta. Deus ea potest avertere, &, si nolit, præstat tamen, ea patienter ferre, & promissa illorum præmia expectare, quam se horrendo vitio voluntati divinæ opponere.

4. VITÆ FASTIDIVM, quod ex diuturnitate & magnitudine calamitatum plerumque, ex nimio cælestis gloriæ desiderio rarissime oriri solet. Sed quamcunque habeat causam, indignum est homine christiano. Illi, qui gravioribus afflictionibus vexatur, licet quidem, mortem sibi optare, eamque a Deo petere. Multo magis id licet, si votum hoc a dolore ex tentationibus concepto, a metu lapsus & amissionis fidei, aut a desiderio arctioris cum Deo unionis procedat. Sed desiderium

rium hoc ita temperari debet, ut res tu
Deo committatur, nos ſorte noſtra co
tenti ſimus, & cum patientia ac traditi
ne in voluntatem Dei noſtram liberati
nem expectemus. Phil. I. 23. 24.

5. SEGNITIES, ſeu neglecta cura rerum ad hujus vitæ ſuſtentationem pertinentium. Sunt, qui putant, hanc curam Chriſto penitus prohiberi. Matth. VI. 31. 32. 34. Quia vero hæc cura ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria eſt, Dei providentia circa hominum conſervationem tantum mediate verſatur, labor, quo victus & amictus alias comparari ſolet, alibi inculcatur, Eph. IV. 28. & quisque ſuæ vocationi vacare jubetur, 1. Cor. VII. 17. 20. 24. cura, quam Chriſtus loc. cit. prohibet, ſine dubio tantum eſt nimia, vitioſa, & cum fiducia in Deo collocanda pugnans rerum terrenarum cura.

6. TEMERITAS, per quam non quemcunque contemtum periculi intelligo, ſed habitum, periculo ſe exponendi, ſine ulla phyſica vel morali neceſſitate. Qui periculum ſpernit, illique forti animo ſe objicit, quod eſt inevitabile, aut officii cauſa ſubiri debet, ille recte agit, veram fortitudinem monſtrat, &, ſi vere pius eſt, hoc ipſo de ſua fiducia in Deo collocata teſtatur. Sed qui inconſiderate ex imprudentia, petulantia, vana ambitione, &c. pericu-

riculis se exponit, temerarius est, officium, quod sibi ipsi debet, negligit, & pericula contra Dei voluntatem quærit, in quibus si pereat, ipse mortis suæ causa est. Hanc temeritatem Christus suo exemplo improbat, Matth. IV. 6. 7. & Syracides gravissimis argumentis dissuadet. Sir. III. 24. seqq.

7. PRÆSVMTIO ABSOLVTI DECRETI CIRCA VITAM ET MORTEM HOMINIS, qua multi disponuntur, ut nec pericula fugiant, nec malo justa remedia opponant. Deus quidem certum vitæ terminum omnibus prædefinivit. Job. XIV. 5. Hoc autem non absolute, sed respectu circumstantiarum prævisarum factum est. Qui ergo sanitatem & vitam suam non curat, nec periculum fugit, quod evitare potuisset, ille quidem permittente Deo peribit, sed non volente eo, & sine dubio longius vitam suam protraxisset, si illius curam justo modo gessisset.

8. MOLLITIES, qua illi laborant, qui corpus magis curant, quam animam, aut cultum Dei. Hoc vitium, quod in se est gravissimorum officiorum impedimentum, non raro conjunctum esse solet cum extrema vanitate. Sunt enim, qui externam formam pro summo bono habent, eam vanissimis artibus ornari curant, & summo studio cavent, ne quid detrimenti capiat,

piat. Hi maxime in eo peccant, quod bono minori majus pretium ſtatuant, quam majori, re quadam mutabili, quam minime in ſua poteſtate habent, unice delectentur bono quodam ſuperbiant, quod beneficio naturæ, non ſua virtute acceperunt, & quod veræ felicitatis curam ex nimio vanitatis amore negligant. Taceo plura alia vitia, quibus hoc hominum genus rariſſime carere ſolet.

§. XCIV.

Cura opum.

Poſtquam rerum dominia in mundum introducta, & divina lege confirmata ſunt, Exod. XX. 15. victum & amictum, & quicquid alias nobis ad vitæ conſervationem & felicitatem neceſſarium eſt, nobis ſumere non licet, ubi invenimus, ſed illorum dominia ab aliis in nos juſto modo & conſentiente domino transferre debemus. Modus ille inter homines præcipue receptus eſt, ut pro re comparanda alia res, cui æquale pretium ineſſe creditur, alteri tradatur. Res vero corporales, quibus certum pretium ſtatui ſolet, OPES appellantur. Ergo earum poſſeſſio nunc nobis neceſſaria eſt ad noſtram conſervationem & perfectionem. Cum igitur ea nobis quærenda & promovenda ſit, quantum fieri poteſt, (§. 90.) *Chriſtiani quoque*

quoque obligantur ad acquirendas & conservandas opes. Matth. VI. 11. 33. Eph. IV. 28. Ad id autem requiritur,

1. *Ut justa opes acquirendi media adhibeantur, quorum præcipuum, aut rectius unicum est labor utilis, quo aliorum felicitas promoveri potest*; Exod. XX. 9. 1. Cor. IV. 12. Eph. IV. 28. 2. Thess. III. 8. 10. 11.

2. Quia vero vires & potentiam laborandi a DEo accepimus, qui & solus eas nobis conservare potest, quia porro Dei providentia cuncta gubernantur, & sine ejus benedictione frustraneus est omnis labor, Ps. CXXVII. 1. Prov. X. 22. 2. Cor. IX. 8. 9. 10. *Deus agnoscendus est tanquam fons omnium bonorum, & invocandus, ut ipsius gratia opus nostrum feliciter succedat, nec fructu suo careat*;

3. Si cui per circumstantias suas impossibile est, ut labore & industria sua opes augeat, & in posterum sibi suisque prospiciat, *ille sorte sua contentus sit, Deo confidat, & fiducia plenus panem quotidianum ab eo petat*; Matth. VI. 11. 34. 1. Tim. VI. 6. 7. 8.

4. Quare cum opes acquirendæ sint, ut nos conservare possimus, cum fructus laborum nostrorum a divina providentia & benedictione dependeant, cum quandoque impossibile sit, ut plus opum terrenarum nobis comparemus, quam ad nos nostramque familiam conservandum re-

quiritur, *nemo abundantiam opum h. e. divitias in se & ex instituto quærat*; Prov. XXX. 8. 9. Matth. VI. 19. 20. 21. 1. Tim. VI. 6. 9.

5. Qui suo labore aut casibus fortunæ per Dei gratiam ad opum possessionem pervenerunt, *illi sciant, earum omnium Dominum solum esse Deum, sibi vero elocatas esse ut administratoribus bonorum alienorum, ideoque ad fines legitimos iis utantur, ut suæ administrationis Deo reddere possint rationem.* 1. Par. XXX. 12. 16. Luc. XVI. 1. seqq. coll. 9. 10. 11. 12. 1. Pet. IV. 10.

6. Denique si accidat, ut quis citra suam culpam magnam vim opum, aut etiam omnia, quæ possidet, perdat, *id non sine voluntate Dei sibi evenire agnoscat, fortitudine & patientia hunc casum ferat, & in extrema quoque paupertate Deo confidat, ejusque nomen celebret.* Job. I. 21.

Studium acquirendi opes non improbandum sed commendandum esse, multis rationibus confirmari potest. Nam 1. dum Deus dominia rerum approbat, & lege communivit, Exod. XX. 15. Eph. IV. 28. vult etiam, ut ea nobis comparemus. 2. Divitiæ sunt beneficia divina, quæ promittuntur, & sæpe etiam collatæ sunt Deitimentibus. Prov. III. 16. VIII. 18. Ps. CXII. 3. 1. Reg. III. 13. 2. Par. XVII. 5. XVIII. 1. 3. Qui opes acquirere negligunt,

gunt, molesti sunt aliis, nec sibi ipsis de rebus necessariis prospiciunt, quemadmodum oportet. Ps. XXXVII. 3. 4. Turpe & impium est, sibi suisque res necessarias non comparare. 1. Tim. V. 8. 5. Paupertas multa impedit officia, miseris & pauperibus præstanda, quam si quis sibi negligentia contraxerit, perinde est, ac si officia ista sponte violasset. Quemadmodum autem circa acquisitionem & conservationem opum caute versandum est, ita quisque sibi caveat ab OPPOSITIS EXTREMIS. Huc refero

I. PAUPERTATEM SPONTANEAM. Sunt, qui sibi non licere putant opes acquirere aut possidere, tum quia divitum non esset regnum cælorum, Matth. XIX. 23. 24. Luc. VI. 24. tum quia discipulos Christi omnia propter Deum relinquere oporteret, Matth. XIX. 27. Luc. V. 11. XIV. 33. ideoque aut bona sua abjiciunt, aut nihil acquirunt, licet possint. Sunt vero etiam, qui spontanea paupertate insignem Dei cultum contineri sibi persuadent, quatenus sine illa ad veram perfectionem perveniri haud posset. Mattth. XIX. 21. Sed *prioris generis* homines iis rationibus, quas modo recitavimus, facile confutari possunt. Accedunt vero & aliæ. Nam 1. & inter discipulos Christi erant divites. Matth. XXVII. 57. Alii

tantum possidebant bonorum terrenorum, ut ipsi Christo iis inservire possent. Luc. VIII. 3. Quin & ipsi Apostoli, licet omnia deseruisse dicantur, nonnihil adhuc opum retinebant. Matth. VIII. 14. Joh. XIX. 27. 2. Qui juste aliquid possident, id sibi a Deo datum esse sciant, cujus voluntas esset, ut res istas bene & prudenter administrarent. Matth. XXV. 14. seqq. Luc. XVI. 1. seqq. Num vero illi bona sibi credita recte administrant, qui ea abjiciunt, aliisque rerum terrenarum curam committunt? Itaque quicquid de divitibus scriptum est, de sola difficultate, non de impossibilitate salutis intelligi debet. Et qui bona sua religionis causa abjecerunt, aut ex voluntate Dei singulari, Matth. XIX. 27. aut ex officii ratione vel alia quacunque necessitate urgente id fecerunt, Act. II. 45. IV. 34. aut ab aliis se opibus suis privari passi sunt. Ebr. X. 34. Hæc omnia vero non probant spontaneam paupertatem, nec obstant, quo minus bona nostra retineamus, &, quantum possumus, augeamus, deficiente nimirum specialissimo mandato Dei, aut alia causa graviore, opes suas deserendi, & inter alios distribuendi. *Posterioris generis* homines non attendunt, cultum Dei, qui spontanea paupertate contineretur, contradictionem involvere. Deus enim solis acti-

actionibus ad legem compositis coli potest. Spontanea vero paupertas non ex lege sed pro arbitrio eligitur. Possunt sane divitiæ magna impedimenta majoris perfectionis, quin & ipsius salutis esse, quod Christus Matth. XIX. 23. indicat. Sed non ille, qui divitias sponte abjicit, sed qui impedimenta inde nata superat, opibus recte utitur, easque dimittit, cum salva conscientia & salvo officio retineri nequeunt, hanc perfectionem attingit. Mandatum, quod dives ille juvenis accepit, Matth. XIX. 21. prorsus singulare erat, & forte ipsum docere debebat, quam procul adhuc abesset ab ista perfectione, quam jactitasset.

2. AVARITIA est aliud extremum, quo conscientia intuitu opum lædi solet. Est autem avaritia nimia cupiditas, opes habendi & possidendi. Hoc vitio qui laborant, 1. summam felicitatem in possessione divitiarum positam esse putant; 2. omnia eas acquirendi media, etiam injustissima, adhibent; 3. omne tempus, cum neglectu cultus divini aliorumque officiorum, iis corradendis impendunt; 4. Deo pro mercede serviunt, non nisi opibus & divitiis solvenda; 5. in thesauris suis omnem fiduam collocant; 6. nunquam satis habent opum; 7. eas non in propriam utilitatem, multo minus in aliorum commodum & feli-

felicitatem convertunt, sed summa cu
custodiunt, & anxie possident; 8. aliis su
bona invident; 9. lucro & jactura ad qua
vis impietates facillime flectuntur; 10. S
quid detrimenti ceperunt, nullum admi
tunt solatium; &c. Hinc Paulus recte
dicit, avaritiam esse radicem omnium ma
lorum. 1. Tim. VI. 10. Ut igitur ab e
quisque sibi caveat, considerari oportet,
1. *avaritiam* inter opera carnis collocari
& severe prohiberi a Deo; Matth. VI. 24
Marc. VII. 21. 22. Eph. V. 3. Ebr. XIII. 5
2. *eam* esse fontem omnium malorum, ma
ximarumque impietatum; 1. Tim. VI. 10
3. *magnam* esse stultitiam, opes possidere
& iis tamen non frui; Eccl. VI. 2. V. 10
4. *avarum* multis inanibus curis vexari
nec unquam animæ quietem invenire;
Eccl. V. 9. 5. divitias non esse in hominis
potestate tum ratione acquisitionis, tum
ratione conservationis; Ps. CXXVII. 2.
Eccl. IX. 11. Matth. VI. 19. 6. *omnia* in
mundo relinquenda esse, & avarum igno
rare, num suis opibus aliquando frui po
tuerit; Luc. XII. 20. 7. *nihil prodesse* ho
mini, si omnes thesauros mundi colligeret, & animæ jacturam faceret, quod ta
men avaris semper evenire solet. Matth.
VI. 26.

3. Denique huc etiam pertinet PRO
DIGALITAS, per quam habitum intelligo,

plures

plures profundendi opes, quam vitæ nostræ conditio, & officiorum ratio exigit. Huic vitio qui indulget, perpendat, 1. *prodigalitate* voluptatem, luxuriam, & mollitiem carnis ali; Luc. XVI. 19. 2. *eam* esse abusum bonorum sibi concreditorum, cujus ratio sibi aliquando reddenda sit; Luc. XVI. 1. 2. 3. *eam* plerumque sequi extremam paupertatem; Luc. XV. 13. seqq. 4. *opibus* turpiter profusis tot juvari potuisse miseros homines; Luc. XVI. 21. 5. *prodigum*, cum, perditis opibus, rebus etiam maxime necessariis caret, hanc miseriam magno cum dolore sentire, nec quicquam habere, quo se ipsum tranquillare & consolari posset.

§. XCV.

Ad nos ipsos perficiendos aliorum in nos studio & auxilio quam maxime indigemus. Illud autem non facile impetraturi sumus, nisi alii bene de nobis sentiant. Et quo digniores nos suo amore, benevolentia, aut reverentia judicant, eo efficacius nos quoque juvabunt. Quare cum quisque se ipsum omni modo perficere debeat, (§. 90.) *Christianis quoque opera danda est, ut alii bene & præclare de ipsis judicent.* Prov. XXII. 1. XXV. 25. Eccl. VII. 2. Act. VI. 3. XVI. 2. 1. Tim. III. 7. Qui hanc

Cura honoris.

hanc bonam famam sibi comparare cupi

1. *Ille omnia sollicite fugiat, quibus ea pe di posset, & e contrario pro virili sectetur, qua quid bonum, honestum, & laude dignum e* 1. Cor. IX. 15. Phil. IV. 8.

2. Bonam famam HONOR comitari so let. Nam qui nos variis virtutibus & per fectionibus instructos esse sciunt, aut re præclare a nobis gestas esse putant, nos non tantum æstimant & magni faciunt, sed etiam hoc suum judicium & affectum externis signis declarant. Hujus autem generis actionibus alium honorare dici mur. *Ergo Christianus ferre potest, ut honor sibi deferatur,* Prov. III. 16. VIII. 18. Esth. VI. 10. 11. Luc. XIV. 10.

3. DIGNITAS est status in republica, quo quis aliis superior declaratur. Qui ea or nati sunt, non tantum ad munera publica adhibentur, & aliquam potestatem in ali os acquirunt, sed etiam singulari honore distinguuntur. Qvemadmodum ergo bo na fama comparari debet, ut hoc medio nostram perfectionem promoveamus, & justus honor ab existimatione dependens non prorsus contemnendus est, utrum que autem dignitate continetur, *ita & Christianis dignitates, si quæ offeruntur, adire licet.* Dan. II. 48. Marc. XV. 43.

4. Cum vero honores & dignitates ac cipere liceat, aut quatenus sunt media,

nostram

nostram felicitatem hujus seculi promovendi, aut quatenus bonam famam sequi solent, qua aliorum amorem & juvandi studium nobis comparare debemus, *hæc bona non in se, multo minus cum detrimento officiorum graviorum quærenda, sed tantum in relatione ad finem appetenda, justo ordine & modo acquirenda, & in Dei honorem nostramque & aliorum felicitatem usurpanda sunt.* Jo. V. 44 XII. 43. 1. Jo. II. 15. 16. Ps. CXV. 1. Act. XII. 23. 1. Cor. IV. 7.

5. Non semper contingit fidelibus, ut honorem & dignitates, quibus digni sunt, consequantur. Mundus male de iis sentire, eos contemnere, injuriis ac contumeliis afficere solet. Quod si acciderit, *suam quidem innocentiam demonstrare possunt, inprimis si malevolorum obtrectationibus magno periculo exponantur, aut aliquid boni efficere impediantur*, Jo. VIII. 49. seqq. Act. XXI. 38. seqq. 2. Cor. XI. 21. seqq. *cæterum autem has injurias patienter ferant, non ulciscantur, sed Deo rem totam committant.* Matth. V. 11. 12. X. 25. 1. Pet. IV. 14.

Bona fama ad perfectionem status externi pertinet, & hinc eo minus est negligenda. Præterea Christiani duplicem habent causam, illius curam gerendi. Nam *primo* ipsi de aliis bene sentire, eosque pro dignitate honorare debent. Cum igitur proximum

ximum *ſicut ſe ipſum* diligere jubeantu
idem ut & ſibi contingat, curandum e
Secundo Deum, quem colunt, & religi
nem quam profitentur, ſuis operibus co
ram mundo celebrare debent. Matth. V
16. 1. Pet. II. 12. Sed quomodo id fie
poſſet, ſi famæ ſuæ rationem non habe
rent? Cum externa politia officiis publicis
illisque adhærentibus dignitatibus caree
non poſſit, Chriſtus autem ſuo evangeli
regimen politicum non ſuſtulerit, ſed po
tius, Deus ipſe magiſtratus & judices in
populo judaico conſtituerit, & præterea
multi ſancti homines dignitatibus ſe ornā
ri paſſi ſint, nec eas abjecerint, qui tem
pore Nov. Teſt. fidem amplexi ſunt, Chri
ſtianis omnino licet ad dignitates in Rep.
adſpirare. Sed caveant ſibi ab AMBITI
ONE, quæ periculoſiſſimum vitium eſt,
quo multi intuitu honoris corrumpi ſo
lent. Eſt nempe ambitio habitus, extē
num honorem in ſe tanquam ingens bo
num appetendi. Qui affectus cum in
uno major eſſe poſſit, quam in altero,
vehementia & modus, quo ambitioſi ho
norem ambiunt, non ſemper eſt æqualis.
Plerique honorem tanquam finem ulti
mum omnium ſuarum actionum ſectantur,
externis honorum titulis aliisque ſignis
mirifice delectantur, eorum defectu autem
ad odium, iram, & vindictam excitantur,

majus

majus sibi suisque meritis pretium statuunt, quam par est, alios juxta se contemnunt,&c. Nihil autem abominabilius est hoc vitio. Nam 1. *Deus ferre* non potest fastum & ambitionem; Prov. VIII. 13. VI. 16. 17. Ezech. XXVIII. 6. 7. Luc. I. 15. Jac. IV. 6. 2. *Homo* a se ipso nihil habet, de quo gloriari posset; 1. Cor. IV. 7. 3. *Externus honor*, si in se spectetur, nec ad bonum finem referatur, nihil est, magna laborat inconstantia, & brevi transit; Ps. XLIX. 12. 13. Act. XII. 23. 1. Jo. II. 16. 17. 4. *Non ambitione* & nimio honoris studio sed humiliatione sui ipsius verus honor comparatur; Prov. XXIX. 23. Luc. XIV. 11. 5. *Fastus* est character summæ impietatis, qua ipse Deus contemnitur & abnegatur; Ps. X. 4. 6. *Honor*, qui ambitioso defertur, plerumque simulatus est; vulgus in corde odit, & sapientes contemnunt eum; 7. *Lapsus*, qui ambitionem sequi solet, Prov. XVI. 18. eo gravior, & acerbior est ambitioso, quo magis honorem tanquam summum suum bonum quæsiverat. 8. *Nec ullum* fere vitium plures hostes & inimicos excitare solet, quam ambitio.

§. XCVI.

Victus & amictus, honores, & dignitates comparari nequeunt, nisi utili labore. Labor.

bore, quo quis de aliis bene mereri studeat. Cum itaque utrumque justis mediis acquiri debeat, (§. 94. 95.) *Christianorum quoque est laborare.* Exod. XX. 9. Prov. XXXI. 13. Sir. XXXI. 27. Eph. IV. 28. 2. Tim. III. 10, 11. 12. Et quia varia dantur laborum genera, quæ ab omnibus exerceri non possunt, nec, si exercerentur, veram humano generi utilitatem præstarent,

1. *Quisque sibi certum vitæ & laborum genus eligat, quod aliis utile, sibi vero conveniens esse sentit, illique plene addiscendo animum mature applicet*; Prov. XXII. 6. Act. XVIII. 3.

2. Quod si satis familiare sibi reddiderit, & jura acquisiverit, illud exercendi, aut ad hoc laborum vel negotiorum genus publica auctoritate vocatus fuerit, *omnem adhibeat diligentiam, quæ sui sunt officii, fideliter & strenue exequatur, nec molestias cum labore connexas reformidet*; Prov. XIII. 4. XXI. 25. XXII. 13. XXVI. 13. seqq. Rom. XII. 11.

3. Quamvis autem Christianos laborare, & alicui officio vacare oporteat, ut se suosque honeste alere possint, tamen, cum, quicquid agunt, in honorem Dei agere debeant, 1. Cor. X. 31. & officia erga Deum quibuscunque aliis longe præferenda sint, (§. 69.) *Christiani suo quoque labore Deum colant, & caveant, ne quid detrimenti inde capiat cultus, qui Deo immediate debetur;*

Exod.

Exod. XX. 9. 10. Matth. XXII. 5. Luc. XIV. 18. 19.

4. Denique cum ad felicem operum nostrorum successum requiratur, ut nobis vires laborandi sufficiant, & labor noster suo fructu non careat, omnis autem generis bona a Deo petenda sint, (§. 87.) *Christianus quoque Deum quotidie invocet, ut sibi vires ad laborandum necessarias largiatur, suoque operi benedicat.* Ps. CXXVII. 1. 2. Jer. XVII. 7.

Quemadmodum omni labore utili nomen Dei celebrari, & proximus juvari potest, homo autem ad utrumque obligatur, ita & illis in aliorum commodum & utilitatem laborandum est, qui alias satis opum habent, quod & post lapsum homini salutare esse videtur. Gen. III. 19. Opposita hujus officii sunt 1. INIVSTI ACQVIRENDI MODI, quorsum labores pertinent, qui tantum voluptati & otio inserviunt, variis fraudibus continentur, & nullam veram utilitatem Reip. aut proximo præstant; 2. PIGRITIA, cui homines molles & laboris impatientes se tradere solent; 3. OTIVM, quod & Deo displicet, Matth. XX. 6. & hominem variis tentationibus exponit, 1. Tim. V. 13. nec excusari potest continuo cultu Dei immediato, cui ut se totos tradant, nonnulli vitæ genus laborum

borum expers eligunt. Deus enim vu
ut laborantes panem noſtrum edam
Gen. III. 19. Eph. V. 28. 2. Theſſ. I
10. Et ſi quisque ſoli cultui Dei imm
diato vacare vellet, miſſis omnibus lab
ribus & negotiis, humano generi be
pereundum eſſet. Nullus autem cult
Deo placere poteſt, qui cum continua leg
ſuæ transgreſſione connexus eſt. 4. Π
λυπραγμοσύνη, quæ ideo illicita eſt, qu
quisque ad certum vitæ & laborum gen
a Deo vocatus eſt, & hinc, qui aliis ne
gotiis extra terminos ſui officii ſe ingeri
contra finem & voluntatem Dei agit. Rom.
XII. 7. 1. Pet. IV. 15.

§. XCVII.

Temperantia.

Ad perfectionem promovendam no
ſtris quidem viribus rebusque aliis uten
dum, ſed ſimul in earum uſu certus ſer
vandus eſt modus. Qui ſi forte excedatur,
non tantum aliquid peragitur, quod fini
noſtro & voluntati divinæ non reſponde
ideoque malum eſt, ſed etiam, cum Deus
cuncta ſapientiſſime diſpoſuerit, & hinc
rerum perfectio a ſola juſta mediorum ad
finem relatione expectanda ſit, ejusmodi
exceſſus ipſi homini damnum haud leve
infert. Jam vero habitus, in uſu virium
noſtrarum aliarumque rerum eum ſervan-
di

di modum, qui intuitu perfectionis nostræ promovendæ servari debet, TEMPERANTIA dicitur. *Ergo & Christianis temperanter vivendum est.* Sir. XXXIII. 30. 1. Cor. VII. 31. 2. Pet. I. 6. Quemadmodum autem varius & multiplex datur rerum usus, in quo modus & servari & excedi potest, ita in specie

1. *Homo sibi caveat, ne nimium potum & cibum capiat,* quod sine dubio fieret, si plus ederet ac biberet, quam ad vitam, sanitatem, & vires conservandum requiritur. Nam ad hunc finem cibus & potus a Deo destinatus est. Jes. V. 11. 22. Rom. XIII. 13. Gal. V. 21. Eph. V. 18. 1. Tim. II. 2. Tit. I. 6.

2. *Sic & in vestium usu modus esse debet.* Vestes necessariæ sunt tum ad nuditatem tegendam, tum ad corpus adversus injurias tempestatis tuendum. Et quoniam non tantum integræ gentes, sed etiam varii status homines vestimentorum genere sese distinguere solent, quod in se improbandum non est, 2. Sam. XIII. 18. Esth. V. 1. VI. 10. 11. hujus etiam consuetudinis ratio haberi debet. Itaque modum hac in re excederet, qui aut splendidioribus vestibus uteretur, quam ratio status & dignitatis suæ exigeret, aut vestimentorum genere sanitati noceret. Jes. III. 16. seqq. Luc. XVI. 19.

3. *Nec minus in labore ſervetur modus.* Laborandum enim eſt, ut opes & dignitates acquiramus & conſervemus. (§. 96.) Et hæc acquirendæ ſunt, & in poteſtate noſtra habeamus, quæ conſervationi vitæ & ſanitatis inſerviunt. (§. 94. 95.) Qui ergo nimios labores ſibi imponit, quibus vires franguntur, ſanitas corrumpitur, & non raro vitæ terminus acceleratur, ille ſine dubio hac in re modum excedit, & quod ſui eſt officii, negligit. Exod. XVIII. 18. ſeqq. Num. XI. 17.

4. *Denique & affectus ita ſunt temperandi, ne nimis efferveſcant.* Anima noſtra affectibus carere non poteſt. Alii in ſe boni ſunt. Alii ad ſuperandos labores neceſſarios aliasque difficultates hominem excitant. Cum autem juſto vehementiores fiunt, & ſanitati nocent, & prudentiam ac circumſpectionem impediunt, & hominem in multa prohibita præcipitant. Hinc ne quid nimis hac in re fiat, ſollicite curandum eſt. Gen. XLIX. 6. 1. Sam. II. 29. Eph. IV. 26.

Intemperantia ex hac quoque cauſa caveri debet, ut omnis abuſus rerum ad bonos fines a Deo creatarum evitetur, & homo ſemper aptus ſit ad colendum Deum. Quando circa potum exercetur, EBRIETAS eſt, quæ κατ' ἐξοχὴν intemperantia dici ſolet.

let. Hoc vitium inprimis scriptura improbat, Deut. XXI. 20. Jes. V. 11. 22. 1. Cor. V. 11. VI. 10. 1. Pet. IV. 3. & merito abominatione dignum habetur, tum quia hominem usu rationis privat, & in bestiam convertit, quæ tantum speciem humanam habet, tum quia eum sanorum hominum contemtui & ludibrio exponit, tum quia fons & semen maximorum peccatorum est, hominem ad serviendum Deo & juvandum proximum ineptum reddit, & ad varia facinora disponit, quorum memoria hominem ad sanam mentem reversum acerbe vexat, tum denique quia sanitati maximopere nocet, & corpus destruit. Qui in vestium ornatu modum excedunt, SVPERBI sunt, quamquam huc quoque pertineant, qui in aliis rebus externis, v.g. supellectile, domicilio, famulitio &c. ultra terminos evagantur. Amos. VI. 4. Qui hoc vitio affectus est, præter rationes generaliores ipsius rei vanitate & contemtu prudentiorum emendari debet. In LABORE modum tenendum esse, ipsa Sabbathi institutio docet. Exod. XX. 9. 10. Cum autem negotiis nostris otia quandoque interponimus, curandum est, ut nihil vitii aut turpitudinis, multum autem utilitatis habeant. Eph. IV. 29. 2. Tim. II. 16. Interim respectu horum omnium quisque naturæ, virium, conditionis, & vocatio-

nis suæ rationem habeat. Quod enim in uno intemperantia est, talis non semper est in altero.

§. XCVIII.

Prudentia. Impossibile est, ut quis finem suum consequatur, nisi media satis apta & convenientia adhibeat. Jam vero constat, multos dari fines, quibus ut homo potiatur, omni studio eniti debet. Nam omne officium, ad quod obligatur, habet rationem finis. Cum igitur ex hac causa necesse sit, ut mediis utatur ad consequendos fines apta & sufficientia, habitus autem, id agendi, quod finibus nostris inservit, PRVDENTIA dicatur, sequitur, *Christianos ad vitam suam prudenter instituendam obligari.* Ps. XC. 12. Matth. X. 16. Eph. I. 8. Hæc virtus ad singula quidem officia extendi potest, quæ Deo, nobis ipsis, & proximo præstanda sunt. Plerumque tamen accipi solet pro modo agendi, quem quis intuitu sui ipsius servare tenetur. Et hoc respectu prudentia involvit,

1. *Ut finem nostrum ante oculos semper habeamus, qui est propria cujusvis nostrum perfectio & felicitas.* (§. 90.

2. Quando plures fines intenduntur, unus autem reliquis est præstantior, prudens fines suos ita sibi subordinabit, ne prima-

primarius secundariis & minus principalibus impediatur. Nam media, quæ ad fines secundarios cum detrimento primarii adhibentur, vere sunt inepta & inconvenientia. Jam vero multiplex est perfectio, quam homo pro fine suo habere debet. Alia est animæ, alia corporis, alia status externi. (§. 90. num. 2.) Et inter has animæ perfectio reliquis omnibus merito præferenda est. (§. 91.) *Ergo prudentia Christianorum postulat, ut quisque æternam animæ suæ felicitatem tanquam finem primarium sectetur, corpus autem & statum externum ita curet, ne quid illa detrimenti capiat.* Matth. VI. 33. XVI. 26.

3. Hoc ordine servato prudens Christianus *singulas actiones suas probe ponderet, nihilque peragat, nisi quod uni alterive fini inserviat, simul vero etiam virium, occasionum, & circumstantiarum habeat rationem, nihilque prætermittat, quo unum alterumve finem promovere possit.* Sir. VII. 40.

4. Ipsa quidem cujusvis scientia & experientia non raro docet, quid intuitu hujus vel illius finis apte & commode peragi possit. Quia vero scriptura longe certius nos instruit, quibus mediis singuli fines obtineri possint, & quo ordine & modo illa adhibenda sint, *vera prudentia ex sacris literis addiscitur, dum leges in iis traditas nobis familiares reddimus, easque ad casus singu-*

lares nobis obvios recte applicamus, & strenue sequimur. Pſ. CXIX. 9. 104. 130. Sa. XIX. 18.

5. *Cum ergo optima præſto ſunt media, finem ſecundarium facillime conſequendi, illa vero ſcriptura improbantur, & contraria ſuadentur quæ fini iſti aperte repugnant, ſcripturam audiamus, & ſecure ſequamur, licet ille agendi modus mundo ſtultiſſimus eſſe videatur.* Prov. XIII. 19. 1. Cor. I. 18. 25. II. 14.

Totum illud vitæ genus, quod fide & pietate peragitur, in ſcriptura dicitur prudentia, vita impiorum autem ſtultitia. Pſ. XIV, 1. 2. CXI. 10. Prov. IX. 10. Matth. XXV. 2. Soli enim fideles & pii rectis utuntur mediis, quibus æterna ſalus, ultimus ille omnium hominum finis, comparari poteſt. Senſu tamen ſpecialiori ille agendi modus per prudentiam intelligitur, quo fines, tam primarius quam ſecundarii, ſemper in oculis feruntur, actiones caute & circumſpecte diriguntur, & ad conſequendos fines media adhibentur conveni-entiſſima. Matth. X. 16. Luc. XVI. 8. Poteſt itaque CHRISTIANORUM PRUDENTIA definiri, quod ſit habitus, nihil agendi, niſi quod habeat rationem medii, finem lege divina præfixum conſequendi, omnibus facultatibus, circumſtantiis, & occaſionibus ad hos fines conſequendos recte

recte utendi, ipsos vero fines ita sibi invicem subordinandi, ut nobilior semper præferatur ignobiliori. Hinc cum æterna animæ salus finis primarius omnium hominum sit, saltem esse debeat, & hoc fine nemo potiri possit, nisi qui Deum recte colit, prudens Christianus omnia summo studio fugit, quæ salvo Dei cultu, salva fide & pietate, peragi nequeunt. At enim vero huc multa media pertinent, quæ alias satis apta sunt ad hujus vitæ felicitatem, opes, honores, & dignitates comparandum. Quibus igitur cum homo mundanus & naturalis uti soleat, omnemque suam prudentiam in iis inveniendis & adhibendis collocet, Christianus vero ea aversetur, & alium prorsus agendi modum sequatur, apparet, sapientiam hujus mundi toto cælo differre a prudentia Christianorum, & hanc mundo stultitiam esse videri. Luc. XVI. 8. 1. Cor. IV. 10. Sap. V. 3. 4. Quia vero sapientes hujus mundi aut finem secundarium cum detrimento primarii, aut etiam quandoque finem in se malum omni cura sectantur, & mediis aptissimis, licet in se impiis, ad consequendum eum utuntur, eoque non raro potiuntur, Christus vult, ut fideles intuitu finis primarii mediorumque bonorum hunc agendi modum imitentur. Luc. XVI. 8.

CA-

CAPVT III.
DE
OFFICIIS CHRISTIANORVM ERGA PROXIMVM.

§. XCIX.

Officia erga alios generaliora.

Dilige proximum tuum ſicut te ipſum. Hæc regula teſte Chriſto, eſt ſumma totius legis, quatenus officia erga alios definivit, & æque ſervari debet, ac illa altera de amore Dei. Matth. XXII. 39. Marc. XII. 31. conf. Rom. XIII. 9. Gal. V. 14. Jac. II. 8. Quia vero amor eſt diſpoſitio ſeu habitus, ex entis cujusdam perfectione voluptatem capiendi, atque hic affectus hominem ad multas alias actiones impellit, quæ non minus neceſſariæ & præceptæ ſunt, quam amor ipſe, multa quoque amore iſto continentur officia generaliora. Nam

1. Qui alterum diligit, h. e. perfectione ejus delectatur, ſine dubio bonum eſſe judicat, varias perfectiones ab altero poſſideri. Hinc neminem in poſſeſſione earum rerum, quæ ad ipſius felicitatem pertinent, turbabit, ſed potius *ſuum cuique tribuet.* Lev. XIX. 13. Deut. XXIV. 14. Luc. III. 14. Jac. V. 4.

2. *Ex eadem cauſa abſtinebit a læſionibus,* quæ

quæ sunt actiones, quibus alteri damnum infertur, aut ille quocunque modo imperfectior redditur; Rom. XIII. 10.

3. Cum tamen fieri possit, ut quis alterum lædat, amor autem omnem proximi imperfectionem aversetur, & hinc, quantum possibile est, tollat, *Christianus, qui proximum suum diligit, sicut se ipsum, non tantum serio dolebit, si quid damni se aliis intulisse intelligat, sed etiam, quantum poterit, illud rursus abolebit, & pro læsione satisfaciet*; Matth. V. 23. 24. Exod. XXII. 1. Prov. VI. 31. Ezech. XXXIII. 15. Luc. XIX. 8.

4. Hæc omnia fieri haud possunt, si ODIVM & INIMICITIA in corde adsint. Odium enim est aversatio Perfectionis alterius; Et inimicitia efficax studium, aliis nocendi. *Ergo & odium & inimicitia procul abesse debent ab homine Christiano*, Matth. V. 43. 44. Gal. V. 21.

5. Non autem sufficit amori, nihil mali aliis intulisse; Sed cum sit habitus, ex aliorum felicitate voluptatem capiendi, ideoque eam desideret, *non poterit non eam promovere & augere & imperfectiones, quibus alii premuntur, tollere ac removere.* Job. XXXI. 16. 17. 19. Jes. I. 17. LVIII. 7. Matth. XXV. 35. seqq. Gal. VI. 9. 10. 2. Thess. III. 13.

6. Intercessio apud Deum pro proximo, tum propter promissam precum exauditionem, (§. 88.) tum propter mandatum Dei,

Dei, 1 Tim. II. 1. 2. est præstantissimum & efficacissimum medium alios juvandi. *Ergo & quisque pro aliis orare obligatur.* Jac. V. 14. 15. 16.

7. *Et hæc omnia non uni alterive, sed omnibus in universum hominibus præstanda sunt, quorum quisque ideo quoque proximus nostri appellatur.* Matth. V. 43. seqq. Luc. X. 29. seqq. Gal. VI. 10.

8. Mensura horum officiorum est amor sui ipsius. Unde quotiescunque occasio adest, aut juvandi proximum, aut nocendi, *Christianus se ipsum exploret, quid in casu simili sibi ab aliis fieri vel non fieri vellet, & hoc ipsum aliis ipse faciat vel non faciat.* Matth. VII. 12. Luc. VI. 31.

9. Magis tamen proximum, quam nos ipsos, amare neque præceptum, neque licitum est. *Cum ergo ejusdem generis officia erga nos & proximum simul adimplenda sunt, & simul tamen adimpleri nequeunt, priora posterioribus merito præferri debent.* Cujus cum contrarium ipsi naturales stimuli non permittant, verum potius in eo evitando modus plerumque excedi soleat, non opus erat, ut expressa lege prohiberetur.

10. *Denique multo minus magis amandus est proximus, quam ipse Deus.* (§. 69. 72.) Matth. X. 37. Luc. XIV. 26.

Ratio quidem non prorsus ignorat causas, quæ

quæ nos ad amorem proximi obligant & & movent. Ad propriam tamen utilitatem redeunt, &, nisi voluptas sensualis ex objecto amato hausta, aut beneficia vel accepta vel adhuc speranda accedant, non tam ipsum amoris affectum, quam externos actus, qui ab amore proficisci solent, eliciunt. Longe fortiora & nobiliora sunt motiva, quibus Christiani disponuntur & impelluntur ad proximum sicut se ipsos diligendum. Huc pertinet 1. *Voluntas Dei*, quam bonam, sanctam, & perfectam esse illi optime norunt; 2. *Ingens ille Dei amor*, quo singulos homines complectitur, & quem opere Redemtionis luculentissime demonstravit; Jo. III. 16. Rom. V. 8. 3. *Exemplum Christi*, qui ex nimio amore pro omnibus in mortem se tradidit; Jo. X. 12. 17. XIII. 1. 1. Jo. III. 16. 4. *Communia illa beneficia*, omnibus comparata, omnibusque exhibita, quæ nos docent, quemcunque alium hominem in eodem pretio haberi a Deo, ac nos ipsos; 5. *Amor fidelium erga Deum*, qui efficit, ut non tantum Deum, sed etiam quicquid ille amat, diligamus; 1. Jo. IV. 20. 21. 6. *Præstantia amoris* erga proximum, quo ad similitudinem Dei proxime accedimus, & in quo Deus, singulare habet beneplacitum, Matth. XXV. 35. seqq. 1. Cor. XIII. 1. seqq. in quo etiam ipsa legis adimpletio

tio continetur. Rom. XIII. 8. 10. 7. I
nique turpitudo oppositi. Quid enim tu
pius est, quam odisse eum, qui comm
nem nobiscum habet naturam ac origine
qui a Deo ad imaginem suam conditus e
ab eo intensissime diligitur, morte filii D
redemtus est, & ad possessionem & fru
tionem summi boni destinatur?

Habitus suum cuique tribuendi, & abom
læsione abstinendi, dicitur IVSTITIA, cuj
oppositum, INIVSTITIAM, Christiano
non tantum ex hac causa aversatur, qui
insignem habet turpitudinem, & pœnis
quoque civiles meretur, sed potissimum ex
amore proximi, iisque rationibus, quibus
eum ad diligendum proximum moveri o
stendimus. Qui aliquid injusti committi
adversus proximum, idque non abolet, si
cet possit, in illatam læsionem consentire
pergit, eamque approbat. Quod cum
non possit verus Christianus, cognita læ
sione ad satisfaciendum paratus erit. Et
si satisfactio ab eo præstari nequeat, pœ
nitebit saltem, & veniam a proximo læso
petet.

Studium juvandi alios BONITAS, & si
tantum est, ut molestias & difficultates
cum auxilio aliis ferendo conjunctas vin
cat, OFFICIOSITAS appellatur. Utram
que exercere debet Christianus non cum
tædio aut spe lucri, sed libenter, ex sola
volun-

voluntatis & *amoris* Dei considerátione. Tot enim tantisque beneficiis Deus optime de nobis meritus est, ut ex grato animo merito peragamus omnia, quæ ipsi placent, etiamsi non absque molestia peragi possent. Cumque constet, ita Deum nos dilexisse, ut proprio suo filio nostrum causa non parceret, ita quoque Christum nos dilexisse, ut infinitos dolores ipsamque mortem nostrum causa sentiret, quidni & nos hominum ab ipso redemtorum causa labores & molestias sustineamus?

Hæc officia omnibus deberi, voce PROXIMI significari credo. Proximus enim sine dubio est, quicunque nobis occurrit, nostrisque officiis indiget, etiamsi gente & religione maximopere a nobis differat. Luc. X. 29. seqq. Qua in re ne quid dubitationis supersit, scriptura manifestat, totum genus humanum unam esse familiam, unius Patris progeniem. Act. XVII. 26.

Proximum autem SICVT NOS IPSOS diligendum esse, forte nesciremus, nisi lex Dei ita pronunciaret. Et in solo Evangelio rationes occurrunt, quæ docent, alios homines unice *propter Deum* diligendos esse. Ad quem cum omnes eandem nobiscum habeant relationem, simul discimus, eum, qui se ipsum amat, quia est creatura a Deo dilecta, per Christum redemta, & ad æternam gloriam creata, simi-

li modo & ex simili causa & alios amare debere. Ubi vero est *officiorum collisio*, & hinc exceptio facienda, officia erga alios non debent præferri officiis erga nos ipsos. Id enim foret, proximum non sicut nos ipsos, sed *magis quam nos ipsos*, diligere. Quod eo magis illicitum esset, si alii adesent homines, qui nostris officiis indigent, & quos negligere non possumus. Oportet autem *ejusdem generis* officia adesse, quæ inter se pugnarent, v. g. officia erga animam meam & proximi, erga vitam meam & proximi, &c. Nam si officia erga animam proximi pugnarent cum officiis erga corpus meum, aut officia erga corpus proximi cum officiis erga opes meas, &c. id, quod alias mihi debeo, proximi causa recte negligitur. Qui enim minus bonum proprium majori bono proximi præfert, eum non diligit sicut se ipsum. Et sic, puto, intelligenda esse verba 1. Jo. III. 16.

§. C.

Specialiora intuitu animæ.

Qui se ipsum amat, quemadmodum oportet, ante omnia animæ suæ rationem habet, illiusque spiritualem & æternam felicitatem promovere studet. (§. 91.) Cum igitur proximum, sicut nos ipsos, diligere debeamus, (§. 99.) *opera danda est, ut & alios*

alios salvemus, ideoque eos ad Deum convertamus, aut in fide confirmemus. Ps. LI. 15. Jac. V. 19. 20. Ex hac causa

1. *Apud Deum pro aliis intercedamus, ut illis peccata remittere, eosque convertere, in fide conservare, & tandem salvare velit*; Luc. XXIII. 34. Act. VII. 59. Rom. X. 1. 1. Pet. V. 10. Jac. V. 16.

2. *Data occasione alios doceamus, de suo vitæ genere admoneamus, hortemur, & ad studium pietatis excitemus*; Col. III. 16. Gal. VI. 1. 1. Thess V. 14.

3. *Nostro etiam exemplo alios ad reverentiam erga summum numen aliaque pietatis officia moveamus*; 1. Pet. II. 12. Ebr. X. 24.

4. *Inprimis autem nobis caveamus a scandalis*, h. e. iis actionibus, quæ aliis sunt ratio seu occasio contra Deum peccandi. Matth. XVIII. 6. 7. Rom. XIV. 13. seqq. 1. Cor. VIII. 10. 11.

Hoc officium non tantum est amoris erga proximum, sed etiam *cultus Dei*, cujus nomen emendatione aut confirmatione proximi in bono celebratur, (§. 84.) & qui non vult, ut ullus pereat; 2, Pet. III. 9. nec non *amoris erga Christum*, qui suo sanguine singulos homines redemit, ut æternæ vitæ participes fierent; Rom. V. 10. 1. Cor. VIII. 11. quin & *singularis cultus Spiritus sancti*, qui peccatis hominum

contriſtatur. Eph. IV. 30. Accedit, hoc ſtudium erga proximum ſingulari præmio in futura vita ornatum iri. Dan. XII. 3. Alios docere & hortari eſt quidem Doctorum Eccleſiæ; Sed. privatim, & ſi occaſio ita ferat, hoc officio fungi poſſunt & debent omnes Chriſtiani. Adeſt autem occaſio, id agendi, cum, qui noſtræ curæ traditi ſunt, aut amici, quorum conſuetudine & familiaritate utimur, admonitione indigent, aut nos etiam rogamur, ut de opinionibus ad religionem pertinentibus, de aliquo actionum genere, &c. ſententiam noſtram dicamus. Præter hæc, qui non vocati ſunt ad docendum, nemini ſe obtrudant, nec occaſiones hortandi & inſtituendi ſollicite quærant, multo minus publice doceant. SCANDALA IN DATA & ACCEPTA diſpeſcuntur. PRIORIS generis ſunt actiones in ſe malæ, quibus aliis motivum peccandi ſubminiſtratur. Dari poteſt ejusmodi ſcandalum tum *omiſſione*, quæ tacita approbatio factorum malorum videri poteſt, 1. Sam. III. 13. Jeſ. LVI. 10. tum *commiſſione*, cum malæ actiones perpetrantur, quæ alios ad ſimiles iniquitates eo efficacius excitant, quo major eſt horum exemplorum auctoritas, aut ſapientiæ vel pietatis præſumtio. POSTERIORIS generis ſcandala, quæ accepta dicuntur, ſunt actiones in ſe bonæ vel licitæ,

tæ, e quibus tamen alii causam & occasionem peccandi petunt. Hæc rursus in EVITABILIA & INEVITABILIA dividuntur. Per evitabilia intelligo facta in se licita, quæ vero sine peccato omitti possunt. Quod si ista alios vere offendunt, aut occasionem præbent, ex infirmitate aliquid mali committendi, omitti debent. Rom. XIV. 13. seqq. 1. Cor. VIII. 9. seqq. X, 24. seqq. His enim accedentibus circumstantiis factum in se licitum convertitur in illicitum. Secus se res habet, si scandalum acceptum sit inevitabile. Hoc enim est factum in se bonum & præceptum, ideoque salva conscientia omitti nequit, licet sint, qui eo pessime abutuntur, & inde occasionem peccandi arripiunt. Matth. XI. 6. XIII. 57. XXVI. 31. Luc. II. 34. 1. Cor. I. 23. Cæterum nullum peccatum gravius est scandalo. Nam 1. *Proximus* æterna sua felicitate privatur, & anima, pro qua Christus mortuus est, perditur; 1. Cor. VIII. 11. 2. *Omnia* ejus peccata illi, tanquam primæ causæ, recte imputantur, qui scandalum dedit; 3. *Voluntati* Dei, ut omnis homo salvetur, 1 Tim. II. 4. resistitur; 4. Fructus universalis Christi meriti in iis, qui offenduntur, impediuntur. 5. *Numerus* eorum, qui Deum in hac & futura vita colere & celebrare potuissent, minuitur; 6. *Duplex* imo multiplex condemnatio in auctores scandalorum

cadit. Quæ mala omnia eo graviora sunt, quo facilius servari potuissent offensi, & quo latius se extendunt scandala tum ratione objectorum, tum ratione temporis. Unde Christus ex gravissimis causis testatus est, melius esse homini, nunquam natum fuisse, quam scandalum dedisse. Matth. XVIII. 6. seqq. & ll. parall.

§. CI.

Intuitu corporis.

Obligatio, ab omni læsione abstinendi & proximum quovis modo juvandi, ad corpus quoque eo magis extendenda est, cum proximum diligere debeamus, sicut nos ipsos, (§. 99.) quisque autem corporis sui curam gerere teneatur. (§. 93.) Sed quemadmodum proximus respectu corporis sui vario modo lædi, ita & multiplici ratione juvari potest. Læsio omnium maxima sine dubio est

1. HOMICIDIVM. Hoc enim facto proximus vita naturali privatur, qua ipsi nihil carius esse potest, & qua extincta simul cadit omnis corporis perfectio. *Videmus ergo quare nemo sit occidendus.* Gen. IV. 10. 11. IX. 5. 26. Exod. XX. 13. Matth. V. 21. Gal. V. 1.

2. At vero non ille tantum occidit proximum, qui eum vita sua vere privat, sed etiam, qui membra ejus lædit, aut alio modo sanitati nocet. Nam vulnera, mutilationes membrorum, & morbi sunt quasi mor-

mortis initia & causæ. Et quoniam in judicio divino non tantum externum opus, sed præcipue agentis animus attenditur, (§. 41.) ille jam est homicida, qui animum interficiendi aut nocendi habet *Ergo quisque sibi caveat, ne ullo modo damnum inferat corpori aliorum, nec illis irascatur, aut nocere intendat.* Lev. XXIV. 19. 20. Exod. XXI. 18. seqq. Deut. XXVII. 24. Matth. V. 22.

3. Minime autem sufficit, ab his læsionum generibus abstinuisse, sed, cum proximum diligere & juvare debeamus, sicut nos ipsos, (§. 99.) *necesse est, ut eum de periculo forte imminente moneamus, aut in periculo jam versanti auxilium feramus, etiamsi illud non absque vitæ propriæ periculo fieri possit.* Prov. XXIV. 11. 2. Par. XXVIII. 12. seqq. Esth. VII. 3. 4. Gen. XIV. 14. 15. 16.

4. *Ex hac causa quoque proximo necessaria se suosque conservandi media suppeditare, aut ut victum & amictum labore sibi comparare possit, efficere debemus.* Jes. LVIII. 7. Matth. XXV. 35. seqq. XX. 1. seqq.

5. *Et si opera ab eo præstita est in nostrum commodum, mercedem sine mora solvamus.* Lev. XIX. 13. Deut. XXIV. 14. Jac. V. 4.

Cum Deus ipse pœnas capitales nonnullis delinquentibus infligi jusserit, Gen. IX. 6. Exod. XXI. 14. 15. Rom. XIII. 4. & bellum justum populis inferri voluerit,

homicidium ab eo interdictum non pote esse omnis interfectio hominis, sed ea dun taxat, quæ nulla lege, nulla necessitate ex igitur. Hinc & a crimine homicidii ab solvendus est, qui ex moderamine incul patæ tutelæ aggressorem occidit. Qui vero a licita interfectione ad illicitam facil lis est progressus, homicidium autem gra ve delictum est, & judex, & miles, & in vasus ab alio sollicite sibi caveat, ne mor tem homini inferat, cujus vita conservar potuisset. Gravitas delicti patet *tum* ex lege de non lædendo altero, *tum* ex ma gnitudine hujus læsionis, *tum* ex violatio ne jurium majestaticorum Dei, qui solus de vita & morte hominum disponere pote est. Hinc & Deus homicidium morte puniri voluit. Ad læsiones corporis re cte etiam refertur STVPRVM violentum aut dolo illatum, de quo leges divinæ ex tant. Exod. XXII. 16. 17. Deut. XX. 28. 29. Qui proximum ratione corporis læ sit, satisfactionem præstare tenetur. Exod. XXI. 18. seqq. Lev. XXIV. 19. 20. Deut. XIX. 21. Nam qui damnum reparare non vult, hoc ipso in læsionem illatam consen tit, & proximum lædere pergit. Studium juvandi alios, ut necessaria habeant alimen ta, est opus amoris, mercedis autem de tentio gravissima læsio, *tum* quia hac in justitia suum cuique non tribuitur, *tum* quia

quia est turpissimus abusus proximi, qui vires & labores suos nobis commodavit, ut haberet, quo se suosque conservaret.

§. CII.

Opes ad perfectionem status externi pertinent, ideoque eas nobis comparare, conservare, & augere obligamur. (§. 94.) Cum igitur proximum, sicut nos ipsos, amare, & hinc eum quovis modo perficere, ab omni autem læsione & damno abstinere debeamus, (§. 99.) *necesse est, ut id quoque intuitu opum, quas possidet, aut acquirere potest, observemus.* Inde vero sequitur, Intuitu opum.

1. *Ut nemini, quod suum est, invideamus, nec opes alienas concupiscamus, sed potius de ipsius facultatibus, & earum augmentatione gaudeamus*; Exod. XX. 17. Eccl. IV. 4. IX. 6. Rom. XIII. 13. Jac. III. 14. 16.

2. *Ut a furto quisque sibi caveat*, Exod. XX. 15. Eph. IV. 28. quod crimen committitur, cum quis opes alienas inscio ac invito domino sumit, cum animo eas retinendi;

3. *Ut nec vi, nec dolo, nec ulla juris specie bona aliorum nobis vindicemus*; Lev. XIX. 11. 35. Prov. XX. 10. 23. Ezech. XVIII. 7. Amos VIII. 5. 6. 1. Thess. IV. 6.

4. *Ut, quæ nobis mutuata, aut alio modo*

credita sunt, vel in potestatem nostram pervenerunt, restituamus; Lev. VI. 2. 3. 4. 5. Ps. XXXVII. 21. Ezech. XXXIII. 15. Luc. XIX. 8. Ad quæ officia accedit

5. *Studium, consilio & opere juvandi proximum, ut bona sua retineat, conservet, & augeat, quin & aliquam opum nostrarum partem mutuo dandi, si hac ratione a nobis juvari potest.* Deut. XV. 7. 8. 1. Sam. XXV. 15. 16. Ps. CXII. 5. Luc. VI. 34. 35.

Quemadmodum pro quacunque læsione satisfaciendum est, (§. 99.) ita &, quicquid furto aut alio modo ablatum est, restitui debet, nisi impossibilitas restituendi obstet, vel quia personæ læsæ domicilium ignoratur, vel quia vires satisfaciendi deficiunt, quo casu tamen læsionem deprecari, & illius veniam petere debemus. Restringendus est itaque canon: Furtum non remittitur, nisi restituatur ablatum. Modus etiam restitutionis prudenter determinari debet, ne manifestatione delicti, quod alias semper occultum mansisset, alii offendantur. Si proximus pecuniæ nostræ elocatione juvari potest, licet usuras solvat, & si, qui mutuo dat, usuris in suam & suorum conservationem indiget, illas, salva conscientia, accipere potest. Proximum enim non magis diligere obligamur, quam nos ipsos. Et qui pecuniam

am sibi creditam cum usuris reddere nollet, licet id sine damno facere posset, is sine dubio ingratus foret, &, quod proximi sui est, retineret. Hinc mandatum Christi, de pecunia sine lucro elocanda, Luc. VI. 35. 36. *secundum quid* intelligi debet, scilicet, ut non sola spe lucri, sed amore proximi ad hoc officiorum genus moveamur, ideoque, si occasio sic ferat, miserum opibus nostris juvemus, qui usuras reddere nequeat. Et interdictum Judæis datum Exod. XXII. 25. Lev. XXV. 36. 37. Deut. XV. 7. 8. lex forensis erat, ad solos Judæos pertinens, cujus ratio erat æqualis distributio Regionis Canaan inter omnes Israelitas, æquale jus terræ fructus participandi habentes. Necesse autem est, ut *usuras* a *fœnore* distinguamus. Hoc enim est tanta usurarum quantitas, quæ, si reddenda esset creditori, damnum inferret debitori, aut certe omnem utilitatem ex elocata pecunia capiendam impediret. Fœnerator ergo non amore proximi, sed lucri cupiditate mutuo dat, suasque opes auget cum damno aliorum. Quare & turpissimum hoc lucri genus merito prohibetur. Ps. XV. 5. Ezech. XVIII. 8. 13. Cæterum Christianus hæc officia servat, 1. *quia* habet mandatum Dei; 2. *quia* novit, esse ordinationem divinam, ut unus multum, & alter parum aut nihil habeat

habeat opum terrenarum; Prov. XXII.
3. *quia* homines a Deo constituti sunt
rum, quas possident, administratores
Matth. XXV. 14. seqq. Luc. XVI. seq
4. *quia* proximum diligunt, sicut seipsum
5. *quia* contenti sunt iis opibus, quas d
vino beneficio acceperunt, omnem ver
avaritiam aversantur. (§. 94.)

§. CIII.

Intuitu famæ.

Fama & existimatio bona est judicium de alicujus perfectionibus, & ad status externi perfectionem pertinet. (§. 95.) Quemadmodum itaque eam sibi quisque comparare & conservare debet, (§. 95.) ita vero, quod sibi debet, & proximo ex amore præstare obligatur, (§. 99.) Christianus operam det, necesse est, *ut bonam proximi famam, quantum potest, conservet & tueatur.* Ergo

1. *Ipse sibi caveat, ne defectus aut vitia moralia proximo imputet, a quibus tamen ille immunis est*; Exod. XX. 16. Ps. L. 19. 20. Matth. V. 11. VII. 1. 1. Cor. IV. 5. Jac. IV. 11. Eph. IV. 31.

2. *Nec patiatur, ut hominis innocentis fama ab impiis & malevolis violetur, sed potius contradicat, & proximum suum defendat*; Jo. VII. 51. Act. V. 38. 39. Prov. XIII. 5. Jes. I. 17.

3. *Si quid est vitiorum naturalium in homi-*

ne,

ne, quod propria culpa sibi minime contraxit, absit, ut ex hac causa proximum contemnat, aut ipsi acerbe exprobret; Lev. XIX. 14. Mal. II. 10. 2. Reg. II. 23. 24.

4. Fieri tamen potest, ut proximus noster variis infirmitatibus & vitiis laboret, quæ ipsius studio evitari potuissent. Quod si acciderit, negare quidem salva veritate non poterimus, eum his malis laborare. Quia vero amor non patitur, ut defectus, qui contemtum pariunt, innotescant aliis, & præterea nullus fere mortalium adeo corruptus & imperfectus est, quin aliquid boni in se habeat, *nostri est officii, vitia & nævos proximi non manifestare, sed potius, quantum fieri potest, eum excusare, & quicquid boni in eo est, commendare.* Matth. VII. 3. Rom. XIV. 1. 4. 1. Cor. XIII. 4. 5. 1. Pet. IV. 8.

5. Hæc officia si adimpleri debeant, necesse est, *ut non facile credamus sinistris aliorum delationibus, ut omnia ipsi secundum veritatem & amorem exploremus, & ut pronio-res simus ad bene sperandum de proximo, quam ad suspicandum malum.* 1. Cor. XIII. 7. 1 Tim. VI. 4. Jac. I. 19.

6. Quemadmodum autem hæc omnia necessaria sunt, ut omnis famæ violatio evitetur, ita porro requiritur, ut, quicquid ad bonam existimationem illi conciliandam, conservandam, & augendam con-

conferre possumus, pro virili præstemus; *ideoque, si quid boni est in proximo nostro, illud aliis manifestemus, ipsi magni faciamus, & veneration nostram externis quoque signis declaremus.* Rom. XII. 10. 2. Cor. VII. 14. 1. Thess. I. 7. 8. 9.

Mala, quæ de aliis prædicantur, aut contemtum quidem pariunt, cæterum autem non nocent, aut eam existimationem laedunt, qua quisque ad securitatem & felicitatem externam conservandam in Rep. opus habet. Posterioris generis imputationes, si fiant invita veritate, INIVRIÆ, CALVMNIÆ, & OBTRECTATIONES appellantur. Et si tale quid duris verbis contra proximum pronuncietur, aut etiam ille ab ejusmodi vitiis denominetur, CONVITIA in eum effunduntur. Ab his impietatibus quantopere nobis cavendum sit, facile constat. Nam 1. *sunt peccata* contra octavum præceptum; Exod. XX. 16. 2. *Sunt mendacia*, h. e. falsiloquia cum laesione tertii connexa, quæ Deus veracissimus infinite odit; Ps. V. 7. CXIX. 163. Prov. XIX. 5. Jo. VIII. 44. 3. *Sunt laesiones*, quarum mala consectaria abolere nequeunt: Nam semper aliquid hæret; 4. *Proficiscuntur* ab efficaciissima proæresi proximum perdendi; 5. *Innocentibus* extorquent suspiria, quæ Deum ad vindictam mo-

movent; Pſ. L. 20. 21. LV. 3. 4. 13. 14. ſeqq. 6. *Rumpunt* omne vinculum humanæ ſocietatis, & inſignem turpitudinem ſecum connexam habent. Hujus iniquitatis rei non ſoli ſunt calumniarum auctores, ſed etiam, qui eas propalant, aut falſo teſtimonio confirmant. Exod. XX. 16. 1. Reg. XXI. 10. 13. Matth. XXVI. 60. Satisfactio, quæ ab his omnibus læſo præſtari debet, (§. 99.) revocatione calumniarum & declaratione honoris continetur. Si quem vitiis aliisque imperfectionibus laborare, aut delicta commiſiſſe novimus, quæ malum animum ſupponunt, veritas quidem exigere videtur, ut data occaſione ea manifeſtemus. At vero cum veritas ſalva maneat, ſi de his rebus omnibus taceamus, & e contrario, quicquid boni in proximo eſt, laudemus, cumque amor totus in eo ſit, ut proximum juvet, quantum juvari poteſt, & nemo ſuos ipſius defectus coram aliis enumerare, ſed potius de emendatione ſua ſollicitus eſſe ſoleat, noſtri eſt officii, infirmitates & vitia aliorum hominum ſilentio tegere, &, quæ laude digna ſunt, commendare, niſi gravior obſtet obligatio. Ut ergo nec proximum, nec veritatem, nec alia officia lædamus, recte & juſte de proximo ſtatui debet. Neque id ſcriptura Matth. VII. 1. 2. Luc. VI. 37. 1. Cor. IV. 5. prohibet. Nam

hæc

hæc loca tantum de judicio temerario & illegitimo agunt, quod multiplex esse pot est. *Primum* enim illegitime judicat, qu sine prævio examine, ex vago rumore & falsa præsumtione, sententiam fert; *Se cundo*, qui ex pravo affectu sine amor judicat, & hinc res nullius aut certe levis simi momenti nimium exaggerat, Matth XV. 2. Rom. XIV. 3. aut actiones in s bonas & innocentes siniſtre interpretatur Matth. IX. 3. XI. 19. aut proximo impu tat, quod bonum ex malo fine faceret; *Tertio*, qui ex arrogantia & fastu de pro ximo suo judicat, dum leviſſimos defectu in eo statim videt, suos autem longe gra viores non animadvertit, Matth. VII. 3 aut se cum aliis comparat, seque illis lon ge meliorem esse statuit; Luc. XVIII. 11. *Quarto*, qui judicium suum nimis præ cipitat, & ex. gr. ex calamitatibus hominis siniſtre concludit, eum esse hominem im pium, quem vindicta divina persequeretur Job. IV. 7. Jo. IX. 2. Act. XXVIII. 4. *Quinto*, qui de rebus judicat, quas non intelligit, aut de quibus non habet judi candi potestatem; 1. Cor. IV. 3. 4. 5. *Sex to*, qui, quando de proximo judicat, pes simam interpretationem benigniori præ fert. Jo. X. 34. 35. 36. Hæc extrema si evitentur, de proximi animo, vitæ gene re &c. judicari potest, quamquam judici um

um nostrum non semper liceat cum aliis communicare.

§. CIV.

Qui proximum juvare vult, quantum potest, ille non raro suam opinionem de mediis & modo, quo quis suam utilitatem promovere possit, aut interrogatus aut sponte cum alio communicare, negotium aliquod suadere vel dissuadere, pericula, quæ forte imminent, manifestare, & auxilium, quo quis indiget, & quod alibi quærere deberet, nisi a nobis præstaretur, promittere debet. Deficiente enim hac consiliorum communicatione, & animi ad juvandum prona declaratione, multis pereundum aut misere vivendum esset, præsertim iis, qui recta rerum sibi necessariarum notitia carent, & aliorum ope indigent. Et cum Deus facultatem loquendi nobis concesserit, ut nomen ejus celebraremus, & proximo inserviremus, ejus etiam est voluntas, ut in hunc finem lingua nostra utamur. Inde autem varia oriuntur officia, a Christianis religiose adimplenda. Nam In negotiis humanis.

1. *Quisque sibi notitiam & vires acquirat, aliis inserviendi, & eorum utilitatem promovendi*; 2. Cor. VIII. 14. Gal. V. 13. Eph. IV. 28. 1. Pet. IV. 10.

2. *Quisque etiam seriam habeat intentionem, id agendi & loquendi, quo alter juvari possit:* Quod studium dicitur SINCERITAS Prov. II. 7. Luc. XX. 21. Act. V. 1. seqq.

3. *Inprimis autem veritati studeat:* Cum enim veritas sit conformitas verborum cum cogitationibus & dispositionibus cordis, homo autem seriam intentionem alios juvandi, semper habere, & sermone actu juvare debeat, manifestum est, quemque in verbis veracem esse oportere; Ps. XV. 2. Prov. VIII. 7. Jer. IX. 3. Rom. IX. Eph. IV. 25.

4. *Quod officium minime omnium in pactis negligi debet.* Pacta sunt promissa acceptata ab altero. Si quis ergo cum quopiam pacisci tur, promittit, se quid præstiturum esse in alterius utilitatem, & qui hoc promissum acceptat, in ejus declaratione acquiescit, & promissum auxilium secure expectat. In hoc negotio veritas duplici modo lædi potest: Primo, cum quid nos præstituros esse pollicemur, quod tamen præstare nolumus; Secundo, cum, quod promisimus, & tunc præstare volebamus, postea non adimplemus. Quare necessum est, ut pacisc entes & sincere promittant, & pacta sua servent; Lev. XIX. 11. Ps. XV. 4. Prov. VI. 1. 2. Jos. IX. 18. Matth. XXIII. 23.

5. *Et cumprimis servanda sunt pacta, si jura-*

juramento confirmata fuerint; (§. 89.) Pſ. XV. 4. Joſ. IX. 18.

6. Fieri poteſt, ut proximus noſter variis periculis exponatur, & multa damna illi metuenda ſint, ſi rerum ſuarum conditiones, &, quos intendit, fines, qui forte in noſtram notitiam pervenerunt, innoteſcerent aliis. Hinc quoniam nobis non ſemper conſtat, num harum rerum manifeſtationes proximo futuræ ſint periculoſæ & noxiæ, id autem omne a nobis evitari debet, quod alteri nocere poſſet, (§. 99.) Chriſtianorum eſt, nihil eorum, quæ ad proximi noſtri ſtatum pertinent, cum aliis communicare, niſi neceſſitas aut alicujus officii ratio exigat. Habitus ea, quæ de proximo nobis conſtant, celandi coram aliis, quantum fieri poteſt, aut nihil horum ſine neceſſitate evulgandi, TACITVRNITAS appellatur. *Ergo & huic ab omnibus ſtudendum eſt.* Pſ. XXXIV. 13. 14. XXXIX. 2. Prov. X. 19. 1. Pet. III. 10. Jac. III. 5. 6.

7. Si vero tacendum eſt, ne noſtra loquacitate præter intentionem proximo noceamus, multo magis ſilentio tegenda ſunt, quæ ſub fide ſilentii ab aliis accepimus, aut quæ proximo damnum illatura eſſe, certo novimus. Qui vero arcana ſibi credita, aut alia, cum intentione nocendi, manifeſtat, PRODITIONIS reus eſt.

Ergo quantopere ab hac iniquitate quisque sibi cavere debeat, manifestum est. 1. Sam. XXII. 9. 10. XXIII. 19. Prov. XI. 13. Jer. IX. 4. Matth. XXVI. 15.

Cum nemo sibi soli vivat, sed aliis simul prodesse debeat, & Christiani inprimis unum corpus constituant, cujus singula membra sibi mutuo inservire obligantur, Rom. XII. 4. 5. quisque scientiam & vires alios juvandi sibi comparare, &, ut illis inservire possit, officio fungi debet, quo alias ad suam suorumque conservationem non indigeret. SINCERITAS in scriptura quoque conformitatem cordis cum externis actionibus, quibus Deus colitur, significat, & hoc sensu hypocrisi opponitur, 1. Par. XXX. 17. Sed & respectu proximi hæc virtus maximopere commendatur. Veri nominis Christiani ad eam sectandam & exercendam MOVENTUR *tum* amore proximi, (§. 99.) *tum* exemplo Dei, (§. 82.) qui serio vult, ut nullus mortalium pereat, sed omnes convertantur, & vivant, Ezech. XXXIII. 11. 1. Tim. II. 4. 2. Pet. III. 9. *tum* exemplo Christi, (§. 82.) cui & hostes infensissimi sinceritatis testimonium perhibebant; Matth. XXII. 16. & quem scriptura ex hoc capite laudat, 1. Pet. II. 22. *tum* regula ejus, qua id aliis facere jubemur, quod nobis fieri volumus.

VERI-

VERITATEM ex variis causis commendare possumus. Nam 1. *adest* mandatum Dei, (§. 104. num. 3.) 2. *adest* etiam exemplum Dei veracissimi, 2. Sam. VII. 28. Ps. XXXIII. 4. Apoc. III. 7. 14. VI. 10. quod nos imitari debemus; (§. 82.) 3. *qui a vero* aberrat, novit, qualis sit, & qualis esse debeat, quid in pectore habeat, coram hominibus occultat, & hoc ipso se ipsum damnat; 4. *nec* timet Deum omniscium, qui absconditas cordis cogitationes optime novit; 5. *Diabolum* imitatur; Jo. VIII. 44. 6. *Alios fallit*; 7. *se ipsum abominabilem* reddit: Siquidem impedire non potest, quo minus mendacia ejus aliis aliquando innotescant; 8. *Efficit*, ut nemo imposterum fidem ipsi habeat, seque ad officia erga alios ineptum reddit; 9. *Suspectam* quoque reddit aliorum fidem, quo ipso commune societatis humanæ vinculum rumpit. Quemadmodum autem veritas medium esse debet, felicitatem humani generis promovendi, ita, si forte veritatem dicendo alios perderemus, aut grave aliquod officium adimplere impediremur, eam premendam & dissimulandam esse, non dubito. Nolo falsiloquium illud in totum approbare, sed adest officiorum collisio, qua existente gravius præferendum est leviori. Hinc & ejusmodi *falsiloquia officiosa* in sacris literis narrantur,

aut approbata, aut certe non improbata. Gen. XX. 2. Exod. I. 17. seqq. Jos. II. 4. Jud. IV. 18. 1. Sam. XVI. 2. XX. 28. 2. Reg. II. 4. 6. Jer. XXXVIII. 27. Maxima tamen circumspectione opus est, ne ex falsa opinione, gravius officium adimplendi, veritatem deseramus. Cæterum 1. ad falsiloquia non pertinet sermo, qui quidem cum opinione loquentis, sed non cum ipsa re consentit, quamquam, si sufficiens studium & diligentia, opinionis veritatem explorandi, defuerit, non omni culpa semper careat. 2. Neque huc referendæ sunt fictiones, quæ ad dogma vel officium pro captu auditorum facilius tradendum adhibentur, quales ex. gr. sunt parabolæ: Nam principalis conceptus loquentis non est res ipsa, quæ narratur, sed ejus similitudo cum dogmate proponendo; Quæ si adfuerit, adest etiam veritas. 3. Denique nec falsiloquia sunt declarationes voluntatis ab intentione nostra diversæ, quibus alios explorare volumus. Tunc enim intentio nostra non est factum, quod præcipimus, sed exploratio animi alterius, quo satis cognito & vera nostra intentio explicatur.

IN PACTIS qui veritatem servare vult, nihil promittat, nisi quod præstare vult & potest, abstineat a locutionibus ambiguis & reservationibus, omnem det operam, ut

suo

suo tempore fidem liberare possit, denique nunquam recedat ab efficaci proposito, faciendi, quod promissum est. Hæc omnia requirimus 1. *propter rationes* §. 104. num. 4. excitatas; *Ad quas accedit* 2. *exemplum Dei*, qui in promissionibus est veracissimus, & sanctissime servat, quicquid promisit; Deut. VII. 9. 1. Sam. XV. 29. 1. Reg. VIII. 23. Ps. XXXIII. 4. LXXXIX. 34. 35. 36. 3. *Per pactum* res nostræ viriumque nostrarum usus devolvuntur in alios, quibus ideo suum tribui debet promissorum adimpletione; 4. *Cum pactis* nihil, nisi quod justum & honestum est, promittatur, & hoc medio officium charitatis alteri præstandum confirmetur, ad quod & sine pacto religione nostra obligamur, impium & religione noxium est, pacta violare; 5. *Pactis salus* & felicitas humani generis continetur, unde illius securitatisque publicæ & privatæ hostis censendus est, qui pacta servare recusat. Ex his rationibus satis patet, eo magis servanda esse pacta, quo gravius est negotium a paciscentibus confectum. Nec damnum metuendum aut periculum aliquod imminens quemquam liberare potest ab hac obligatione. Minime tamen fœdus fregisse putandus est, qui aut impia, aut jure paciscendi destitutus, aliquid promisit, & postea servare non vult, aut casibus for-

tunæ impeditur, quo minus promissis stare possit, aut denique consentiente compaciscente a promissis recedit.

Arcana proximi tacenda esse, nisi gravius officium obstet, quod silentio nostro læderetur, dum asseruimus, ex hac ipsa limitatione constat, silentium non tenendum esse, si quis delicta in perniciem reip. aut privatorum hominum moliretur, quæ matura revelatione impediri possent, aut si quis a judice interrogaretur, quid sibi de rebus quibusdam arcanis constaret, aut si silentium nostrum consensus in aliorum delicta videri posset.

§. CV.

In conversatione.

Qui aliis inservire serio vult, efficere debet, ut suum inserviendi studium aliis innotescat, & ab illis expetatur, ut alii bene de eo sperent, amicitiam ejus quærant, & in ea fiduciam collocent. Sed hæc omnia impediret, si aditu difficiliorem se præberet, conversationem sollicite fugeret, aut in ea nimis molestus & intolerabilis esset. Quare cum alios juvare, & omnem juvandi occasionem quærere & excitare debeamus, (§. 99.) *Christianus sine dubio ad vitam socialem honestamque & gratam conversationem obligatur.* Luc. XIV. 1. XIX. 5. Jo. XII. 1. 2. 2. Cor. XI. 28. Ebr. XIII.

XIII. 2. Ut vero quisque proximo placeat,

1. *Humanitati studendum est*, quæ est studium, actiones suas ita componendi, ut alii in iis habeant beneplacitum. 1. Cor. XIII. 4. 2. Cor. VI. 6. Eph. IV. 32. 1. Pet. III. 8.

2. *Modestia nos commendemus*, h. e. studio ita vivendi, ut nostra relatio ad alios homines singulis actionibus recte exprimatur, ideoque aliorum prærogativas agnoscendi, propriam laudem fugiendi, nec ultra modum de nobis ipsis sentiendi. Matth. XX. 25. 26. Luc. XIV. 8. seqq. Eph. IV. 1. 2. Phil. II. 3. 2. Pet. I. 5.

3. *Pacis quoque simus studiosi*, Matth. V. 9. Marc. IX. 50. Rom. XII. 16. 18. XIV. 19. 2. Tim. II. 22. 23. Ebr. XII. 14. Jac. III. 17. 18. quod quidem officium totum nondum adimpletum esse putamus, cum ipsi abstinemus a læsionibus, sed nec facile ab aliis nos offendi aut ad iram excitari patiamur, omnia in bonam partem interpretemur, alios patienter & humaniter feramus, etiamsi illorum mores nobis non essent accepti, de rebus levioris momenti non facile contendamus cum aliis, ab omni pruritu contradicendi simus alienissimi, & si forte contradicendum sit, omni modestia & lenitate utamur, aliorum lites componere studeamus, ac odium & vindictam

ctam omni modo diſſuadeamus. 1. Cor. I. 10. VI. 7. Phil. II. 2. 2. Theſſ. V. 15. Jac. III. 14. 16.

Cum nemo facile amicos & auxilium inventurus ſit, qui omnem ſocialitatem fugit, aut in converſatione aliis moleſtus eſt, ſtudium ſocialis vitæ & honeſtæ converſationis ſimul eſt officium erga nos ipſos. Accedit ſapientiſſimum Dei conſilium, ut omnes homines communem habeant Patrem, & ſe ad unam eandemque familiam pertinere credant. Chriſtiani ſingulari adhuc vinculo in Eccleſia uniuntur, & hanc ob cauſam cum oculis, auribus, manibus, pedibus, &c. ejusdem corporis comparantur. Quæ omnia ſicuti ſocialem vitam ſuadent, ita Chriſtus ſuo exemplo confirmavit, eam non eſſe fugiendam. Inprimis autem HVMANITATEM univerſa ſua vita commendavit, Jeſ. LXI. 1. Luc. II. 52. Act. X. 38. hac quoque in re Patris ſui imaginem referens. Tit. III. 4. Et profecto nihil dignius eſſe poteſt homine chriſtiano, omnium virtutum ſtudioſiſſimo, quam humanitas, qua aliorum animos ſibi obſtringere, eorumque amorem & amicitiam ſibi comparare poteſt. Ad mores, quibus placere ſolent, qui humani ſunt, pertinet *affabilitas*, *civilitas*, quæ actionibus, ſignis & declarationibus receptis exercetur

ercetur, *humilitas*, qua non pro dignitate nostra, sed pro conditione, moribus, & indigentia aliorum cum illis agimus, *abstinentia a duris & acerbis locutionibus*, *tolerantia eorum*, quæ in aliis nobis displicent, & *studium eos imitandi*. 1. Cor. IX. 19-22. X. 33. Cavendum tamen est, 1. ne hæc agendi ratio mera sit hypocrisis, sed potius affectus internus illi prorsus respondeat; 2. ne ex nimio placendi studio mores imitemur, qui peccato non carent, aut in pravas consuetudines consentiamus. Rom. XII. 2. MODESTIA non postulat, ut prærogativas, honoris significationes, compellationes, &c. quæ nobis competunt, de industria occultemus, aut laborioſe a nobis removeamus, sed tantum, ut honorem nostrum non anxie quæramus, ut merita & prærogativas nostras ipsi non prædicemus, & multo minus illis in aliorum contemptum abutamur, ut cum aliis hominibus nobis inferioribus tanquam cum hominibus, qui sunt nostræ naturæ & conditionis, conversemur, illorum prærogativas, virtutes, & merita agnoscamus & veneremur, ut, si forte a nobis corrigendi sint, illud amice, cum omni moderatione, & lenitate peragamus, tanquam homines, qui ab infirmitatibus & nævis immunes non sunt. Hoc vitæ genus Christianum decet *tum* propter amorem proxi-

proximi, *tum* propter humilitatem coram Deo, *tum* propter propriæ indigentiæ conscientiam, *tum* propter oppositi turpitudinem, & nostrum ipsorummet commodum. Qui enim a modestia alieni sunt, aliorum odium & contemptum sibi conciare solent. PACIS STVDIVM retineri & coli potest, licet alios ob læsiones nobis illatas in jus vocemus. Quorsum enim opus esset judice & magistratu, ab ipso Deo instituto, Rom. XIII. 1. seqq. si litigare non liceret? Quando itaque lites & actiones forenses Apostolus prohibet, 1. Cor. VI. 1. seqq. id sibi vult, ut nemo his litibus occasionem det læsionibus & injustitia, ut læsus illatam sibi injuriam non statim ulciscatur, sed potius proximo condonet, & ut Christiani lites forte exortas amice & per arbitros pios ac honestos componant. Temeraria enim, & ex animo vindictæ cupido profecta, litigatio Christianum minime decet. Quodsi vero extrema necessitas, aut alicujus officii ratio, qnod nobis vel aliis debemus, exigat, ut judicis officium imploremus, id salvis legibus divinis, salvaque conscientia fieri potest.

§. CVI.

Erga divites & superiores.

Homines, quibus hæc officia debemus,

mus, *ratione fortunæ* a se invicem & a nobis maximopere differunt. Sunt, qui opibus, dignitatibus, potentia, aliisque prærogativis nos & alios longe antecellunt. Quos igitur cum ex universali lege pariter diligere debeamus, sicut nos ipsos, (§. 99.) nemo autem hæc bona sibi ipsi invideat, sed potius magnam voluptatem ex iis capiat, (§. 90.) necesse est,

1. *Ut aliorum fortunam non tantum æquo animo intueamur, sed etiam de ea gaudeamus, & ex animo illam proximo nostro gratulemur.* (§. 102.) Rom. XII. 15. Jac. III. 14. 15. 16.

2. Qui alterum diligit, sicut se ipsum, illius quoque perfectionibus, meritis, & prærogativis justum pretium statuet, seque hæc omnia, uti decet, agnoscere declarabit. *Quare hoc singulare est officium, ut aliorum merita & dignitates agnoscamus, eos propterea veneremur & magnifaciamus, & quanta inter nos & illos sit differentia, verbis & factis significemus.* Eph. IV. 1. 2. Phil. II. 3. 1. Pet. V. 5. Luc. I. 43. Job. XXIX. 20. seqq.

3. Idem amoris affectus, qui efficit, ut ex aliorum opibus & honoribus voluptatem capiamus, nos simul obligat, *ut, quicquid ad hæc bona illis conservanda & augenda conferre possumus, pro virili faciamus.*

4. Quodsi autem illi nimis ambitiosi, vani, & petulantes fuerint, *non decet Christianum*

ſtianum, adulationibus & injuſte prætenſis honorum titulis ac declarationibus pravum illorum affectum alere, ſed potius data occaſione ſignificare oportet, faſtum & vanitatem illorum hominum nobis non placere. Eſth. III. 2. Jo. XIX. 11. Act. XII. 22.

INVIDIA homine chriſtiano eo magis indigna eſt, cum ſciat, Deum opes & honores pro ſapientiſſimo ſuo arbitrio inter homines diſtribuere, Prov. XXII. 2. & invidiam in ſe eſſe reprehenſionem divinæ providentiæ. Matth. XX. 15. Pugnat præterea cum amore proximi, & cum exemplo Chriſti, qui multos homines divitiarum & honorum abundantia frui permittebat, licet ipſe eſſet contemptus & rebus omnibus deſtitutus. HONOR aliis deferendus nec hypocriticus nec a pietate alienus eſſe debet. Hinc aut merita & virtutes, aut dignitates ſupponat. Nam & poſterioribus Deus homines a ſe invicem diſtinguere voluit, & hinc non illicitum eſt, alios propter ſolam dignitatem colere, quamquam, ſi & merita adſint, major illis honor debeatur. 1. Cor. V. 17. ADVLATIO Chriſtianum nunquam decet. Eſt enim honor ob merita & virtutes alicui delatus, qui meritis & prærogativis iſtis caret. Hinc adulatores ſunt hypocritæ, & ſpe lucri ad mentiendum moventur,

tur. QVI officium negligit, opes & honores aliorum conservandi & augendi, primam amoris legem transgreditur. (§. 99.) Magis autem peccat, qui alios opibus & dignitatibus suis privare, & in se devolvere tentat. Is enim *primo* contra mandatum divinum aliena concupiscit; Exod. XX. 17. *secundo* quod sibi a Deo datum non est, dolo & fraude sibi comparare vult; *tertio* pessimis mediis plerumque utitur, qualia sunt calumniæ, crudelitates, injustitiæ, &c. VANIS & ambitiosis hominibus, si in dignitate constituti sint, exhibendus quidem est cultus civilis, sed simul etiam tenendus modus, ne simili ratione eos honoremus, quo ab aliis quibusdam honorantur, & ab omnibus honorari volunt. Nam si ultra modum illos coleremus, quod ab aliis fieri, & vanis illis hominibus placere videmus, pravus ille affectus a nobis quoque in aliis aleretur & confirmaretur, quod salva conscientia fieri nequit.

§. CVII.

Erga inferiores & miseros.

Dantur homines nobis aut inferiores, aut infeliciores, & variis miseriis, calamitatibus, & afflictionibus pressi. Hos omnes cum sicut nos ipsos diligere debeamus, (§. 99.) amor autem non tantum dispositio cordis sit, ex aliorum perfectionibus

nibus voluptatem capiendi, sed etiam animum ad facienda ea impellat, quæ alteri grata, accepta, & utilia sunt, idque homo intuitu sui ipsius observare soleat, hæc omnia quoque inferioribus, miseris, & afflictis debemus. Quare

1. *Inferiores non contemnamus, sed potius humaniter excipiamus, & benevole cum illis agamus*; (§. 105.)

2. *Ex aliorum miseriis tædium & tristitiam capiamus, eamque sentiendi habitum nobis comparemus, quæ dicitur misericordia*; Luc. VI. 36. Col. III. 12. 1. Pet. III. 8.

3. Cumque tristitia, quæ miserorum animos occupat & affligit, ingens malum sit, quod vero variis repræsentationibus & motivis mitigari, aut prorsus expelli potest, *illi quoque solatio a nobis juvandi & recreandi sunt*; Job. XXIX. 25. Jes. XL. 1. LXI. 2. Thr. I. 9. 17. 2. Cor. XIII. 11. 1. Thess. IV. 18. V. 14.

4. Quia vero amor non subsistit in commiserationis & bonæ voluntatis significatione, verbis consolatoriis, votis, &c. sed simul in malorum abolitionem tendit, quæ afflictis animis tristitiam afferunt, *illi etiam re ipsa, h. e. operibus charitatis pro sua cujusvis indigentia a nobis juvandi sunt*. Jes. I. 17. LVIII. 7. Matth. XXV. 35. seqq. Ebr. XIII. 16. Jac. II. 13. 15. 16.

5. Et quoniam hæc omnia sunt amoris officia

officia, quæ omnibus & singulis debemus, (§. 99.) *omnes quoque hoc modo juvemus, etiamsi propria culpa miseriam sibi contraxerint, aut auxilio nostro indigni esse videantur,* Hos. XI. 8. Luc. X. 29. seqq. XV. 22. seqq. Gal. VI. 10.

AD PROXIMVM NON CONTEMNENDVM, etiamsi infimæ sortis sit, movere nos potest 1. *Communis* natura & origo omnium hominum; Act. XVII. 26. 2. *Incarnatio* Christi, qua omnes homines cum Christo æqualiter uniti sunt; Ebr. II. 14. 3. *Communis* redemtio & vocatio omnium hominum ad eandem gratiam & gloriam; 1. Tim. II. 5. Luc. XIV. 21. 4. *Singularis* unio fidelium in Ecclesia, quæ efficit, ut omnes sint unius corporis membra; Rom. XII. 4. 5. 1. Cor. X. 17. XII. 12. seqq. 5. *Exinanitio* Christi, qui coram mundo valde contemtus erat, formam servi assumebat, & dura paupertate se premi patiebatur; Jes. LIII. 3. Phil. II. 7. 2. Cor. VIII. 9. 6. *Præstantia* animæ pauperum quoque & miserorum coram Deo; Luc. XVI. 22. 25. 1. Cor. III. 16. 7. *Ministerium* angelorum, quo & miseri & infimi homines fruuntur; Matth. XVIII. 10. Ebr. I. 14 8. *Inconstantia* fortunæ eorum, qui aliis feliciores & superiores sunt. Luc. XVI. 1. seqq. MISERICORDIA est

affectus triſtitiæ, quæ ex aliorum miſeri ſentitur. Cum ergo triſtitia ex propriæ infe licitatis ſenſu oriri ſoleat, videtur impoſſibi le eſſe, ut alienis calamitatibus excruciemur, Sed ſicuti experientia docet, nos & aliorum miſeriis tangi, & ad triſtitiam moveri, præſertim ſi eos diligamus, aut ſi amicitia & ſanguine nobis conjuncti ſint, cujus ratio hæc eſſe videtur, quod adverſa aliorum fata a nobis non prorſus aliena eſſe cogitemus, aut amicorum & conſanguineorum ſtatum ad nos ipſos pertinere putemus, ita Chriſtiani, Spiritu Dei illuminati & ſanctificati, plures alias cauſas habent, proximi miſeriam & dolores participandi. Nam 1. *proximum* diligunt, ſicut ſe ipſos, ideoque, quod illi accidit, ſibi ipſis evenire putant; 2. *Norunt*, omnes homines a Deo intenſiſſime diligi, cumque ipſi Deum ſuper omnia diligant, non ſine dolore vident, creaturis a Deo tantopere dilectis cum variis miſeriis confligendum eſſe; 3. *Sciunt*, fontem miſeriarum, quibus alii premuntur, in ſe ipſis etiam eſſe, adeoque ſimilem fortunam ſibi quoque metuendam eſſe; 4. *Conſiderant* omnes homines ut ejusdem corporis membra, & hinc ſe ipſos pati putant, dum fratres ſuos pati vident; 5. *Intuentur* exemplum Dei, Luc. VI. 36. & Chriſti, Luc. XIX. 41. Jo. XI. 35. cujus mentem & affectum imitari didi-

didicerunt; 6. *Memores* sunt regulæ Christi: Quod tibi vis fieri, id & aliis feceris; 7. *Inprimis* autem sciunt, ipsum Christum in sanctis suis pati, &, quod his præstatur, vere Christo exhiberi. Matth. XXV. 40. Quemadmodum autem affectus misericordiæ excitandus est, ut nos ad officia miseris exhibenda impellat, & promptiores reddat, ita minime fugienda est miserorum præsentia, doloris & tristitiæ metu, qua nos afficere posset illorum adspectus, sed danda est opera, ut eorum miseriam tollamus, aut saltem mitigemus. Neque id agendum est, ut triste spectaculum removeatur, quod ferre non possumus, sed ex vero amore proximi, & pio studio mandatum Dei servandi. Hinc & frequentior occasio quærenda est, misericordiam nostram exercendi. CHRISTVS OPERA, quibus miseros juvamus, officiis quibuscunque aliis excellentiora esse, haud obscure significat, Matth. XXV. 35. seqq. *tum* quod fides inprimis per charitatem efficax est, Gal. V. 6. hæc autem opera ex singulari charitate proficisci solent, *tum* quod hoc operum genere illi omnium simillimi reddimur. Quod vero & illi juvandi sint, qui ipsi causæ sunt suæ miseriæ, inde patet, quia illorum miseria tanto major est, homini de proximo suo judicare non licet, Luc. XIII. 2. seqq. Jo.

IX. 2. 3. & Deus ipse hunc agendi modum servat. Hos. XI. 8. Unde non recte agunt, qui miseris peccata olim commissa acerbe exprobrant, & justam hanc esse illorum calamitatem verbis durioribus declarant, inprimis, si miser ille homo nos olim læserit, jam vero nostram misericordiam imploret. Quo ipso tamen non improbamus studium, miseros, quos olim graviora peccata commisisse novimus, emendandi, & ad resipiscentiam excitandi. Id saltem volumus, ut id summa cum humanitate & lenitate fiat, absque ulla exprobratione & contemptu. Res enim crudelitatis plena est, afflicto reddere afflictionem. Jac. II. 13.

§. CVIII.

Erga amicos & benefactores.

Qui nos amant, nostri sunt AMICI; & qui ipso opere felicitatem nostram promovere studuerunt, BENEFACTORES. Cum ergo omnes homines, sicut nos ipsos, diligere debeamus, (§. 99.) amicos autem & benefactores amandi singulare adsit motivum, quod respectu aliorum hominum deficit, *illi etiam singulariter a nobis diligendi sunt.* Jam vero amor involvit studium, juvandi & perficiendi eos, quos amamus, faciendi omnia, quæ illis grata & accepta sunt, quantum id sine peccato fieri potest, & su-

& fugiendi ea, quæ illis displicent. Unde & hæc omnia amicis & benefactoribus nostris majori gradu debemus. Inprimis autem considerandæ sunt amoris officia, quæ pro suo erga nos affectu & relatione a nobis expectant, illisque merito præstanda sunt. Atque huc refero

1. *Agnitionem, & si occasio sic ferat, prædicationem amoris & beneficiorum, quibus bene de nobis meriti sunt.* Quamvis enim, si amici & benefactores nostri veri sint Christiani, non ideo nos ament, nec beneficiis ornent, ut a nobis declarationes gratiarum actione plenas audiant, aut coram aliis laudentur, illis tamen placere haud potest, si amoris & sui erga nos studii nulla a nobis habeatur ratio. Accedit, in eo, qui amicitiam & benevolentiam aliorum non agnoscit, aut quem eam fateri pudet, non esse verum amorem, qui amicis & benefactoribus, ut talibus, debetur. Hinc merito agnoscendus est aliorum amor, & commemoranda sunt beneficia nobis exhibita. Rom. XVI. 3. 4. Phil. IV. 10.

2. *Quem amicum & benefactorem semel experti sumus, illius amicitiam & benevolentiam magnifaciamus, nobis conservare & confirmare omni studio enitamur, & quicquid illam impedire posset, removeamus & fugiamus*; 1. Sam. XX. 1. seqq. Prov. XVIII. 24. XXVII. 10. Sir. VI. 14. seqq. XXVII. 20.

3. *Hinc si qua re nos forte offendat, illud non statim in malam partem interpretemur, sed excusemus, condonemus, omnemque suspicionem mali animi abjiciamus*; Sir. XXII. 2. seqq. XXVII. 2.

4. *Neque illi nimis molesti simus impudenter novorum officiorum & beneficiorum exactione, sed illi parcamus, quantum fieri potest, & minime omnium illi irascamur, si quid forte nobis denegaverit*; 2. Cor. VIII. 13. 14.

5. *Ex adverso amicos & benefactores nostros juvemus, quantum possumus, in periculis & calamitate non deseramus, illis & illorum familiæ vel amicis benefaciamus, & si vires desint, pro illis intercedamus apud Deum*; 1. Sam. XIX. 4. 5. XX. 2. seqq. 2. Sam. I. 26. IX. 1.

6. *Et si qua fuerit collisio officiorum erga amicos seu benefactores & alios, magis juvandi sunt amici, quam alii.* Exod. II. 11. 12.

Amor erga benefactorem dicitur GRATUS ANIMUS, cujus oppositum aut simplex est defectus amoris, aut odium erga benefactorem. Exseri solet hoc vitium *tum* omissa gratiarum actione pro acceptis beneficiis, *tum* fuga amicitiæ & conversationis pristinæ, si forte benefactore non amplius opus habeamus, aut illi vires deficiant, nos imposterum juvandi, *tum* desertione & abnegatione ejus, si periculosum videatur, amici causam agere, aut illi aliquo modo

modo conjunctum esse, *tum* odio adversus eum concepto, si quid læsionis ex opinione nostra nobis intulerit, aut non statim omnia desideria, quibus ipsi molesti fuimus, adimpleat, *tum* denegatione auxilii & operum charitatis, quibus ipsi aut familiæ ejus prodesse possemus, *tum* denique actuali læsione, quæ multiplex esse potest, veluti obtrectatio, contemptus, arcanorum nobiscum amice communicatorum siniſtra manifestatio, aut alius amicitiæ abusus. Summum ingratus animus fastigium attigisse videtur, cum adest, studium amicum & benefactorem perdendi, lucri alicujus capiendi causa, aut ut lapsu amici nostram gloriam & felicitatem promoveamus. NIHIL vero turpius esse, ingrato homine, nihil abominabilius, nihilque Deum & homines magis offendere, & communis gentium consensus, & ipsa scriptura docet. Job. XVI. 20. XIX. 14. 21. Ps. XLI. 10. LV. 13. seqq. Prov. III. 28. 29. XIX. 4. Jer IX. 4. 5. Sir. VI. 1. VII. 13. 20. XXII. 25. 26. 28 29. 31. 2. Tim. III. 2. Nec ignotæ sunt hujus turpitudinis causæ. Nam 1. *ipsa natura* hominem impellit ad gratum animum, sic ut & impii homines & ipsi gentiles amicum & benefactorum suum diligant. Matth. V. 46. Luc. XI. 32. 33. 34. Si quis ergo amicum oderit, & beneficia ingrato ani-

mo compenſet, eum ipſam naturam humanam expuliſſe oportet. 2. *Ingratus* nullius officii erga Deum capax eſt. Omnia enim hujus generis officia ad amorem Dei redeunt. (§. 72.) Sed qui amicum non diligit, multo minus Deum amare poteſt, 1. Jo. IV. 20. 3. *Idem* nec ullum officium erga proximum adimplere poteſt. Nam qui amicum & benefactorem non diligit, quomodo alios homines diligere poterit? Et tamen ab amore omnia dependent officia. Matth. XXII. 39. Rom. XIII. 8. 9. 10. Ingratus ergo eſt communis totius humani generis hoſtis, & ſi quid externe fecerit, quod ſpeciem amoris proximi præ ſe ferat, id ex lucri cupiditate aut ad oſtentationem ab eo peractum ſit, neceſſe eſt. 4. *Tota cordis* ingrati diſpoſitio ita eſt comparata, ut nullo honeſto motivo flecti poſſit, ſed potius omnibus vitiis pateat. Ingratus enim incredibili faſtu plenus aut ſe indignum eſſe putat, quod aliis quicquam ſuæ felicitatis debeat, aut ſibi perſuadet, ſui ſolius cauſa omnes alios homines adeſſe, ſibique ex merito inſerviendum eſſe ab aliis. Hinc aut accepta beneficia negat, aut nihili facit, aut ſe optimo jure ea exigere potuiſſe obtendit, ideoque ſe amico aut benefactori nullo modo obſtrictum eſſe putat. Sique ab aliis credatur, quod

huic

huic vel illi gratum animum debeat, non raro enormes & atrociſſimas læſiones cumulat, injuriam ſibi illatam fingit, multisque obtrectationibus & calumniis adverſus amicum inſurgit, & quandoque religionis & conſcientiæ prætextu abutitur, arbitratus, hoc agendi modo meriti ejus opinionem in aliorum animis deleri poſſe. 5. *Ingratum* ſimul turpiſſimum hypocritam, & Judæ ſocium eſſe oportet. Pſ. XLI. 10. Jo. XIII. 21. ſeqq. Act. I. 16. ſeqq. Quamdiu enim amicitia & beneficiis aliorum opus habet, & ipſe amorem, amicitiam, & gratum animum ſimulat, in pectore autem inimicitiam & odium alit. HÆC ingrati animi turpitudo ſimul motiva continet contra hoc vitium. Accedunt vero & aliæ rationes, quales ſunt, 1. *Suſpiria* & lacrymæ eorum, qui fraudem & hypocriſin falſorum amicorum experiuntur; Pſ. LV. 13. ſeqq. XLI. 10. 11. 3. *Comminationes* graviſſimarum pœnarum; Jer. IX. 4. ſeqq. 3. *Juſta* abominatio, quam contra ingratum concipient omnes honeſti viri; Sir. XXII. 32. 4. *Defectus* amicorum, ſi forte illis opus habeat; Sir. XXVII. 17. ſeqq. 5. *Iniquitas* in ipſum Deum, qui beneficia ab amicis collata ipſe nobis exhibet, iisque tantum ut inſtrumento nobis benefaciendi utitur. Sir. VI. 16.

Cum tamen accidere possit, ut a falsis amicis decipiamur, aut beneficiis periculosissimum hostem nobis comparemus, ideoque magna opus sit prudentia, cui & Christianos studere oportet, Matth. X. 16. non inutile erit, regulas admodum necessarias hoc loco subjecisse:

1. *Ipse quidem ex universali amoris lege omnium esto amicus, sed cave, ne credas, quemque & tuum esse amicum, qui amicitiæ speciem præ se fert, ideoque nec cujusvis familiaritate utaris*; Sir. VI. 7.

2. Cum verus & fidelis amicus ingens Dei beneficium sit, & hujus vitæ conditiones postulent, ut hujus generis amicos habeamus, & cum illis familiaritatem colamus, Prov. XVIII. 24. Sir. VI. 14. seqq. XXV. 12. omnibus autem, qui amicitiam simulant, non statim fidendum sit, *necesse est, ut, quos nobis amicos comparare volumus, diligenter exploremus, eorumque consuetudinem & familiaritatem quæramus, qui Deum timent, honestatis studiosi sunt, & integerrimi animi ac amicitiæ non simulatæ specimina ediderunt*; Ps. I. 1. CI. 3. 4. Prov. XVII. 17. Sir. XXXVII. 1.

3. Talem amicum si humanitate, studio, ac beneficiis tibi comparaveris, aut per Dei bonitatem sine tua opera inveneris, *ille tibi pretiosior sit opibus & benevolentia potentiorum, noli eum cum aliis commuta-*

mutare, ejus amorem & amicitiam mereri perge, ipsius infirmitates tolera, tuas autem occulta, familiariter cum eo vivas, sed cave, ne amicitia ejus unquam in inimicitiam convertatur; Sir. VI. 15. IX. 14. 15. XIX. 15. XXXVII. 2.

4. Quia tamen possibile est, ut tuus aliquando fiat inimicus, *noli tua arcana cum eo communicare, quorum manifestatione tibi plurimum nocere posset, nec in amici tui arcana inquire, si vero ipse te illorum fecerit conscium, custodi ea, nec aliis unquam revela*; Sir. VI. 9. 13. Prov. XX. 19. XXV. 9. Sir. XXII. 27. XXVII. 17. 18. 19. 24.

5. *Beneficia omnibus quidem exhibenda sunt, qui illis indigent*, Gal. *VI. 9. 10. nemini autem obtrudenda*, Matth. VIII. 34. IX. 1. *nec cum spe remunerationis aliquando accipiendæ distribuenda*, Luc. VI. 34. 35. *nec imprudenter elocanda, sic ut ipsi ad inopiam redigamur, & nostram sustentationem ab aliorum amicitia expectare necessum habeamus*; Sir. XXXIII. 20. XLI. 30.

6. *Si quid beneficii in alterum contuleris, cave, ne hoc illi unquam exprobres*; Sir. XVIII. 18. XLII. 28. Jac. I. 5.

7. *Cave etiam, quantum potes, ne, quem beneficiis ornasti, tui aliquando fiat laboris & officii socius.* Fieri enim potest,

ut

ut æqualis tibi factus suam utilitatem te impediri credat, ideoque te oderit, contemnat, persequatur, & insidias tibi struat. Et dolor, quem inde senties, omnium erit acerbissimus. Ps. LV. 13. 14. 15.

§. CIX.

Erga inimicos.

Qui nos odit, INIMICVS appellatur. & quia odium est aversatio perfectionum & felicitatis alterius, ille non tantum bonum, quo forte fruimur, nobis invidebit, & malum precabitur, sed etiam, nisi vires nocendi desint, ipse mala nobis inferet. Cum ergo hic inimicorum affectus erga nos aliquid mali sit, & anima, quicquid malum esse judicat, non possit non aversari, hæc autem aversatio odium dicatur, odium adversus inimicos non videtur esse prohibitum. At vero si consideremus, pravum hunc affectum ab ipsis hominibus, quibus inest, distinguendum esse, & simul rationem habeamus universalis illius legis, quæ amorem proximi inculcat, (§. 99.) *facile apparebit, inimicos non odio habendos, sed potius diligendos esse.* Matth. V. 44. Luc. VI. 35. Rom. XII. 20. Ex quo sequitur,

1. *Non licere homini christiano, ullius hominis, ne ipsius quidem inimici, inimicum esse.*

2. Si vero non licet, inimicum odisse, merito abstinendum est ab animo & proposito

posito, illi nocendi, quamvis ipse nos læserit. Mala, quæ alteri propter læsiones nobis illatas rursus inferuntur, VINDICTA appellantur, ad quam qui pronus est, VINDICTÆ CVPIDVS dici solet. *Ergo fugienda est omnis vindicta, & vindictæ cupiditas*, Prov. XX. 22. Rom. XII. 17. 19. 1. Thess. V. 15. 1. Pet. III. 9.

3. Qui omnem inimico nocendi animum abjicere debet, facilis & pronus sit ad condonandum, nec læsiones sibi illatas alteri ad mala reciproce sentienda imputet. Hac animi dispositione qui gaudet, PLACABILIS dicitur. *Ergo & Christianos placabiles & ad condonandum faciles esse oportet.* Matth. V. 24. 25. VI. 14. Luc. VI. 37. XI. 4. XVII. 3. 4. Eph. IV. 32. Col. III. 13.

4. Minime autem sufficit, non nocuisse proximo, qui nos odit, & forte læsit, sed etiam amore prosequendus est. Cum igitur amor studium benefaciendi involvat, & maximum beneficium proximo exhibeatur, si a malis spiritualibus liberetur, quæ æternam mortem inferunt, & quorsum sine dubio odium & inimicitia adversus nos pertinet, *necesse est, ut inimicorum odium in amorem convertamus, eosque nobis reddamus amicos*, Sir. XXII. 27. Prov. XXV. 22. Rom. XII. 20.

5. Hanc ob causam diligenter inquiren-

dæ

dæ & tollendæ ſunt cauſæ odii, quas inimicus habet, aut habere ſibi perſuadet. *Rogandus eſt ergo inimicus, ut eas nobiscum communicet, ſique appareat, nos aliquid contra eum peccaſſe, deprecemur offenſionem, ſi vero odium ejus ſiniſtra perſuaſione nitetur, demonſtremus contrarium, & omnem offenſionis ſpeciem ſollicite fugiamus.* Matth. V. 23. 24. Luc. VII. 3. 4. 1. Sam. XXIV. 9. ſeqq. 1 Theſſ. V. 22.

6. Poteſt autem inimicus noſter non tantum ſpiritualibus ſed etiam corporalibus beneficiis juvari. Cum igitur amor ſit diſpoſitio, ex quacunque proximi perfectione voluptatem capiendi, & hinc eam promovendi & augendi ſtudium involvat, *quisque & terrenæ inimici utilitatis rationem habeat, in quacunque neceſſitate eum juvet, miſerias & afflictiones ejus mitiget, bene illi precetur, & felicitatem illi ex animo gratuletur.* Prov. XXV. 21. Matth. V. 44. Rom. XII. 20. 21.

7. Quia tamen proximus, & hinc quoque inimicus, non magis diligendus eſt, quam quisque ſe ipſum diligere debet, (§. 99.) *ſingula hæc officia ita determinanda ſunt, ut amor ſui ipſius non violetur.*

8. Si ergo acciderit, ut inimicus nos aggrediatur, & læſionem nobis intentet, quam ſine ipſius damno a nobis removere haud poſſumus, *hoc moderamen inculpatæ tutelæ,*

telæ, salvis officiis erga inimicos, adhiberi potest.

9. Sic etiam si injuria nobis facta fuerit, & gravius damnum inde nobis enascereretur, nisi satisfactionem peteremus, *salvo amore proximi, officium judicis implorare licet, ut lædentem ad justam satisfactionem cogat.* Rom. XIII. 4.

INIMICVS non confundendus est cum HOSTE, qui posterior, si solus sit hostis, externa quidem mala infert, sed absque odio. Qui amorem inimici impossibilem esse putant, ipsam inimicitiam ab inimico non distinguunt. Inimicitia semper est aliquid mali, & hinc odio digna; sed non inimicus. Malum, quod in eo recte odimus, ipsi plus nocet, quam nobis. Suam enim ipsius animam perdit, nobis autem tantum ratione corporis, famæ, vel opum nocet, & hoc quidem, quantum a Deo permittitur. Itaque nostra commiseratione dignior est, quam odio. Similis est homini, deliquium animi passo, qui proprio gladio & se & alios jugulare tentat. Et certe ab illis tantum metuendum non est, quantum ab iis, qui blandis verbis & malo exemplo ad varia peccata nos seducunt. Deinde inimicus ex accidente nobis prodest, dum multiplicem occasionem nobis subministrat, nos ipsos explorandi, emendandi,

dandi, & in variis operibus bonis exercendi. Forte etiam cogitat, se a nobis læsum esse. Nec impossibile est, ut aliquando noster amicus fiat, qua mutatione facta multum lucramur, si inimicitias & læsiones ejus amore exceperimus. Sed considerationes istæ tantæ non sunt, ut hominem naturalem ad diligendum inimicum flectere possint. Quodsi autem cor ejus divina gratia dispositum est, ad approbanda & diligenda ea, quæ Deus a nobis approbari & diligi vult, in Evangelio multa invenit motiva, quæ hunc amoris affectum excitare possunt. Nam 1. *intuetur* infinitum Dei amorem, qui tantus erat, ut & filium suum pro nobis, inimicis ipsius, in mortem traderet; Jo. III. 16. Rom. V. 8. 10. 2. *considerat* exemplum Christi, qui pro inimicis suis infinitos dolores sustinebat, & pro illis in cruce deprecabatur; Luc. XXIII. 34. 3. *Norunt*, se esse filios Dei, hujus prærogativæ dignitatem sentiunt, & æquum esse putant, cælestem hunc patrem imitari, qui sua beneficia inter malos non minus quam bonos distribuit; Matth. V. 45. 4. *Sciunt*, & suos inimicos a Deo intensissime diligi, eorumque salutem ab eo desiderari: Cum igitur & ipsi Deum sincero corde diligant, non possunt non eos diligere, qui a Deo tantopere diliguntur; 5. *Cogitant*, inimicos

cos suos non minus a Christo redemtos esse, quam se ipsos, & hinc iniquum esse, eos odio prosequi, pro quibus Christus sanguinem suum effudisset; 6. *Animo suo diligenter* ponderant, se Deum quotidie infinities lædere, nec se peccatorum suorum veniam petere posse, nisi & ipsi inimicis suis condonarent, eosque diligerent; Matth. VI. 12. XVIII. 23. seqq. 7. *Dolent*, hominem a Deo adeo dilectum, & a Christo redemtum, odio & inimicitia adversus proximum suum furere, & hoc ipso beneficio meriti Christi se indignum reddere, qua consideratione non tantum ad misericordiam erga inimicum, sed etiam ad aversationem omnis odii adversus eum moventur; 8. *Nec obliviscuntur*, se propter innumeras Dei & proximi offensiones aliorum amore indignos esse, &, licet solatium inde petant, quod hunc inimicum non lacesserint, sciunt tamen, se alio respectu non prorsus insontes esse; 9. *Denique* ingens illud præmium ante oculos habent, quod promissum est iis, qui facile condonant. Luc. VI. 37. His aliisque motivis Christianorum animus semper magis magisque disponitur, ad offensiones proximo non imputandum, sed potius condonandum, qui MANSVETVDO dicitur; virtus, cui & terrena præmia promissa sunt. Matth. V. 5. Iisdem etiam

cauſis VINDICTA diſſuadetur, quam Chriſtiani eo magis fugiunt, quo certius ſciunt, eam eſſe violationem jurium Dei majeſtaticorum. Ipſe enim eſt ſupremus omnium judex; Gen. XVIII. 25. Pſ. VII. 9. 12. Ipſius igitur eſt, offenſiones & læſiones, quæ ſuis ſubditis inferuntur, ulcifci, Deut. XXXII. 35. Pſ. XCIV. 1. Rom. XII. 19. Ebr. X. 30.

Hæc vero omnia non obſtant, quo minus, qui invaditur ab alio, & periculum vitæ ſubit, eam vi & armis, etiam cum jactura vitæ aggreſſoris, defendere poſſit & debeat. Qui enim interfici, quam invaſori damnum inferre mallet, proximum magis diligeret, quam ſe ipſum, quod tamen eſt contra regulam Chriſti. Matth. XXII. 39. Deinde vita noſtra eſt inſtar depoſiti, a Deo nobis traditi, cujus conſervandæ & defendendæ rationem ipſi, vitæ auctori, aliquando reddituri ſumus. Et ſi proximo injuſte invaſo, & in periculo vitæ verſanti, opem ferre debemus, etiamſi id non ſine invaſoris damno & periculo fieri poſſet, quidni nobis ipſis hoc officiorum genus præſtemus? Lex *de non occidendo altero* hac defenſione non violatur. Non enim nos aggreſſorem occidimus, ſed ipſe ſe interficit, dum nos ad hanc violentam defenſionem cogit. Neque objici poteſt præceptum: *Noli reſiſte-*

re

re malo. Matth. V. 39. Hæc enim regula ex universaliori limitanda & interpretanda est. Deo quidem confidendum est in periculis, sed ita, ne ipsi media naturalia conservationis nostræ negligamus. Et quando vitam nostram pro fratribus ponere jubemur, 1. Jo. III. 16. id de auxilio aliis ferendo, & de graviori officio erga proximum cum neglectu levioris officii erga nos ipsos præstando, intelligi debet. (§. 99. Sch.) Præter hæc in genere tenendum est, omnes istas leges de officiis erga alios *statum regularem* supponere, in quo illorum adimpletio & physice & moraliter nobis est possibilis. Ad impossibilia enim non datur obligatio. (§. 39.) Sed quemadmodum & aggressorem diligere debemus, sicut nos ipsos, ita & moderanda est defensio nostra, ut illi parcamus, quantum fieri potest. Itaque aut fuga nobis consulamus, aut motivis & suasionibus animum ejus placemus, aut vires nocendi frangamus, aut, si lædendus est, minima læsio præferatur, & si in fugam conversus fuerit, non persequamur eum, nisi verendum sit, ne restitutis viribus nos denuo & efficacius aggrediatur.

Læsiones jam illatæ tolerari quidem & condonari debent sine accepta satisfactione. Neque hic provocandum est ad exemplum Dei, qui peccata sine interveniente

satisfactione non remittit, aut ad Matth. VI. 12. Nam in Deo causæ sunt exigendæ satisfactionis, quæ in homines non cadunt, & quæ si in Deo quoque deficerent, ille ex immensa sua bonitate lubentissime absque omni satisfactione condonaret. Et Matth. VI. 12. non modus, sed voluntas & studium remittendi determinatur. Fieri tamen potest, ut, salvo amore inimici, satisfactionem postulare debeamus. Hanc necessitatem adesse puto, cum quis suo munere, quemadmodum oportet, fungi, cum se suosque conservare, aut scandalum læsione datum aboleri non potest, nisi præstetur satisfactio. Nec illicitum est, eam postulare, si læsiones continuo recurrerent, aut majora pericula metuenda forent, nisi aggressorum petulantia satisfactionis impositione coerceretur. Sed cavendum est, ne quis ipse hanc satisfactionem extorqueat, verum potius officium judicis imploret, qui personam Dei refert, illiusque nomine injurias ulciscitur. Rom. XIII. 4.

§. CX.

Erga mortuos. Mortui quidem nulla re a viventibus juvari possunt. Quia tamen non prorsus perierunt, sed animæ illorum vivere pergunt, & corpora aliquando restituentur, con-

considerandi sunt tantum ut absentes, & qui peregre a nobis abierunt. Cum ergo amoris officia non tantum præsentibus, sed etiam absentibus debeamus, (§. 99.) *defuncti quoque diligendi, & certis officiis prosequendi sunt, quantum id illorum status patitur.* Amor autem ita comparatus est, ut objecto amato frui cupiat, ejus præsentiam desideret, & absentiam ægre ferat. Ergo

1. *Et defunctorum mortem doleamus, & tristitiam ex ea capiamus, præsertim, si de nobis & aliis bene meriti fuerint, & eorum vita multum adhuc profutura fuisset.* Gen. L. 1. Deut. XXXIV. 8. 2. Sam. I. 12. Jo. XI. 35. 36. Eccl. VII. 3. 4. 5.

2. Cum tamen beate defuncti in cælestem patriam transferantur, ibidem ineffabili gloria fruantur, & ab omnibus hujus vitæ calamitatibus liberentur, *amor simul postulat, ut tristitiam, quam ex illorum discessu capimus, gaudio de illorum felicitate temperemus, præcipue, si multum miseriarum in hac vita passi fuerint, & majoribus adhuc periculis morte eripiantur.* Jer. XXII. 10. 1. Thess. IV. 13.

3. *Ejusdem amoris effectus est, ut defunctorum sæpe recordemur, eorum memoriam, si meritis & virtutibus ornati fuerunt, cum veneratione renovemus, illorum etiam exemplo in nostram & aliorum ædificationem utamur, &*

quicquid mortuorum honori contrarium esse judicatur, aboleamus. 2.Sam.I.12.seqq. Matth. XXVI.7. seqq. XXVII. 57. seqq. Marc.XVI. 1. Ebr. XIII. 7.

4. Et quia nunquam aut rariſſime certo conſtat, quænam animæ morientis fuerit conditio, amor autem optimum ſemper præſumit, *merito abſtinendum eſt a temerario judicio de mortuorum damnatione.* 1.Cor. IV. 5.

5. Cum amor nos obliget ad facienda ea, quæ alteri grata & accepta ſunt, & quæ a nobis fieri cupit, *noſtri quoque eſt officii, ea fideliter præſtare & adimplere, quæ moriturus poſt mortem ſuam a nobis ſe peragi velle declaraverit, niſi rei impoſſibilitas aut aliud officium gravius obſtet.* Jer. XXXV. 6. seqq. Gal. III. 15.

Quatenus his officiis noſtram fidem immortalitatis animæ, reſurrectionis mortuorum, & noſtræ cum illis redunitionis teſtamur, novum ea adimplendi motivum accedit. Non impoſſibile eſt, ut amicorum mortem ſimul doleamus, & de illorum translatione gaudeamus. Prius eſt humanitatis, poſterius fidei officium. Et quamquam fides humanitatis ſenſum non improbat, eum tamen temperat & moderatur. Licet itaque triſtitiam in pectore alere, licet illacrymare morte mariti, conjugis, paren-

rentum, liberorum, amicorum, & hoc quidem ad mensuram amoris, meritorum, & beneficiorum a defuncto acceptorum. Sed non licet se totum tradere planctibus & mœrori. Nam nec defunctus in totum periit, &, si periisset, magis tamen in justo Dei judicio acquiescendum, quam nimio dolore illud accusandum foret. Nec nos, mortuo amico, perituri sumus, cum Deus omnium hominum curam gerat, & ipso defuncto tantum hactenus usus sit, tanquam medio, quo sua nobiscum beneficia communicavit. Ad officia mortuis exhibenda referri etiam solet CVRA HONESTÆ SEPVLTVRÆ, quæ quidem ad proximos agnatos & hæredes pertinet, illis autem deficientibus aut impeditis, ad quemcunque alium. Tob. I. 20. 21. Matth. XXVII. 57. Sepultura in se quidem non est officium, quod mortuis immediate præstatur. His enim perinde esse potest, sive in superficie sive in visceribus terræ corruptionem patiantur. Magis hac re inservitur viventibus, quibus adspectus cadaveris humani multiplex tædium pareret, aut morbi aliaque damna inferrentur, si humana corpora in libero aëre putrescerent. Postquam autem mos sepeliendi mortuos ab antiquissimis temporibus invaluit, in officium humanitatis abiit, & homines credere cœperunt, defectum ho-

neſtæ ſepulturæ magnam indignitatem & contemptum involvere, ex qua cauſa etiam flagitioſis hominibus ea denegari ſolet. Et hæc ratio eſt, cur mortuos ſepelire neceſſarium amoris & humanitatis officium eſſe credatur. Cæterum pro mortuis non eſt orandum, neque in eorum commodum miſſæ & vigiliæ celebrandæ,&c. Hæc enim omnia ſuperſtitionem pontificiam de purgatorio & aliis rebus ſupponunt. Sic etiam mortui nec invocandi nec adorandi ſunt. Ut enim taceam, hunc cultum eſſe ſpeciem idololatriæ, (§. 71. 86. 87.) mortui nec preces noſtras audiunt, nec cultum, qui illis defertur, norunt. Jeſ. LXIII. 16. Si in beatas ſedes translati ſint, ipſi cum ſanctis angelis Deum adorant & celebrant, eumque ſolum a viventibus adorari & invocari volunt. Et quemadmodum angeli ſe adorari nolunt, Apoc. XXII. 9. ita & defunctos ſanctos pari modo ſentire certum eſt.

§. CXI.

Erga angelos.

ANGELI ſunt aliquod ſpirituum perfectiorum genus, quod Deus ad ſingulare ſuum miniſterium, quo in omnibus univerſi partibus fungendum eſſet, creavit. Qui in bono perſeverarunt, nunc quidem cæleſti gloria fruuntur, nihilo tamen minus

nus nobis multiplici ratione ministrant, nostramque utilitatem & salutem promovent. Ebr. I. 14. Nam & Dei voluntatem resque arcanas hominibus sæpe manifestarunt, Jud. XIII. 3. seqq. Dan. IX. 21. seqq. X. 11. seqq. Luc. I. 13. 26. Matth. I. 20. II. 13. & diabolorum machinationibus & insidiis se fortiter objiciunt, Dan. X. 13. 20. Jud. v. 9. & pios custodiunt, Ps. XXXIV. 8. XCI. 11. 12. & ab impiis Dei contemptoribus vindictam sumunt, Gen. XIX. 1. 13. 2. Reg. XIX. 35. & de conversione peccatorum exultant, Luc. XV. 10. & Christum aliquando ad judicium comitabuntur, impios a piis separaturi, eosque coram tribunali magni illius judicis constituturi. Matth. XIII. 41. XVI. 27. XXV. 31. 1. Thess. IV. 16. Quamvis ergo nulla lex in sacris literis extet, quæ officia erga angelos immediate præcipiat, tamen, cum in his angelorum affectionibus & ministeriis varia motiva contineantur, aliquid intuitu angelorum faciendi vel omittendi, omne autem motivum cum actione connexum obligationem constituat, quæ eo gravior est, quo gravius est motivum, & quo clarius illud nobis manifestatum est, (§. 35.) *negari haud potest, dari officia erga angelos.* Ut vero ea recte cognoscantur, inquirendum est, quidnam illud sit, ad quod agendum

dum angelorum consideratione moveri possimus. Quando igitur cogito,

1. Angelos esse spiritus animabus nostris longe perfectiores, potentiores, & sanctiores, Deum summa devotione & humilitate colere, & voluntatem ejus perfectissima obedientia perficere, magnam mihi rationem adesse video, *eos in magno honore habendi, virtutes illorum deprædicandi, & tam præclarum exemplum imitandi.* Ps. CIII. 20. 21. Jos. V. 14. Jes. VI. 2. 3.

2. Et quia angeli nostra conversione & salute delectantur, ideoque nos ex toto corde diligunt, Luc. XV. 10. nos custodiunt, Ps. XXXIV. 8. nostram salutem promovent, Ebr. I. 14. & a Deo intensissime diliguntur, cujus dilectos amicos & ministros ut & nos diligamus, æquum est, *hi spiritus sine dubio a nobis quoque diligendi sunt,* Matth. XVIII. 10.

3. Angeli sæpe nobiscum versantur, & non tantum custodes, sed etiam testes nostrarum actionum sunt, licet a nobis non videantur. 2. Reg. VI. 16. 17. Cum ergo, qui non omnem pudoris sensum excusserunt, in conspectu honestorum hominum a flagitiis abstinere soleant, angeli autem tanquam sanctissimi spiritus, omne malum aversentur, *hoc quoque illis debemus, ut eorum intuitu a peccatis nobis caveamus.*

4. Denique cum angelorum ministe-

rium

rium, quo & nihil tale opinantes fruimur, singulare Dei sit beneficium, angelis autem nihil magis curæ sit, quam ut Deus per ipsos celebretur, & ex ipsorum ministerio omnis honor in Deum redundet, *hoc quoque officium huc referri potest, ut Deo pro custodia & ministerio angelorum gratias agamus, eumque celebremus.*

Officia erga angelos ad officia erga alios seu proximum referre, nullus dubito, ideoque ea universali lege Matth. XXII. 39. contineri statuo. Honor angelis deferendus minime sit cultus religiosus, *tum* quoniam tunc esset species idololatriæ, (§. 71.) *tum* quia ipsi solum Deum adorant, nos vero illorum exemplum sequi debemus, *tum* denique quia ipsi adorari nolunt, & quidem ex hac ratione, quia ipsi nostri conservi essent. Apoc. XXII. 9. Imo ne quidem invocandi sunt. Non enim certo constat, quisnam illorum, & num hoc vel illo tempore nobis adsit. Nam quamvis Deus angelos quandoque ad nos mittat, minime tamen credendum est, hunc vel illum angelum nobis datum esse perpetuum comitem, patronum, & protectorem. Itaque honorandi sunt, 1. considerando illorum perfectionem & summam felicitatem; 2. desiderando illorum consortium & communionem; 3. virtutes illorum tanquam

quam imitationis exemplum nobis & aliis proponendo; 4. illorum etiam prærogativas agnoscendo, eosque propterea magnificiendo. Officia erga diabolum, ut a nonnullis dicuntur, potius sunt officia erga Deum & nos ipsos contra diabolum. Consistunt enim in vigilantia, qua nobis ab ipsius insidiis cavemus, & in perpetua pugna adversus ejus machinationes & opera. Sed de his alibi commodior erit docendi occasio.

§. CXII.

Erga bruta & res inanimatas.

Bruta & res inanimatæ a Deo creatæ sunt in certum finem, & ad nos aliquam habent relationem. Est ergo Dei voluntas, ut iis quoque huic fini conformiter utamur. At vero sola divinæ voluntatis declaratio jam infert fortissimam obligationem. (§. 36.) *Ergo & dantur officia erga bruta & res inanimatas.* (§. 38.) Quæ si quis accuratius cognoscere velit, finem a Deo intentum, cum hoc rerum genus crearet, ante oculos habeat. Atque tunc facile inveniet,

1. *Brutis rebusque inanimatis ita utendum esse, ut ex iis summam Dei majestatem agnoscamus, eamque per harum rerum usum manifestemus.* Nam in hunc finem totus mundus creatus est. Rom. I. 21. Et hæc Numi-

Numinis cognitio & glorificatio summo etiam legum naturalium principio inculcatur. (§. 17.)

2. Homines ad vitæ suæ conservationem opus habent cibo & potu. Huic autem fini multæ res inservire possunt, quas terra generat & alit. Cum igitur Dei sit voluntas, ut vitam nostram mediis naturalibus conservemus, (§. 93.) & ipsius providentia cuncta sic disponantur, ut harum rerum copia nunquam desit, *homo rebus omnibus ad suam conservationem fruatur, quæ alimentorum habent vim & rationem.* Gen. I. 29. IX. 2. 3. Rom. XIV. 2. 3. 1. Cor. VIII. 8. X. 25.

3. Post lapsum nobis quidem impositus est durus labor. Gen. III. 19. Quia vero Deus in nostris calamitatibus nullum habet beneplacitum, licet omnino, onus nobis impositum facilius reddere. *Hinc & rebus omnibus, quibus possumus, ad vitam commodius transigendam utamur.* Gen. XXXI. 17. Luc. X. 34.

4. Bruta, licet ratione careant, vitam tamen & sensationes habent, quarum aliæ voluptatem aliæ tædium & dolores pariunt, illisque ad vitam conservandam varii terræ fructus destinati sunt. Gen. I. 30. Cum ergo bruta voluntati divinæ convenienter tractanda sint, *quisque animalibus, quæ in ipsius sunt potestate necessarium pabulum submini-*

miniſtret, nec ea ſine neceſſitate affligat, multo minus occidat. Deut. XXV. 4. Matth. VI. 26. Prov. XII. 10.

Hæc officia intuitu brutorum rerumque inanimatarum quidem exercentur, rectius tamen officia erga Deum & nos ipſos dici debent. Animantium carnem recte a nobis edi, manifeſtum eſt. Poteſt enim ex iis cibus humanæ naturæ conformis præparari. Brutorum, quæ edi ſolent, longe major & tanta eſt ſemperque fuit copia, ut, niſi comederentur, terra illis alendis non ſufficeret, ipſa hominibus neceſſaria alimenta præriperent, & ſine ulla utilitate tandem perirent. Accedit mandatum Dei, Gen. IX. 3. & denique lex ceremonialis, quæ diſponebat, quibus veſci liceret animalibus & quibus non liceret. Atque hoc cibi genus jam ante diluvium hominibus conceſſum fuiſſe, tum ex dominio in bruta primis hominibus tradito, Gen. I. 26. 28. tum ex grege Abelis, Gen. IV. 2. 4. tum denique ex defectu interdicti colligo. Abuſus creaturarum committitur, quando ad fines a Deo non intentos a nobis adhibentur. Id quidem non raro ex ſimplici ignorantia fieri poteſt. Quis enim cujusvis rei peculiarem finem novit? Certo autem rebus a Deo creatis abutimur, cum noſtræ voluptati, petulantiæ, & ambitioni inſervire debent, cum

cum bruta crudeliter affligimus & excruciamus, cum ea occidimus, licet nec noceant nec prosint nobis, cum res nobis aut proximo utiles ex mera petulantia perdimus, cum præsertim eas, quas divina bonitas ad vitæ nostræ conservationem nobis porrigit, contemnimus, & corrumpimus. Hic rerum abusus, cui omnia fere subjecta sunt hominum vanitate & malitia, Deo tantopere displicet, ut & ex hac ratione præsentem rerum faciem immutare decreverit. Rom. VIII. 19. seqq.

CAPVT IV.

DE

OFFICIIS CHRISTIANORVM IN STATV OECONOMICO.

§. CXIII.

Societates & status inde dependentes.

Ea nunc est mortalium conditio, ut nisi a se invicem mutuo juventur, illis pereundum, aut miserrime vivendum esset. Et quanquam ad auxilium aliis, qui eo indigent, sponte ferendum quisque legibus Christianorum obligetur, (§. 99.) hoc tamen negotium facilius ac felicius procedit, si nonnulli ad communem finem conjunctis viribus consequendum singulari & arctiori vinculo uniantur. Hoc vinculum

culum & ipſe nexus quispiam naturalis & ſpontaneum pactum eſſe poteſt, quo poſteriore nonnunquam eo magis opus eſſe conſtat, cum ſine eo nonnulla officia ab aliis nec peti nec expectari poſſint. At vero omnis unio plurium perſonarum ad communem finem conjunctis viribus conſequendum inita dicitur SOCIETAS. Quare cum ſocietates in primo legum naturalium principio ſuum fundamentum habeant, (§. 17.) leges vero naturæ nullis poſitivis abrogari poſſint, (§. 18.) quin potius Deus, felicitatis noſtræ valde cupidus, omnia approbet & velit, quibus ea vere promoveri queat, manifeſtum eſt, *non eſſe contra voluntatem Dei, ſed illi potius quam maxime convenire, ut Chriſtiani in varias ſocietates coaleſcant.* Quemadmodum autem hæc Dei voluntas ex fine ſocietatis cognoſcitur,

1. *Ita non omnes, ſed illæ duntaxat ſocietates, Deo placent, quarum finem approbat, quique aut immediata nominis divini glorificatio, aut ipſa hominum felicitas, ſpiritualis vel temporalis, eſt.* (§. 17.)

2. Cum ad hunc duplicem finem omnes hominum actiones tendere debeant, (§. 17.) fieri autem poſſit, ut extra ſocietatem aut plane non, aut minus plene obtineatur, *ſimul adeſt obligatio, hujus generis ſocietates ingrediendi.*

3. Ex-

3. Existentibus iis homines societate uniti novas relationes tum ad se invicem tum ad communem finem nanciscuntur, quæ STATVM ejus SOCIALEM constituunt. In hoc autem statu simul ratio variorum OFFICIORVM continetur, quæ HYPOTHETICORVM nomine venire solent. Nam leges sunt propositiones universaliores, quæ actionum ad aliquod genus pertinentium moralitatem determinant. (§. 15.) Status vero socialis multas actiones, alias non necessarias, aut non possibiles, monstrat, quæ ad aliquod genus lege definitum pertinent. Inde conclusiones specialiores eliciuntur, quæ pariter rationem legum habent. (§. 17. num. 2.) Cum igitur omnis actio lege determinata officium sit, (§. 38.) dubio caret, quin a sociali statu nova dependeant officia.

4. Ipsæ vero societates in SIMPLICES & COMPOSITAS dispesci possunt. Illæ ex singulis personis, hæ ex integris societatibus aliis componuntur. Sic & pro fundamento habent aut ipsius naturæ conditionem, aut pactum spontaneum. Inde oriuntur societates NATVRALES & ARBITRARIÆ. Denique vel ad temporalem vel ad spiritualem &æternam hominum felicitatem tendunt. Hinc societates dantur SECVLARES & SPIRITVALES.

5. Fieri potest, ut officia ad diversas il-

las ſocietates pertinentia ſimul præſtari nequeant. Hac exiſtente officiorum colliſione cum illud præferri debeat, cujus adimplendi majora & fortiora adſunt motiva, (§. 39.) ſocialia vero officia ex neceſſitate & gravitate finis ſocietatis æſtimanda veniant, patet, *illud officiorum genus præferendum eſt, quod ſocietas magis neceſſaria & graviorem habens finem ſibi vindicat.*

6. Simpliciſſimæ & magis neceſſariæ ſocietates ſine dubio ſunt CONIVGALIS & PATERNA, ad quam plerumque accedere ſolet HERILIS. Quæ ſi omnes, aut nonnullæ tantum uniantur, oritur ſocietas compoſita, quam FAMILIAM dicimus. Status autem, qui inde naſcitur, eſt OECONOMICVS. Et officia, quæ huc pertinent, jam perſtringenda erunt.

Vitam ſocialem a Deo approbari, & ex parte etiam præcipi, patet tum ex divina quarundam ſocietatum inſtitutione, Gen. I. 27. 28. II. 22. 23. 24. Act. XVII. 26. tum ex legibus ad conſervandas ſocietates latis, Rom. XIII. 1. ſeqq. tum ex natura regni Chriſti ſpiritualis, quod politias humanas, in legibus naturæ fundatas, non tollit, Jo. XVIII. 36. tum denique ex mandato divino, ut quisque in eo ſtatu perſeveret, in quo ad ſacra Chriſtianorum vocatur, 1. Cor. VII. 20. Itaque minus recte agunt, qui

qui *vitam solitariam* sibi eligunt. Quamquam enim fieri potest, ut quis circumstantiarum ratione ab humana societate aliquamdiu separetur, aut hanc illamve societatem ingredi prohibeatur, nemo tamen aut ex opinione majoris perfectionis, quæ vitæ solitariæ forsan inesse creditur, aut ex alia quacunque causa solitudini & separationi perpetuæ sese devoveat. Qui vero societatem ingredi secum constituit, ante omnia exploret, num finis societatis Deo placeat, num sibi vires sufficiant ad officia in hoc statu adimplenda, numque consultius sit, nexum socialem contrahere, an vero id in aliud tempus differre. Gravitas finium in societate consequendorum æstimanda est 1. ex relatione finis ad gloriam Dei & hominum salutem, 2. ex relatione ipsius societatis ad alias societates, quatenus una alteram supponit, & sine ea existere non potest, 3. ex amplitudine & extensione finium.

§. CXIV.

MATRIMONIVM seu CONIVGIVM est societas hominum diversi sexus, ad procreandam & educandam sobolem inita. Dicitur etiam SOCIETAS CONIVGALIS. De qua Matrimonium.

1. *Tenendum, educationem liberorum nun-*

quam ſeparari poſſe ab illorum procreatione. Cum enim homines recens nati aliorum ſuſtentatione, cura, & inſtitutione opus habeant, eaque deficiente aut ſtatim rurſus perirent, aut obbruteſcerent, omnique felicitate, ad quam homo creatus eſt, carerent, ille, qui liberos procreare, ſed non educare vellet, numerum creaturarum ratione præditarum augeret quidem, ſed ſimul in miſerrimum & infeliciſſimum ſtatum transponeret, & gloriam Dei, quæ per eas manifeſtari potuiſſet, impediret. At vero id prima & præcipua officiorum tum erga Deum tum erga proximum principia vetant. (§. 69. 99.) Ergo qui liberos procreare intendit, eos ſimul educet neceſſe eſt. 2. Cor. XII. 14. 1. Tim. V. 8. Eph. VI. 4. Tit. II. 4.

2. Cum itaque educatio ſobolis procreationem ſupponat, ab ea vero ſeparari non debeat, *finis matrimonii primarius & maxime principalis procreatio & educatio liberorum.*

3. Quia vero *mutuum adjutorium* huic fini non repugnat, verum potius educationem ſobolis multum juvat & promovet, *illud quoque ad fines matrimonii, quamquam ſecundarios, referri poteſt.* Gen. II. 18. Eccl. IV. 9.

4. Procreatione & educatione liberorum numerus eorum augetur, qui Deum cele-

celebrare, gloriam ejus illustrare, & alios homines juvare possunt. Cumque Deus præterea mox ab initio homines diversi sexus creaverit, cujus ratio & finis nihil aliud esse potest, quam procreatio liberorum, a qua educatio nunquam est separanda, cum porro ipse voluerit, ut primi homines suum genus propagarent, atque ideo hunc statum sua benedictione sanctificaverit, Gen. I. 27. 28. II. 21. 22. 23. cum & legibus officia conjugum definiverit, Exod. XX. 14. Deut. V. 18. Matth. XIX. 4. seqq. Eph. V. 22. seqq. itemque parentum & liberorum officia erga se invicem præscripserit, Exod. XX. 12. Matth. XV. 4. Eph. VI. 1. seqq. & pietatem parentum beneficiis in liberos conferendis compensare promiserit, Exod. XX. 6. denique liberi singulare Dei donum esse prædicentur, Ps. CXXVII. 3. *nemo dubitare potest, quin matrimonium sit status Deo acceptus.*

5. Imo vero hic status non tantum Deo placet, sed etiam, cum ab ipso Deo institutus & amplissima promissione ornatus sit, Gen. I. 27. 28. II. 18. seqq. sine eo mortalium genus brevi tempore interiret, & in eo solo multa officia a Deo præcepta adimplendi occasio subministratur, quæ ad gloriam Dei illustrandam & hominum felicitatem promovendam multum faciunt, *quisque ad matrimonium ineundum obligatur*

gatur, nisi rei impossibilitas, necessaria ad hunc statum requisita, aut alia legitima causa desint.

6. *Hinc male agunt, qui se ipsos aut alios matrimonio interdicunt.* Dan. XI. 37. Rom. I. 27. 1. Tim. IV. 3.

Etiamsi nullum extaret mandatum, liberos suos alendi & educandi, tamen cum in parentibus sit στοργὴ, h. e. naturalis amor erga prolem, cum illis jura in liberos competant, quæ alios impediunt, quo minus eorum curam in se devolvere possint, cumque nemo omnium liberorum, qui nascuntur, sed nonnullorum duntaxat curam gerere possit, ideoque opus sit singulari vocatione, ad hos non alios educandos, hæc autem vocatio ex sola divinæ providentiæ dispositione, ut hi liberi hos habeant parentes, cognosci possit, satis patet, ad eos, qui liberos procreant, simul pertinere eorum curam & educationem. QVI A MATRIMONIO ABSTINENT, licet necessariis ad illud contrahendum requisitis non careant, aut molestias cum matrimonio connexas subire nolunt, aut majorem cælibatui & virginitati perfectionem inesse credunt, aut se voto quodam edito impediri putant. Molestiarum formidine qui matrimonio cælibatum præfert, nullo modo excusari potest. Nam nemo sibi ipsi soli vivit

vivit, sed potius aliis, 1. Cor. X. 24. 33. Phil. II. 4. & matrimonium a Deo institutum est, nobisque multiplicem occasionem offert, Deo & proximo inserviendi. Hunc ergo statum qui fugit, ne quid incommodi sibi sentiendum sit, certe se magis amat, quam Deum & proximum. Cælibatu autem singularem vitæ sanctimoniam majoremque perfectionem contineri, falsa est persuasio. In se enim est abstinentia a societate, quam ipse Deus approbavit, instituit, & sanctificavit; a societate, qua humanum genus conservatur, & regnum Christi amplificatur; & a multis gravissimis officiis, quibus Deus colitur, respublica juvatur, multisque hominibus inservitur. Nec objici potest, conjuges stimulo & desiderio concumbendi indulgere, cælibes autem ab hac re prorsus abstinere. Primum enim sicuti concubitus in se res mala non est, ita nec stimulus aut desiderium concumbendi in se quicquam mali esse poterit. Nimia tantum & præposteра hujus rei concupiscentia vitio laborat. Secundo qui stimulum concumbendi non sequitur, aut sentit eum, aut non sentit. Si non sentit, continentia, de qua gloriatur, nihil virtutis nihilque laudis habet. Si vero sentit, hæc ipsa concupiscentia, quæ libidinosos affectus continuo excitat, nisi restinguatur, jam est mala, Matth. V.

28. XV. 19. & tunc melius esse, docet nos Apostolus, matrimonium contrahere, quam abstinere. 1. Cor. VII. 2. 9. Sunt, qui putant, rebus œconomicis qui distracti sunt, Deum non posse colere, quemadmodum oporteret. Nec diffiteor, dari homines, qui nimio rerum terrenarum & œconomicarum cura se abstrahi patiuntur a cultu divino. Luc. XIV. 18. 19. 20. Sed potest in his rebus modus teneri, sic ut homo negotiorum domesticorum rationem habeat, & Deum tamen colere non negligat. Quod si fecerit, ipsa rerum œconomicarum cura Deum colit. Deus enim non solis officiis, quæ ipsum pro immediato objecto habent, sed & officiis erga nos ipsos & proximum coli vult. Hinc & qui solo Dei cultu, ut dicitur, immediato occupatur, & negligit officia erga se & alios, Deum vere non ita colit, quemadmodum oportet. Accidit tamen, ut accessoriæ & transitoriæ circumstantiæ matrimonium quandoque reddant difficilius & periculosius. Id si evenerit, illis, qui dono continentiæ non carent, ipse cælibatum aut virginitatem suaderem. Sin vero hoc dono destituti fuerint, omnes difficultates & pericula contemnant, & matrimonium contrahant, ne continuis tentationibus vexentur. Atque sic, puto, intelligenda esse verba Christi, Matth. XIX. 11. 12.

11. 12. & Apostoli. 1. Cor. VII. 1-9. 25. seqq. Voti forsitan emissi obligationem qui timet, ille sciat, ab eo in se spectato nullam pendere obligationem, sed tantum obligandi vim habere, si actioni Deo promissæ nihil mali inesse videatur, sed potius bona esse præsumi possit. (§. 37.) Quod si ad cælibatum voto confirmatum applicemus, constat ex antecedentibus, matrimonium in se & absolute non esse præceptum omnibus, sed quandoque intervenientibus circumstantiis quibusdam dissuaderi posse. Constat vero etiam, illud respectu eorum non amplius esse indifferens, qui desiderio alterius sexus & stimulo concumbendi vexantur. Qui ergo cælibatum voverunt, nec se tentationibus obnoxios esse sentiunt, in cælibatu perseverent. Sed qui internis concupiscentiis urgentur & consumuntur, sciant, se nulla voti obligatione teneri. Sic etiam voti vinculum rumpendum esse statuo, si quis cælibatum ex falsa & superstitiosa opinione aut singularis sanctitatis præsumtione voverit. Votum enim in re indifferente, aut quæ talis esse videtur, omnem obligationem ex reverentia erga Deum trahit. Cæterum multo magis peccant, qui sacerdotibus matrimonium prohibent, & a nonnullis irrevocabile perpetui cælibatus votum exigunt. Hi enim 1. Conscientias legibus

constringunt, quas scriptura ignorat; 2. Homines jure suo naturali privant; 3. Aut ipsum matrimonium damnant, aut, contra scripturam, iniquum esse dictitant, sacerdotes uxorem ducere; 4. Aut ecclesiam idoneis ministris carere cogunt, aut sacerdotes impuris libidinum flammis excruciari patiuntur, variisque impuritatum peccatis latam portam aperiunt; 5. Denique doctrinam tradunt, quam scriptura diabolicam vocat. 1. Tim. IV. 1, 3.

§. CXV.

Castitas. Sine consuetudine cum altero sexu liberi procreari nequeunt. Cum ergo Deus ipse matrimonium instituerit, cujus finis primarius est procreatio liberorum, (§. 114.) & consuetudo illa sine dubio recte & licite appeti potest. Sed nec impossibile est, ut & ex illegitimo fine appetatur. Quare cum Deus homines diversi sexus ab initio creaverit, ut genus suum propagarent, suosque liberos in ipsius honorem educarent, (§. 114.) ipsius etiam voluntas est, ut conjunctio cum altero sexu ex hoc fine desideretur. Habitus autem, desiderium alterius sexus ita temperandi, ut legitimi finis consideratione dirigatur, CASTITAS appellari solet. *Ergo & Christiani castitati studendum est.* 2. Cor. VI. 6. Gal. V. 22.

22. Phil. IV. 8. 1. Tim. IV. 12. V. 2. 22. Tit. I. 8. II. 5. 12. 1. Pet. III. 2. Jac. III. 7. Si quis igitur

1. Stimulum cum altero sexu congrediendi in se sentiat, nec graviora & legitima matrimonii contrahendi impedimenta adsint, *hoc stimulo utatur ad matrimonium appetendum & ineundum.* 1. Cor. VII. 2. 9.

2. Sin vero occasio contrahendi matrimonii desit, aut necessaria ad hunc statum requisita deficiant, aut denique ingentia damna & pericula ex præcipitato conjugio metuenda sint, *det operam, ut affectum suum coërceat, donec oportunum tempus & commodior occasio societatem conjugalem ingrediendi adsit.*

3. Nunquam autem consuetudini cum altero sexu solius voluptatis causa indulgeat. Quod turpitudinum genus qui exercet, FORNICARI dicitur. *Hinc ratio constat, cur quisque sibi a fornicatione cavere debeat.* Deut. XXIII. 17. 1. Cor. VI. 9. 10. Gal. V. 19. Eph. V. 3. 1. Thess. IV. 3. 4. Ebr. XIII. 4.

4. Quemadmodum vero non tam corpore quam anima peccatur, (§. 44.) ideoque ille adulterium jam commisisse dicitur, qui alienam mulierem tantum desiderat, Matth. V. 28. ita & idem de fornicatione sentiri debet. *Quapropter a Christiano alienum sit, hanc voluptatem carnalem*

sine

sive ordine ad finem legitimum concupiscere, colloquiis impudicis actionibusque libidinosis delectari, loca adire, ubi istæ impuritates exercentur, aut aliam quamcunque speciem præ se ferre, ac si in illis haberet beneplacitum. Tit. II. 12. Rom. XIII. 13. 2. Pet. II. 18. Eph. V. 4. 5. 7. Sir. XXIII. 5. XXVI. 12. 13.

5. *Multo magis fugiendi sunt actus libidinosi, qui ordinem naturæ invertunt.* Lev. XVIII. 23. Rom. I. 26. 27.

Sicuti castitas non satis commendari potest, ita de opposito vitio, & dum impugnamus illud, caute loquendum est, ne castæ aures offendantur, aut pravæ aliorum impuritates irritentur. Sufficit ergo observasse, CASTITATEM, quæ & CONTINENTIA in sensu strictiori dicitur, tam in conjugio quam in cælibatu servandam ac tuendam esse, & in utroque statu violari posse. Unde falsum est, cælibatum in se esse continentiam, & a conjugibus fornicationem committi haud posse. Ipsum fornicationis vitium, quod perpetrandi habitualis dispositio LASCIVIA appellari solet, grande peccatum esse oportet. 1. Cor. VI. 10. Eph. V. 5. Ebr. XIII. 4. Nec difficile est intellectu, cur tam severe in hoc vitium Deus animadvertere velit. Nam 1. *Deus* homines diversi sexus creavit, & illorum consuetudinem destinavit ad procreationem

nem sobolis, minime vero ad percipiendas & excitandas voluptates carnales, unde, qui fornicatur, suo corpore contra fines Dei pessime abutitur; 2. *Homines* non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus sanctos esse oportet, h. e. separatos ab omni usu illegitimo, & ad cultum Dei tam immediatum quam mediatum destinatos. Rom. VI. 13. 19. Usus autem corporis & membrorum ejus ad voluptates sensuales excitandas & alendas sine dubio est illegitimus. Ergo & ex capite sanctitatis, cui studere debemus, fugienda est scortatio. 1. Thess. IV. 3. 5. Et quoniam hoc peccatorum genere sanctitas illa corporis omnium maxime violatur, illud & impuritas κατ' ἐξοχὴν, Marc. VII. 21. 23. Eph. V. 3. Col. III. 5. & peccatum in proprium corpus dicitur. 1. Cor. VI. 18. 3. *Corpora* nostra membra corporis Christi spiritualis esse, & ad sanctissimam ejus voluntatem moveri debent. At qui fornicatur, & suas & scorti concupiscentias perficit, suaque membra illius servituti mancipat. 1. Cor. VI. 15. 4. *Nec minus* corpus nostrum est templum Spiritus S., ideoque impuritatibus carnis maculari non debet. 1. Cor. III. 16. 17. VI. 19. 5. *Magno* præterea pretio redemti sumus, ut anima & corpore Deo serviremus. Quantus itaque pretiosissimi sanguinis Christi contemtus

temtus foret, si corpus nostrum ad sanctitatem redemtum turpissima libidine perderemus! 1. Cor. VI. 20. 2. Cor. V. 15. Tit. II. 11. 12. 6. *Scriptura* fornicationem & idololatriam sæpe conjungit, 1 Cor. VI. 9. X. 7. 8. & hoc ipso significat, tum fornicatione diabolo serviri, eamque singularem cultum idololatricum esse, quem gentiles exercuissent, tum fornicatione viam sterni ad apertam idololatriam crassiorem, aliasque falsas & superstitiosas religiones, cujus rei multa extant exempla. Num. XXV. 1. 2. 1. Reg. XI. 1. seqq. 7. *Res periculi plena* est, fornicationi indulgere. Prov. XXII. 14. Maxima enim & irreparabilia damna inde nascuntur, Prov. V. 3. seqq. VII. 7. seqq. XXIII. 27. 28. XXIX. 3. veluti mollities animi, morbi, contemptus, jactura bonæ famæ, facultatum dilapidatio, dependentia ab impuris & vitiosis concupiscentiis turpissimæ mulierculæ, Zelotypia, iurgia, &c. 8. *Deus* impuris scortatoribus & scortis gravissimas pœnas minatur, quæ & in hac vita nonnunquam luendæ sunt. Num. XXV. 1. seqq. coll. 1. Cor. X. 8. 2. Sam. XIII. XV. 9. *Et ex adverso* castitas maximopere laudatur, magnisque præmiis ornatur. Gen. XXXIX. 7. seqq. coll. Gen. XLI. 40. seqq. STIMVLVS ille, qui per naturam inest, olim rectam habebat relationem, &

impe-

imperio rationis & facultatis appetitivæ superioris subjectus erat. Sed dominium hoc, introducto peccato, excussit, jamque hominem, posthabito fine suo, ad excitandas & percipiendas voluptates sensuales impellit. Et hic impetus eo fit vehementior, quo facilius & sæpius homines eo se moveri patiuntur, nullo opposito remedio. Qui ergo in hanc servitutem redigi non vult, ille 1. *Principiis* obstet. Nam carnale hoc desiderium quo sæpius recurrit, & cum oblectatione sentitur, eo majores acquirit vires, hominemque longe impotentiorem reddit, quam ut illi resistere possit; 2. *Motiva*, quæ recitavimus, animo diligenter volvat, sibique reddat familiaria, ut tempore tentationis in promptu sint; 3. *Fugiat* occasionem, qua desiderium hoc excitari, aut voluptas illa sentiri potest; Job. XXXI. 1. 2. Sam. XI. 2. sqq. Matth. V. 29. 30. 4. *Temperantiæ* in cibo & potu studeat, & mentis suæ semper compos sit; 5. *Fugiat* malum consortium, impura colloquia, gestus, & habitus, quibus cupiditates carnales irritari solent, & sic *pudicitiæ* studeat; 6. *Petat* a Deo cor purum & spiritum castum; Ps. LI. 12. 7. *Denique* tentationes nimias matrimonio legitime contracto temperet. 1. Cor. VII. 2. 9. Quamvis enim matrimonium minime institutum sit, ut homines impuris cupiditatibus

tatibus eo liberius indulgere possint, & minus recte agat, qui propter desideria carnis, quibus urgetur, matrimonium contrahit, minus tamen malum præfert majori, & scriptura hoc casu infirmioribus, qui vehementiores impetus sentiunt, matrimonium suadet, ut isti stimuli ad legitimum finem dirigantur.

§. CXVI.

Monogamia.

Cum matrimonium sit societas, cujus finis primarius est procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) per se patet, *eos tantum hanc societatem ingredi posse, qui apti sunt ad sobolem procreandam & educandam.* Sed quæritur, num ex duabus tantum personis, an vero pluribus constare possit? Societas conjugalis, cujus membra sunt personæ duabus plures, dicitur POLYGAMIA, & in POLYANDRIAM & POLYGYNIAM dispescitur, quæ posterior polygamia κατ' ἐξοχήν vocari solet. Polyandria est, cum una fœmina pluribus viris simul nubit; Polygynia autem, cum unus vir multas uxores simul ducit. Ex his polygamiæ speciebus

1. *Polyandria simplititer est prohibita & illicita.* Cum enim finis matrimonii sit procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) fœmina autem non plures parere possit libe-

liberos, si plures, quam si unum tantum habeat maritum, polyandria non ex legitimo matrimonii fine iniri potest, sed tantum alendis & exsatiandis cupiditatibus lascivæ mulieris inservit, ideoque est verissima fornicatio. (§. 115.) Accedit, ex mente Christi adulterium ab eo committi, qui fœminam a marito dimissam ducit. Matth. V. 32. XIX. 9. Quanto magis adulterii reus esse debet, qui cum uxore a marito non dimissa congreditur! Taceo innumera mala & incommoda, quæ cum hoc genere matrimonii connexa sunt.

2. *Sed nec minus polygynia est illicita.* Nam

a) Cum Deus conjugium instituerit, primo homini unam tantum uxorem dedit. Gen. I. 27. Hoc ipso autem omnes primorum parentum liberos docere voluit, monogamiam longe perfectius matrimonium esse polygamia, primumque illud matrimonium ab ipso institutum exemplum esse, quod omnes imitari oporteat.

b) Christus Matth. XIX. 9. divortium vetat, & adulterium committi, ait, si quis, dimissa priore conjuge, alteram ducat. Hujus rei rationem redditurus provocat ad primum matrimonium, quod ex uno marito & una uxore constabat. v. 4. Si vero conjugem dimittere, & aliam duce-

re ideo non licet, quia primum matrimonium erat monogamia, sine dubio voluntas Dei est, ut quilibet una uxore contentus sit.

c) Quando Apostolus iterata vice urget, Episcopum unius conjugis maritum esse oportere, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. minime statuit, polygamiam aliis permissam esse, sed potius vitia significat, quibus carere debet, qui ad munus sacerdotale admitti vult. Itaque polygamia non minus, quam intemperantia, ebrietas, &c. inter vitia ponitur, a quibus omnes Christianos liberos esse oporteret, & quæ si in aliis forte tolerentur, in sacerdote minime toleranda sunt.

Infantibus, qui ad maturam ætatem nondum pervenerunt, matrimonium permitti non debet. Idem sentiendum est de mente captis, aliisque ad matrimonium vitio naturæ aut alia quacunque ex causa ineptis. Senio autem confecti, licet ob virium defectum liberos procreare nequeant, tamen, cum mutuum adjutorium intendant, quod ab ipso Deo approbatur, Gen. II. 18. nec libidinis causa coire velint, societate conjugali interdici haud possunt. POLYANDRIA, res turpissima, & inter gentes inaudita, ex utraque parte vitio laborat. Lasciva mulier se totam libidini tradit. Et ma-

mares, qui cum ea congrediuntur, illius cupiditatibus tantum inserviunt. Incerta redditur proles, educatio negligitur, inimicitiæ, zelotypia, & cædes aluntur, multisque aliis damnis tum in œconomico tum in civili statu fertilissima est. Contra MONOGYNIAM autem varia opponi possunt. Nam & fini matrimonii non repugnare videtur, & Deus eam in populo suo toleravit. Quin & primis Christianis licitum fuit, plures habere uxores. Lex enim, ne πολύγαμος admittatur ad sacerdotium, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. supponit, fuisse inter primos Christianos, qui pluribus uxoribus juncti fuerunt. Sed ad primum respondeo, minime omnia licere, quæ finem matrimonii non absolute impediunt. Alias enim & adulterium non foret prohibitum. Scilicet potest Deus societatem ab ipso institutam certis legibus limitare, quæ rationem suam in moralitate objectiva actionis præceptæ vel prohibitæ habent, licet ea nobis non semper constet. Et forte non adeo difficile foret, eam invenire. Res enim ipsa testatur, polygamiam non tam procreationis & educationis liberorum, quam voluptatis causa iniri. Est etiam illa plurium discordiarum & inimicitiarum mater, quibus & educatio liberorum & officia conjugalia maximopere impediuntur. Et præter hæc omnia

sexus muliebris masculinum triplo, quadruplo, quintuplo, & pluries superare deberet, si licitum foret, plures ducere uxores. Hoc enim respectu paria essent omnium jura. Deus autem cuncta sic sapienter disposuit, ut sexus alter alterum aut plene aut pæne exæquet. Quod Deus in populo suo polygamiam toleraverit, ut ex Deut. XXI. 15. videre licet, sine dubio factum est, ut malum minus præferatur majori. Nec obscure id discimus ex verbis Christi. Matth. XIX. 8. Divinam autem approbationem qui inde colligeret, non recte ratiocinaretur. Qui exemplum Patriarcharum aliorumque sanctorum hominum objiciunt, illis opponere possemus exemplum primi conjugii, aliorumque sanctorum, qui erant monogami. Deinde vero nec Patres isti omnium infirmitatum expertes erant, quas Deus toleravit, non approbavit. Aut si unquam approbasset polygamiam, singulares certe & gravissimas causas, aut etiam officiorum collisionem adfuisse oportet, quæ effecissent, ut lex de monogamia ad hunc casum extendi haud potuerit. Inter Christianos primos polygamos fuisse, non nego. Sed uxores suas duxerant in gentilismo. Hinc ad fœdera christianorum conversi ex lege Christi de divortio eas dimittere non poterant. Quia tamen Deus simul vetuit, ne bigamus

mus munere sacerdotali fungeretur, hoc ipso satis declaravit, displicere sibi polygamiam.

§. CXVII.

Quod §. 115. de fornicatione diximus, satis docet, id omne vetitum esse ipsa naturæ lege, quicquid turpitudinem fornicationis minuit, & peccatum hoc committendi occasionem & periculum auget. Sed nihil efficacius hoc malum operatur, quam liberior & familiarior conversatio utriusque sexus & cujuscunque ætatis hominum, præsertim si quocunque tempore sine testibus & sine violatæ honestatis opinione permittatur. Ex quo sequitur, aut plane tollendas esse illas conversationes, aut, si prohiberi nequeunt, non concedendas esse ejusmodi hominum nuptias, ne hoc prætextu ad alendas libidines, excusandas tentationes, & seductiones vel exercendas vel admittendas abutantur, sed potius graviori motivo contra hæc pericula armentur. At vero libera & familiaris conversatio hominum ejusdem familiæ aliorumque agnatorum prohiberi & impediri nequit. *Ergo matrimonia quorundam agnatorum propiorum merito pro illicitis habentur.* Non sine causa dixi, id tantum de *quorundam agnatorum* matrimoniis vale-

Nuptiæ prohibitæ.

re. Scimus enim, totum genus humanum ex communi sanguine ortum esse, & ad communem stirpem vel propius vel remotius pertinere. Unde si omnibus agnatis, etiam remotioribus, prohibitum foret, vinculo conjugali uniri, nullæ prorsus nuptiæ celebrari possent. Cum vero non facile definiri possit, quousque extendendum sit hoc interdictum, ipse Deus Lev. XVIII. 6-18. lege sua determinavit, quænam sint istæ personæ, quarum matrimonia permitti nolit. Lex ista multis difficultatibus laborare nonnullis visa est, ideoque multas disputationes, nondum compositas, peperit. Quare necesse est, ut justis interpretationibus & observationibus illustretur. Teneamus ergo,

1. *Legem istam mosaicam, de prohibito quorundam matrimonio, ad omnes homines pertinere.* Nam

a) Constat, rationem hujus legis non ex singulari populi israelitici conditione, sed ex periculosis consectariis hujus generis matrimoniorum, quæ apud omnes gentes metuenda sunt, & ex ipsorummet matrimoniorum moralitate relativa petitam esse.

b) Deus ipse testatur Lev. XVIII. 24. 25. hæc matrimonia contrahendo pollutas esse gentes, quas nunc delere decrevisset, pollutam esse terram, quam purgare vellet, & hinc

& hinc piaculum esse, aliquid harum abominationum perpetrare. Severam hanc declarationem non tantum crimina v. 19-23. enumerata, sed simul matrimonia v. 6-18. prohibita respicere, ex loco parallelo Lev. XX. 22. 23. si cum immediate præcedentibus conferatur, satis patet.

c) Cum quis in Ecclesia Corinthiaca matrimonium iniisset, quod Lev. XVIII. 8. prohibitum est, Apostolus id vehementer improbabat, eumque in Ecclesia tolerari nolebat. 1. Cor. V. 1. seqq. Pari vero ratione & reliquorum prohibitionem ad omnes homines pertinere, credendum est.

2. Cum ergo certum sit, matrimonia, quæ Moses Lev. XVIII. 6. seqq. recenset, divina lege prohibita esse, quæ omnes populos, maxime vero Christianos obligat, per se patet, *hæc matrimonia ab hominibus permitti haud posse, ideoque legem istam prorsus indispensabilem esse.* (§. 18.)

3. *Sed non debet extendi ad matrimonia illarum personarum, quæ a Mose non nominantur, licet æquali gradu cognatæ esse videantur.* Nam

a) Lex, qua matrimonia ex capite propinquitatis vel affinitatis prohibentur, suos limites habere debet. Cum vero isti & latius extendi, & arctius constringi possint, & ratio ignoret, ubi subsistendum sit,

in verbo Dei autem leges de matrimoniis ex hac causa prohibendis extent, illæ etiam ut certissima & sufficiens revelatio considerari debent, quinam isti sint, quorum matrimonia propinquitatis vinculo impediantur.

b) Deus primum v. 6. legem generalem proponit, de non congrediendo cum propinqua sua, quam Moses ex more apud Judæos recepto *carnem carnis suæ* vocat. Quo facto inferiora sub hoc genere contenta v. 7. seqq. recenset. Quando autem sapientissimus legislator legem generaliorem ad specialiora applicat, quæ a ratione ignorantur, & ex idea generis determinari nequeunt, utique omnia inferiora recensuisse merito putandus est.

c) Matrimonium cum fratria prohibetur, Lev. XVIII. 16. cum uxoris sorore autem permittitur. v. 18. Cum utrinque æqualis sit propinquitatis gradus, a personis denominatis ad non nominatas non licet argumentari, licet ejusdem sint propinquitatis.

d) Uterque casus ejusdem propinquitatis expresse nominatur, ubi tamen minor erat difficultas & incertitudo, ab uno casu ad alterum argumentandi. v. 9. 10. 12. 13. Cum ergo ex alio propinquitatis genere unus casus prohibetur, & alterius nulla fit mentio, ubi tamen identitas casus oppo-

oppositi non adeo evidens est, (ut v. 12. 13. 14.) hunc quoque posteriorem prohibitum non esse; haud immerito judicamus.

4. Quia vero ratio legis est, ne concessa propinquorum matrimonia fornicationi inserviant, aut formidinem turpitudinis, quæ libidinosis congressibus inest, minuant, vel forte penitus excutiant, in nonnullis autem Rebusp. hoc malum metuendum est, si conjugia propinquorum promiscue permittantur, quæ in lege mosaica non expressa sunt, *magistratus politicus hujus quoque generis matrimonia prohibere potest, ita tamen, ut existente causa graviore contra hanc legem dispenset.*

5. Cæterum cohabitatio istarum personarum, quarum matrimonia Deus ex capite propinquitatis prohibuit, dicitur INCESTVS.

Hanc moralitatis nuptiarum prohibitarum rationem, quam hoc loco reddidi, uberius exposui in sing. Disp. *de Gradibus prohibitis secundum jus Naturæ* Jenæ 1743. habita. Nec parum in hac opinione confirmatus sum, lectis recentioribus scriptis doctissimorum virorum, qui in eandem sententiam ingressi sunt. Quoniam vero ratio turpitudinis ejusmodi matrimoniorum non in eorum natura absolute spectata,

ta, sed tantum in relatione ad periculosa consectaria, quæ introducto peccato & aucto humano genere metuenda sunt, nisi provetitis & non concedendis habeantur, contenta est, nuptiis liberorum Adami aut aliis quibuscunque primorum temporum harum legum universalitas & inviolabilitas infringi haud potest. Scilicet cum leges naturæ duplicis sint generis, aliæ, quæ actionem absolute & sua ipsius natura bonam vel malam præcipiunt vel prohibent, aliæ vero, quæ actionum moralitatem ab externis relationibus & circumstantiis dependentem determinant, atque leges de nuptiis prohibitis ad posterius genus pertineant, Deus matrimonium his legibus alias contrarium aut ex rei necessitate, aut ut majus malum evitetur, aut quia hoc casu interdicti rationem non adesse intelligebat, permittere poterat. (§. 18. Sch.) Ex hac causa etiam volebat, ut Israelita fratriam duceret, fratre nimirum sine prole mortuo, Deut. XXV. 5. seqq. licet matrimonium hoc extra hunc casum prohibitum fuerit. Lev. XVIII. 16. XX. 21. Minime autem sequitur, ideo & nobis hoc genus matrimonii licitum esse, accedente magistratus dispensatione. Primum enim Deus a lege universali de non ducenda fratria tunc saltem discedendum esse significat, si frater sine liberis mortuus fuerit;

secundo

secundo hoc casu matrimonium illud non tantum permittit, sed simul præcipit, cujus ratio ex natura Reip. Israeliticæ repetenda est; Tertio ipse solus novit, quando circumstantiæ existant, quæ exceptionem patiantur. Si quis ex ista exceptione concludere vellet, legem de non ducenda fratria solis Iudæis latam esse, ideoque Christianos non obligare, cum certe idem & de reliquis legibus sentire oporteret. Omnes enim sub eadem lege generali & in eadem serie traduntur. Nec valet exceptio, quasdam earum esse leges naturæ inviolabiles, quæ ex ipsa ratione satis demonstrari possent, alias vero tantum arbitrarias, & hinc non universalis obligationis. Ut enim taceam, ex hoc principio secuturum esse, eas tantum leges a Deo latas nos obligari, quarum ratio certa & evidens a priori constaret, sufficit, hoc loco monuisse, rationem nuptiarum prohibitarum, quæ a priori reddi potest, adeo generalem esse, ut ex ea quidem constet, matrimonia propinquorum illicita esse, minime vero, quousque extendi possit illorum prohibitio. Cum ergo ipse sapientissimus legislator hujus limites definiverit, nobis non licet eos intervertere. Ille ipse forte intellexit, aliquando non iniquum fore, ut hujus generis matrimonium alicui permitteretur. Quia vero omnibus permitten-

mittendum esset, si uni permitteretur, nisi ipse voluntatem suam semper immediate declarare vellet, horum autem matrimoniorum promiscua concessio magnum damnum humano generi haud dubie illaturum foret, sapientiæ ejus convenientissimum videbatur, illa universaliter prohiberi.

Qui leges mosaicas ad gradus extendunt, plerumque hoc argumento utuntur, quod utrinque eadem sit legis ratio. Neque ego diffiteor, ubi est eadem legis ratio, ibi & eandem legem supponendam esse. Sed tunc saltem eandem adesse legis rationem, quando casus non prohibitus cum prohibito perfecte idem est. Ad id vero non tantum idem propinquitatis gradus, sed & eadem personarum conditio & relatio requiritur. Sic ex. gr. Lev. XVIII, 14. matrimonium cum patrui uxore prohibetur. Inde colligo, & matrimonium cum avunculi uxore illicitum esse, licet id non expresse prohibeatur. Si quis vero defunctæ uxoris fratris vel sororis filiam ducere vellet, idem quidem est propinquitatis gradus, sed non eadem personarum relatio, & hinc quoque casus non perfecte idem. Diversitatem rationis nos quidem non perspicimus; Potuit tamen legislator causam habere non levem, ejusdem propinquitatis unum casum prohibendi, & alterum

rum permittendi. Quod cum ex defectu interdicti merito præsumatur, Deus hanc præsumtionem & incertitudinem sine dubio sustulisset, si & matrimonia personarum non nominatarum improbasset. Quia vero conscientiæ ratio habenda est, (§. 49.) ille, qui metuit, leges mosaicas ex intentione Dei forte & ad gradus extendendas esse, licet contraria opinio probabilior ipsi videatur, ab hoc matrimoniorum genere merito abstineat. (§. 51. num. 4.)

§. CXVIII.

Sponsalia.

Medium illud, quo matrimonium contrahitur, sunt SPONSALIA. Quamvis enim quisque certo modo obligetur, ut matrimonium ineat, si nulla præsto sint impedimenta, (§. 114.) in tanta tamen hominum utriusque sexus multitudine nemo cogi potest, ut præcise cum hac vel illa persona vinculo conjugali se uniri patiatur. Hinc si societatem conjugalem ingredi debent, necesse est, utriusque partis adsit consensus. Qui cum dicatur pactum, hoc autem, si matrimonium contrahendum pro fine habeat, sponsalia constituat, dubitari haud potest, quin ea sint fundamentum matrimonii. Gen. XXIV. 58. 1. Sam. XVIII. 20. seqq. Luc. I. 27. Quemadmodum autem omne pactum est promissum

missum acceptatum ab altero, & quicquid promittitur, sub variis conditionibus promitti vel acceptari potest, ita &

1. *Sponsalia variis conditionibus limitari & restringi possunt*, 1. Sam. XVIII. 25. *quæ propterea in* PVRA & CONDITIONATA *dispesci solent.*

2. Cum tamen sponsalia sint pactum de ineundo matrimonio, & hujus finis primarius ac essentialis sit procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) *ea concipi nequeunt absque reciproco promisso, liberos procreandi & educandi.*

3. Ne vero cogitemus, reliquas hujus pacti conditiones a paciscentium arbitrio prorsus dependere, animadvertendum est, matrimonium ab ipso Deo institutum, certisque legibus circumscriptum esse. (§. 114. num. 4.) *Hinc nulla sponsalia pro legitimis habenda sunt, quæ legibus matrimonialibus a Deo latis repugnant.* Gen. XX. 2. 3. 4. Matth. XIV. 4.

4. Inprimis Deus tum fornicationem tum polygamiam prohibuit. (§. 115. 116. *Ergo præcipua & vere essentialis pars sponsalium est, ut quælibet conjugum pars fidem reciprocam det alteri, seque nulli alii sui copiam facturum esse promittat.*

5. Celebratis sponsalibus percussum est pactum de ineundo matrimonio. Cum ergo pacta sancte servari debeant, (§. 104. num.

num. 4.) *Sponsalia quoque sequatur matrimonii consummatio.*

6. Fieri potest, ut quis cum pluribus personis sponsalia successive celebraverit. Cum igitur plures uxores simul ducere nequeat, (§. 116.) eam, quacum prius de ineundo matrimonio pactus fuerat, jure suo ad matrimonii consummationem privaret, & hinc læderet, si sponsalibus posterioribus satisfacere vellet. At vero nemo lædendus est. (§. 99.) *Ergo sponsalia posteriora sunt illegitima, iisque semper præferri debent priora.*

Sponsalibus non tantum de capite rei, h. e. de contrahendo matrimonio convenitur, sed etiam, cum mutuum adjutorium illius sit finis secundarius, (§. 114. num. 3.) hujus conditiones, quin & jura & dignitas tam conjugis quam liberorum procreandorum definiri possunt, unde oriuntur MATRIMONIA AD MORGANATICAM, cum concubinatu aut fornicatione non confundenda. Celebratis sponsalibus nihil restat, quam MATRIMONII CONSVMMATIO, quæ & NATVRALIS & ARBITRARIA esse potest. Illa est ipsa COPVLA CARNALIS, qua nexus conjugalis vere inchoatur; Hæc autem consistit in PVBLICA DECLARATIONE, lege civili præscripta, has personas matrimonium nunc inire, & ab

ab hoc tempore pro legitimis conjugibus habendas esse. In civitatibus christianis hæc ceremonia *copula* & *benedictione sacerdotali* peragitur. Cumque hæc constitutio ad bonum ordinem & conservandam honestatem multum faciat, hujus autem generis leges civiles divinis confirmentur, (§. 29.) copula carnalis, quæ sacerdotalem præcederet, sine dubio iniqua foret, & pro fornicatione merito haberetur. Ut autem sponsalia sequi possit matrimonii consummatio, 1. *Illa oportet esse legitima*, quorsum pertinet, ut legibus divinis non sint contraria, ut nemo per ea lædatur, ut paciscentes sui sint juris; 2. *Quicquid & ratione accidentalium recte promissum est, adimpleatur.* Sub hac enim conditione de matrimonio contrahendo conventum est. Deficiente autem conditionis adimpletione, altera pars non potest cogi ad servandum pactum.

§. CXIX.

Officia conjugum generaliora,

Simulac personæ, quæ fidem sibi invicem dederunt, societatem conjugalem ingrediuntur, quælibet pars alteri præstet officia, tum ex fine matrimonii, tum ex sponsalium conditione, tum denique ex legibus a Deo immediate latis determinanda. Ergo

1. De-

1. *Debitum conjugale sibi invicem præstent*; (§. 114.) 1. Cor. VII. 3. 4. 5. Gen. I. 28.

2. *Liberos procreatos conjunctis viribus educent*; (§. 114.)

3. *Maximo amore se invicem amplectantur*; Eph. V. 28. 29. Col. III. 19.

4. *Abstineant ab omnibus læsionibus*; (§. 99. num. 2.)

5. *Inprimis fidem sibi datam servent, nemini corporis sui copiam faciant, & hinc abstineant ab adulterio*; (§. 118. num. 4.) Exod. XX. 14. Ebr. XIII. 4.

6. *Et quicquid præterea promissum est, sancte servetur.*

Cum matrimonium minime institutum sit ad explendas libidines venereas, neutra pars alteram cogere potest, ut sibi ad voluptates carnales percipiendas, & hinc ad fornicationem inserviat, quamquam nec facile altera alteri debitum conjugale denegare debeat, ne pars tentata in graviora mala ruat. 1. Cor. VII. 2. seqq. Amor conjugalis omnium maximus esse debet, tum quia conjuges sunt una caro, Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. 1. Cor. VI. 16. Eph. V. 31. tum quia altera pars alterius fortunæ perpetua est socia, eamque participat, tum quia hic amor talis esse debet, qualis est Christi erga Ecclesiam. Eph. V. 25. Vi hujus amoris maritus uxori, & uxor ma-

rito omnia ea officia præstare debet, quæ ex amore præstanda sunt proximo, & quidem longe majori gradu, sic ut in collisione officia erga conjugem semper præferantur, ne officiis quidem erga parentes exceptis. Gen. II. 24. Ex arctissima illa conjunctione summa oritur familiaritas, ut quicquid conjuges ad privatum vel commune societatis bonum aut damnum facere putant, sibi invicem significent, & consilia secum communicent, nec arcanorum domesticorum conscios faciant alios. Adulterium fugiendum est, tum quia est acerbissima læsio partis alterius, & contra fidem datam pugnat, tum quia amor conjugalis transfertur in scortum, & cum eo unio initur, debito, amori, & unioni conjugali contraria, 1. Cor. VI. 16. tum quia Deus hanc turpitudinem severe prohibuit, Exod. XX. 14. Gal. V. 19. Ebr. XIII. 4. tum quia adulterium est fornicatio aucta. (§. 115.) Unde ingens peccatum maneret, etiamsi altera pars in illud consentiret, & consensus ille partem consentientem alieni peccati reum redderet. (§. 64.)

§. CXX.

Officia uxoris specialia.

Inprimis autem VXOR

1. *Subjecta sit marito, ut capiti & superiori suo, a Deo constituto.* Gen. III. 16. Eph. V. 22. 23. 24. Col. III. 18. 1. Pet. III. 1. 2.

2. Cumque illi, cui imperium in nos traditum est, reverentia debeatur, *maritum quoque debito honore prosequatur*; 1. Pet. III. 6.

3. Quicunque vero alterum diligit, & simul honorat, ille & operam dabit, ut illius amorem reciprocum, propensionem, & æstimationem sibi concilier. *Hinc & uxores mansuetudini, humanitati, officiositati, & obedientiæ erga maritos studebunt, suas infirmitates semper magis magisque emendabunt, & id omne peragere allaborabunt, quod maritis placere norunt*;

4. Ex hoc ipso amore & reverentia erga maritum porro sequitur, *ut eum nunquam deserant, sed fata adversa, si forte ipsi eveniant, mitigent & participent*;

5. Et quoniam uxorum quoque est, educationi liberorum suam curam & vires impendere, *si quid habent opum, illius usum in communem familiæ utilitatem concedant marito, quæ ille suo labore acquirit, bene collocent, & rem domesticam prudenter administrent.* Prov. XXXI. 10. seqq.

Introducto peccato æquum erat, ut uxor marito subjiceretur. Gen. III. 6. 1. Tim. II. 12. 14. Ipsa enim, cum aliquando sola esset, suumque arbitrium sequeretur, tentationibus succumbebat, & deinde marito persuadebat, ut in idem delictum con-

sentiret. Accedunt impedimenta a natura matrimonii dependentia, quæ non permittunt, ut uxor rei familiaris curam semper gerat. Sed sine dubio & in ipso integritatis statu aliqua subordinatio extitisset. Nam omnis societas ita comparata est, ut melius ipsi consulatur, si ab uno capite dependeat, quam si a pluribus independenter gubernetur. Hinc & hujus subjectionis nonnullæ rationes redduntur, quæ & in statu integritatis adfuissent. 1. Cor. XI. 8. 9. Sed magna est differentia inter subjectionem in statu integritatis & lapsus. Peccato non existente utraque pars conjugum sapientiam sibi concreatam sequuta, & si forte opinionum contradictio orta fuisset sponte cessisset uxor. In statu peccati vero etiam invita parere debet marito. Caterum ad hæc officia, quæ marito debentur, uxores non tantum obligat lex Dei, & amor conjugalis, sed etiam propria ipsarum utilitas. Maxima enim uxorum & totius familiæ utilitas in eo consistit, ut a marito suo diligantur, & æstimentur. Hoc autem mariti studium nulla re magis & certius sibi comparant, quam eo vitæ genere, quo illarum officia contineri ostendimus. Multum quoque illarum interest, ut marito fideliter adhæreant, & cuncta illi prospere cedant. Nam extra mariti societa-

tem

tem nulla est vera felicitas, quæ illis contingere posset. Itaque suæ utilitatis & felicitatis causa sibi caveant ab inobedientia, a contemptu mariti, a morositate, prodigalitate, rei domesticæ neglectu, &c.

§. CXXI.

MARITVS e contrario, cum ipsi ex ordinatione divina imperium in uxorem concessum sit, (§. 120.) Officia mariti specialia.

1. *Non patiatur, illud sibi eripi*; 1. Tim. II. 12.

2. Ut vero hoc munere imperandi recte fungi possit, & reverentia ac obsequio dignus videatur, *summo studio discat, quomodo societas conjugalis & universa familia, cujus caput est, recte gubernetur, & in omnibus rebus circumspecte & prudenter agat*; Eph. V. 23. 1. Pet. III. 7.

3. *Cum hoc imperio tenerrimum amorem conjungat, & nunquam obliviscatur, uxorem propriam suam carnem esse*; Eph. V. 25. 28. 29. Col. III. 19.

4. *Propter hanc arctissimam unionem nec illam prorsus a participatione imperii in familiam excludat, sua consilia cum illa communicet, nec quid ipsi videatur, si commodum fuerit, spernat*; 1. Pet. III. 7.

5. Et quoniam imperium marito non traditum est, ut ipsi tantum inserviretur,

sed ut communis felicitas societatis conjugalis & totius familiæ eo melius promoveatur, ac imperium illud in uxorem amore conjugali temperari & dirigi debet, *ad mariti officia porro pertinet, infirmitates conjugis tolerare, eam de rebus necessariis monere ac instituere præsertim vero ad pietatem & vitæ sanctimoniam hortari, &, ubi opus fuerit, eam cum mansuetudine & prudentia emendare*; 1. Cor. XIV. 35. 1. Pet. III. 7.

6. Denique cum nemini imperium in alios competat, nisi simul illorum curam gerere teneatur, & præterea maritus uxorem diligere debeat tanquam propriam suam carnem, *ipse etiam uxori de victu & amictu prospiciat, in quacunque necessitate eam fideliter juvet, adversus vim & injuriam defendat, & illius commodum non minus sibi commendatum habeat, ac suum proprium.* Eph. V. 25-29.

Pactum igitur, quo futurus maritus suo imperio nuncium mitteret, aut illud in uxorem devolveret, injustum foret, & ipso facto nullum. Distinguendum tamen est imperium *conjugale* a *civili*. Quorum prius sicuti semper penes maritum esse debet, ita non impossibile est, ut posterius ab uxore exerceatur. Cæterum motiva his omnibus officiis satisfaciendi, non tantum ex natura imperii & amoris conjugalis,

lis, sed & ex unione Christi cum ecclesia petenda sunt, quam ipse imaginem societatis conjugalis esse voluit. Eph. V. 25.

§. CXXII.

Triplex est medium, quo societas pacto seu mutuo consensu composita rursus dissolvi potest, nimirum impossibilitas, communem societatis finem consequendi, læsio, quæ contra pactum ab una parte alteri infertur, & denique mutuus dissensus. Cum igitur & matrimonium mutuo consensu contrahatur, (§. 118.) his quoque tribus modis illud iterum tolli posse videtur. Et Divortium

1. Impossibilitatem alicujus membri quod attinet, finem societatis conjugalis, h. e. procreationem & educationem liberorum, promovendi, ea duplex esse potest, *sponte* scilicet & *citra culpam* contracta. Posterius si accederit, justum quidem videtur esse divortium. Nam existente impossibilitate finis consequendi cessat societas ad hunc finem inita. Quia vero conjuges vinculo conjugali varia jura & emolumenta legitime acquirunt, (§. 119. 120. 121.) atque illis injuste privarentur, si nulla in eos culpa caderet, *sola impossibilitas sponte aut propria culpa contracta ad hoc genus causarum divortii pertinet.*

2. Hæc autem impossibilitas sine dubio adest, cum una pars alteram malitiose deserit, nec auctoritate magistratus aut aliis mediis ad societatem conjugalem reduci potest. *Unde & malitiosa ista desertio respectu personæ desertæ est legitima divortii causa.* 1. Cor. VII. 5.

3. Læsiones, quibus pacti conditiones violantur, alias partem læsam ab obligatione liberare solent. Quilibet enim, qui cum altero paciscitur, se sua promissa sub conditione servaturum esse promittit, si & alter promissum suum adimpleturus sit. At quia ex lege Christi inimicis condonari debent offensiones, (§. 109.) & inprimis uxori & marito, qui se invicem ut propriam carnem tenerrimo amore amplecti obligantur, (§. 119.) ac præterea, si propter quamcunque læsionem permissa esset conjugum separatio, quotidiana metuenda forent divortia, quin hac ipsa divortii spe læsiones conjugum in infinitum augerentur, quod primarium matrimonii finem, liberorum educationem, maximopere impediret, (§. 114.) *Christus sapientissime constituit, ne quis propter ullam læsionem uxorem suam dimittat, solo excepto adulterio.* Matth. V. 32. XIX. 9.

4. Mutuo pariter dissensu matrimonium dissolvi posse videtur. Sicuti enim mutuo consensu contractum erat, ita eo per

per mutuum dissensum rursus sublato ipsum videri posset cessare matrimonium. At vero libertas dissentiendi lege divina conjugibus ademta est. Christus enim dicens, adulterium committere, qui uxorem dimittit extra casum adulterii, Matth. XIX. 9. hoc ipso significat, se nolle, ut conjuges pro arbitrio vinculum suum rumpant, quando ipsis placuerit. *Hinc spontaneum illud divortium, in quod utraque pars consentit, illegitimum est, adeoque non permittendum.*

5. Divortio legitime facto, qui olim erant conjuges, jam non amplius existunt in matrimonio. Cum igitur quilibet jure gaudeat, matrimonium contrahendi, nisi rei impossibilitas, aut alia legitima causa obstet, (§. 114.) tale vero impedimentum non sit pristinum conjugium, quod jam dissolutum est, *permittendum est personis separatis, ut ad alias nuptias, si velint, transeant.* Deut. XXIV. 1. seqq. Matth. V. 32. XIX. 9.

Si personæ jam ante matrimonium ineptæ fuerint, aut sponsalia sint illegitima, legibus divinis contraria, aut cum læsione tertii connexa, matrimonium, quod contrahitur, ipso facto nullum est, & sine difficultate dissolvi potest. Idem sentio, si fraude aut errore invincibili circa personam

nam, deceptus fuerit, quam sibi vitæ & thori sociam dari nunquam passus fuisset, si, quæ esset, rectius constitisset. Sed si contracto & consummato matrimonio uni conjugum sine culpa propria aliquid acciderit, quo finis matrimonii aut in totum aut ex parte impossibilis reddatur, uxor propterea non est expellenda, nec maritus deserendus. Matrimonium enim erat legitimum, & hinc quoque jura legitime acquisita. Illis ergo si quis personam innocentem propter casum fortunæ privare vellet, injuriam illi faceret. Neque hic urgenda est sola finis matrimonii impossibilitas. Nam & aliorum officiorum ratio haberi debet, quæ violari non possunt propter finis matrimonii impossibilitatem. Malitiosæ desertioni æquipollent delicta, quæ exilium aut perpetuos carceres merentur. Obstinata quoque debiti conjugalis denegatio, capitale odium, insidiæ vitæ conjugis structæ huc referri possent, si nulla emendatio amplius speranda foret. Nec obstat, solam πορνείαν a Christo dici legitimam divortii causam. Nam Christus de solo causarum genere sententiam dicit, quæ a læsionibus petuntur, & de quibus solis apud Judæos erat disputatio. De causis, quæ finem matrimonii impossibilem reddunt, cum nullus esset dissensus, nec

nec de iis Christi opinionem exquirere poterant.

Πορνεία non quodlibet turpe factum, quod fidem conjugalem violat, & hoc respectu cum adulterio comparari posset, sed scortationem & varia illius genera, quæ si a conjugibus committatur, in adulterium abit, significat. Ubique enim hanc turpitudinem denotat, nisi improprie pro scortatione spirituali, h. e. pro idololatria accipiatur. Act. XV. 20. Rom. I. 29. 1. Cor. V. 1. VI. 13. 18. VII. 2. Gal. V. 19. Eph. V. 13. Equidem & adulterium juxta legem Christi condonari deberet, sic ut divortio & damnis ab eo dependentibus non esset puniendum. Quia vero dolor ex hac læsione ortus nimis gravis esse solet, & præterea peregrinum semen, si uxor fuerit adultera, familiis infertur, nec facile restitui potest illa familiaritas & fides, quæ conjuges unire debet, Christus aliquid infirmitati humanæ dandum, & minus malum majori præferendum esse duxit. Interea tamen non præcipit, sed tantum permittit adulterium, si altera pars alterius adulterio læsa fuerit. Hinc etiam marito, si ita placuerit, uxorem adulteram retinere licet. Cum conjugium non sit negotium mere humanum, sed ab ipso Deo institutum, & divinis legibus limitatum, neque mutuo dissensu illud rursus dirimi potest,

est, ut alia negotia spontaneo pacto confecta, sed attendendæ sunt leges divinæ. Gravissimas autem causas Deus habuit, hac in re arbitrium conjugum restringendi. Nam si quælibet læsio aut quilibet conjugum consensus statim sufficeret ad matrimonium dissolvendum, pauci conjuges suum vinculum usque ad mortem continuarent, læsiones ipsæ augerentur, educatio liberorum negligeretur, nulla fides conjugalis speranda foret, cædes & inimicitiæ alerentur, &c. Et quamquam Judæis permissum fuerit divortium, Deut. XXIV. 1. seqq. Deus tamen pro genio & consuetudine gentis hoc malum tantum toleravit, ut majora evitarentur. Matth XIX. 8. Interim non deerant declarationes divinæ in Vet. Test. e quibus satis constabat, hæc divortia Deo non placere. Gen. II. 24. Mal. II. 14. 15. Et ipsa lex, qua divortium limitabatur, Deut. XXIV. 1. seqq. satis indicabat, quantopere Deus illud improbaret. Ubi autem divortium ex legitima causa factum est, aliæ nuptiæ utrique parti merito permittuntur. Nam ex vinculo conjugali, quod olim existebat, nunc vero solutum est, nulla reddi potest prohibitionis ratio. Hinc & Christus Matth. XIX. 9. permittit, ut adultera dimissa alii viro nubat. Equidem si & parti nocenti aliud matrimonium inire permitteretur, mere-

metuendum foret, ne adulteria & malitiosæ desertiones hoc ipso augerentur. Sed primum denegatio juris, matrimonium contrahendi, non potest ut pœna adhiberi, cum quilibet jus naturale ad illud habeat, nisi alio vinculo jam teneatur. Secundo si divortium ex capite adulterii factum est, persona nocens certe non habet donum continentiæ. Hinc si matrimonium inire non deberet, scortationi indulgeret, ad quam tamen evitandam conjugium commendatur. 1. Cor. VII. 2. 9. Denique tertio aliis pœnis coërceri potest pars nocens, quibus forte facilius læsiones & causæ divortii caveri possunt.

§. CXXIII.

Secundæ nuptiæ permissæ.

Causa, cur persona in matrimonio jam existens cum alia persona matrimonium contrahere nequeat, est turpitudo polygamiæ. (§. 116.) Hæc autem causa tollitur mortuo marito vel uxore, & pars superstes in pristinum statum, qui ante matrimonium contractum aderat, restituitur. *Ergo nulla est ratio, cur vidui vel viduæ ad secundas nuptias non possint transire.* Deut. XXV. 5. 1. Cor. VII. 8. 9. 39. 1. Tim. V. 14.

Qui ex 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. colligunt, secun-

secundas nuptias ministris ecclesiæ prohiberi, non animadvertunt, ibi sermonem esse de polygamia simultanea, quæ inter novos Christianos, ex gentilismo conversos, tolerari debebat, ne contra legem Christi divortia fierent. Locus 1. Tim. V. 9. tantum de viduis ad aliquod ministerium Ecclesiæ eligendis agit. Et 1. Cor. VII. 40. Paulus ostendit, quid pro statu illorum temporum melius sit. Si quis vero aliam uxorem, priore mortua, ducit, non negligat officia, quæ defunctæ debet, & erga liberos ex ea susceptos exercere potest. (§. 110.)

§. CXXIV.

Societas paterna.

Societas conjugalis a Deo instituta est. (§. 114.) Instituta autem est ad procreationem liberorum, a qua illorum educatio separari nequit. (§. cit.) Inde oritur nexus inter parentes & liberos, qui officiis & juribus reciprocis continetur, & SOCIETATEM PATERNAM appellamus. Ergo

1. *Hæc societas paterna æque a Deo instituta est, ac conjugalis;*

2. *Matrimonium ab iis merito contrahendum non est, qui societatem paternam conservare & gubernare nesciunt;*

3. *Societas paterna non spontaneo pacto nititur,*

titur, sed est naturale consequens matrimonii.

Divina hujus societatis institutio etiam ex legibus istis patet, quibus officia parentum & liberorum determinantur. Et in eo maxime conspicua est divina sapientia, quod totum genus humanum in communibus parentibus descendere voluerit. Act. XVII. 26.

§. CXXV.

Officia parentum erga liberos.

EDVCATIO LIBERORVM est studium, quo illi ad propriam suam felicitatem aliquando sibi procurandam præparantur. Hoc studium cum illis applicari non possit, nisi eorum vita conservetur, ipsi autem liberi nihil habeant, quo se conservare possint, sequitur,

1. *Parentes liberis suis alimenta aliaque ad vitæ sustentationem necessaria porrigere debere.* (§. 124.) Luc. XI. 11. 1. Tim. V. 8. Eph. V. 29.

2. Qui ad propriam felicitatem aliquando sibi procurandam præparatur, felicitate ista & viribus, eam sibi comparandi, adhuc caret. Præparatur ergo ad hunc finem partim, dum alterius studio viribus instruitur, suam ipsius perfectionem promovendi, partim, dum aliena opera felicitas illi conciliatur, quam ipse sibi procurare

rare nondum potest, quæ tamen, si mature adsit, ad futuram felicitatem aut consequendam aut amplificandam multum facit, cujusque defectus futuræ & amplioris perfectionis perpetuum esset impedimentum. Jam vero triplicis homo perfectionis capax est, mentis nimirum, corporis, & status externi. Cum igitur liberi a parentibus educandi, h. e. ad futuram suam felicitatem aliquando sibi comparandam præparandi sint, *parentes operam dare debent, ut non tantum omnem istam felicitatem animæ, corporis, & status externi, cujus liberi eo tempore jam capaces sunt, quo ipsi saluti suæ consulere nondum possunt, mature illis comparent, sed etiam, ut eos viribus quibuscunque instruant, & semper magis magisque augeant, inchoatam perfectionem amplificandi, novamque imposterum sibi acquirendi.*

3. *Ratione* ANIMÆ *huc inprimis pertinet, ut per baptismum in fœdus gratiæ recipiantur,* Jo. III. 15. Matth. XIX. 14. *ut principiis veræ religionis ab incunabulis imbuantur, ac in iis confirmentur,* Deut. VI. 7. 20. seqq. Gen. I. 19. Exod. XII. 26. 26. Eph. VI. 4. 2. Tim. III. 15. *ut ad cultum Dei, privatum & publicum, omniaque pietatis exercitia manuducantur,* Prov. II. 2. seqq. Eccl. XII. 1. Ps. LXXI. 17. 18. Luc. II. 41. seqq. Eph. VI. 4. *ut prava illa cordis dispositio prudenter coërceatur & minuatur,* Prov. XXII, 15. XXIII. 13. *ut ab omni*

omni scandalo præserventur, Matth. XVIII. 4. 5. 6. *& proprio parentum exemplo ad pietatem & timorem Dei excitentur.*

4. CORPORIS *cura involvit, ut non tantum liberis de victu & amictu prospiciant, sed etiam sanitatis & integritatis membrorum corporis curam gerant, morbo laborantibus opem ferant, vires corporis roborent, honestis ac decoris moribus & habitibus eos assuefaciant, &c.* Matth. XV. 22. Jo. IV. 47. Prov. XXII. 6. Prov. XIX. 13. Luc. II. 52.

5. STATVS EXTERNI *perfectionem non parum promovet, si liberis aliquid externarum opum & favor amicorum, quibus juvari possint, comparetur.* (§. 94. 108.) Qvia vero aliquod laborum genus a quolibet tractandum est, quo se suosque conservare possit, & hoc ut recte addiscatur, liberorum studium a tenera ætate applicari & exerceri debet, liberi autem ignorant, quodnam vitæ genus sibi aliquando futurum sit proficuum, & quænam negotia præcipue cum fructu tractandi sibi sint vires & aptitudo, illi etiam plerumque otio indulgere malunt, quam labori, *parentes prudenter eligant illud vitæ genus, quod liberis salutare & proficuum fore vident, hujus culturæ eos mature tradant, necessarios sumptus impendant, diligentiam excitent, & ut in eo bene exerceantur, efficiant.*

6. Sed hoc studium vanum & inutile erit, nisi divina benedictio accedat. Quæ

cum obedientia erga Deum & invocatione ſummi Numinis impetretur, (§. 77. 87.) Exod. XX. 6. Gen. XVII. 20. *parentes ſuorum quoque liberorum intuitu pietati ſtudere, & pro iis orare debent.*

7. Moleſtiſſima ſane & labore plena res eſt, tantam curam liberorum educationi impendere. Quapropter ne hoc ſtudium aliquando deficiat, parentes aut ſpe lucri moveantur, aut ſingulare aliquod beneplacitum in felicitate liberorum ſuorum habeant, neceſſe eſt. Si lucri percipiendi cauſa hoc onus ſuſtinere vellent, actum eſſet de liberorum ſalute. Nam aut prorſus impoſſibile, aut valde improbabile eſt, ut ſtudii & laboris ſui remunerationem a liberis expectare poſſint. *Ergo parentes ita affectos eſſe oportet, ut ex liberorum felicitate in ſe ſpectata, non habita proprii commodi ratione, voluptatem capiant, & hinc eos ex toto corde diligant.* Pſ. CIII. 13. Jeſ. XLIX. 15. Luc. XI. 11. 13.

8. Hujus amoris conſequens eſt, *ut liberos ſuos humaniter tractent, infirmitates eorum tolerent, illis non iraſcantur, ſed offenſiones benevole & libenter condonent, nullum laborem, quo juvari poſſunt, detrectent, ſuum cum illis agendi modum ad eorum captum & virium menſuram componant, eorumque felicitate delectentur, adverſis autem ſatis contriſtentur.* Gen. XXXVII

3. 4.

3.4.35. XLV.28. 2.Sam.XVIII. 33. Luc.XV. 21. seqq. Eph. VI.4. Col. III. 21.

9. Quandoque tamen in liberis tanta est petulantia, ut humanitate & mansuetudine tantum ferociores reddantur. Quod si acciderit, & obstinatus illorum animus flecti non possit paternis admonitionibus, parentes officium suum, liberos emendandi, eorumque felicitatem promovendi, negligerent, *nisi duriora media adhiberent, eosque severis castigationibus coercerent.* 1.Sam. III. 13. coll. Cap. II. 23. 24. Prov. XXII. 15. Ebr. XII. 7.

Ut hæc officia rite adimpleri possint, omniaque impedimenta removeantur, parentes 1. de acquirendis opibus solliciti sint, quibus opus habent ad liberos suos sustentandos; 2. eam sibi comparent scientiam, quæ ad formandos teneros animos, & ad aliorum æternam & temporalem salutem procurandam requiritur; 3. ipsi Deum ex toto corde timeant, & præcipua illorum cura sit, ut liberi fide & pietate cum Deo semper magis magisque uniantur; 4. nec minus operam dent, ut honestis quoque & elegantibus moribus externe assuefiant; 5. ex hac causa præcipuas inclinationes, affectus & præjudicia liberorum diligenter explorent, ut, quæ animum ad malum flectere vident, mature expellant; 6. ratione

corporis eos durioribus & incommodis perferendis assuefaciant, ne nimia mollitie corrumpantur; 7. in eligendo vitæ genere, cui destinantur liberi, tum ipsius honestatis & utilitatis, tum liberorum aptitudinis & virium, tum externarum quoque circumstantiarum rationem habeant; 8. continuo labore a prima infantia eos exerceant, & ab otio, quantum fieri potest, eos abstrahant; 9. cumque non constet, quid illis aliquando futurum sit utile & proficuum, omni occasione prudenter utantur, quæ offertur, scientiam, artem, vel habitum illis comparandi, etiamsi ad vitæ genus, cui destinati sunt, non videantur necessaria, ita tamen, ut magis necessaria semper præferantur minus necessariis; 10. diligant liberos, sed a nimio & præpostero amore sibi caveant, ne ad illorum nævos excutiant, aut vitiis indulgeant, eaque excusent. CVRAM ANIMÆ quod attinet, quæ præcipua esse debet, 1. pro gradu capacitatis liberorum principia religionis eos doceant, aut doceri curent, ut a facilioribus ad graviora capita progrediantur; 2. nec tantum memoriæ imprimantur ista, sed danda est opera, ut & ea intelligant, & rationes fidei suæ perspiciant; 3. hinc diligenti & attenta lectione sacrarum literarum exerceantur, de iis, quæ lecta sunt, colloquium instituatur, &, ubi opus est, clarius

clarius explicentur; 4. nunquam autem sine magna devotione & reverentia de Deo rebusque divinis differatur; 5. fœdus baptismale, quamprimum fieri potest, illis explicetur, & sæpe in memoriam revocetur; 6. ostendatur quoque religionum differentia, & illius, quam profitentur, præstantia; 7. precum & cultus divini necessitas & utilitas exponatur, & ut his officiis non ex consuetudine, sed ex pio cordis affectu & devotione vacent, efficiatur; 8. hinc ad pietatis studium non cogendi, sed rationibus & exemplis excitandi sunt, præcipue ad amorem Dei, ut eum sponte & cum gaudio colant; 9. Veritas & sinceritas cordis inprimis commendanda, & omnipræsentia ac omniscientia Dei, qui & occulta quævis videret, diligenter inculcanda est, ut ab omni hypocrisi sibi caveant; 10. & ne animus ad verbum Dei obduretur, sed illo se flecti patiatur, affectus ita coërcendi sunt, ut liberi nihil nisi prævia deliberatione agant, & potius rationum pondera, quam affectus stimulos & vehementiam sequantur. HÆC OMNIA peragenda sunt præcipue quidem *ex amore Dei*, sed simul etiam *ex amore liberorum*. Sunt enim officia erga alios, quæ Deo placere nequeunt, nisi ex amore procedant, (§. 99.) Hinc quia homines ad amorem erga alios propria sua utilitate &

commodo plerumque moveri solent, pa-
rentibus autem a liberis nullum commo-
dum aut lucrum expectandum est, sapien-
tissimus naturæ conditor ipsi naturæ hum-
erga liberos amorem implantavit. Ne
tamen omni fundamento carere videatur
tenendum est, 1. liberos esse ipsam carnem
& sanguinem parentum, & hinc illorum
amorem amore sui ipsius jam contineri;
2. liberos a Deo creatos, ipsique perchā-
ros esse, Jon. IV. 11. Marc. X. 13. seqq.
unde qui Deum diligit, creaturas quoque
ab eo tantopere dilectas amabit, præser-
tim vero illas, quas nobis generationis
jure alendas, educandas, & ad ejus cultum
præparandas tradidit; 3. liberos esse do-
num Dei, Ps. CXXVII. 3. quod eo magis
foveri & æstimari debet a parentibus, quo
perfectior homo rebus quibuscunque aliis
est; 4. liberos a parentibus non tantum
vitam, sed & naturalem corruptionem ac-
cepisse, & parentum culpa miserrimos fore,
si ab illis negligerentur, unde sicuti nostra
commiseratione, ita & amore quocunque
alio sunt digniores. CÆTERVM ad hæc
officia liberis præstanda parentes moveri
possunt *tum* exemplo Dei, qui se ipsum
patrem omnium hominum vocat, & hinc
vult, ut paternum ejus affectum imitemur;
tum generali obligatione, gloriam Dei
illustrandi & aliorum felicitatem promo-
ven-

vendi, cui officio adimplendo liberorum educatio opportunam nobis offert occasionem; *tum* liberorum indigentia, quorum conditio miserrima foret, si a parentibus negligerentur; *tum* multiplici utilitate, quæ liberis in timore Dei educatis præstari potest Ecclesiæ & reipublicæ; *tum* gratitudo erga Deum pro educatione, quæ ipsius beneficio nobis a parentibus contigit; *tum* denique gravissima ratio, nobis aliquando reddenda, si nostra culpa liberis pereundum esset.

§. CXXVI.

Jura parentum.

Hæc obligatio liberos educandi simul involvit jus, de iis & eorum actionibus disponendi. Quomodo enim officia ista, quæ §. 125. recensuimus, adimpleri possent, si liberi a proprio arbitrio dependerent, nec quicquam in eos juris parentibus competeret? Hinc & scriptura a liberis obedientiam exigit, Eph. VI. 1. quæ in parentibus jus & imperium supponit. Hæc autem jura parentum non parum extenduntur, si cogitemus, liberos esse effectus parentum, & hinc in illorum dominio existere. Nam quicquid mearum virium usu comparatum est, & in quod nemo alius jus habet, illud sine dubio meum est. Ut ergo certius constet, quænam sint ista jura, & eorum limites, tenendum est,

1. *Parentibus jus competere, liberis ſuis in proprium commodum pro arbitrio & quidem privative utendi.* Hoc enim ipſa dominii notio jam involvit. Gen. XXIX. 9. Exod. II. 16. 1. Sam. XVI. 11.

2. *Nec minus parentes jure gaudent, liberorum actiones determinandi, easque vel approbandi vel improbandi.* Nam ad officium parentum pertinet, liberos perficere, cum ſibi ſuæque ſaluti ipſi conſulere nondum poſſunt, & vires illis comparare, omnimodam ſuam felicitatem, animæ, corporis, & ſtatus externi, aliquando promovendi. (§. 125. num. 2.) Quemadmodum itaque jus illis competit, id omne agendi, quod ad hos fines tendere videtur, ita & ab illorum judicio dependere debet, quid liberis utile ſit, & quid noxium. Hinc & ipſi liberis actiones imperare poſſunt, & approbare vel improbare & incaſſum reddere, ſi quid forte liberi in ſuum commodum agere decreverint, aut vere jam peregerint. Num. XXX. 4. 5. 6.

3. Eadem obligatio, liberos educandi, & illorum felicitatis tam æternæ quam ſpiritualis curam gerendi, porro involvit *jus liberos ſuos contra quosvis defendendi, qui eos ad amplectendam religionem cogere volunt, quam parentes impuram & noxiam eſſe judicant, nec minus contra eos, qui liberos ad impie-*

pietatem seducere, aut alio modo lædere intendunt.

4. Quia vero liberi etiam sunt homines, qui suis juribus connatis & naturalibus gaudent, & ad communia illa hominum & Christianorum officia obligantur, a quorum adimpletione nulla vi vel auctoritate abstrahi possunt, Deus præterea liberos ad suam gloriam manifestandam creavit, & parentes gravissima obligatione tenentur, illorum felicitatem quovis modo promovendi, plerique etiam parentes in civitate existunt, in qua supremus magistratus non tantum jus in parentes, sed etiam in liberos habet, sequitur, *his omnibus jura parentum valde limitari & restringi.* Eph. VI. 4. Col. III. 21.

5. *Ex hac causa parentes non habent jus vitæ & necis in liberos.* Ut enim taceam, neminem interficiendum esse, (§. 101.) & quemlibet jus habere, vitam suam contra aggressores defendendi, (§. 93.) educatio liberorum juri vitæ & necis plane contraria est. (§. 125.) Nam existente obligatione, alicujus hominis vitam conservandi, eumque ad omne felicitatis genus præparandi, nullum jus cogitari potest, eundem occidendi. Sique delictum, morte dignum, forte commissum fuerit, de eo judicare non possunt parentes, quibus tan-

tum cura educandi & jura connexa tradita sunt. Deut. XXI. 18. seqq.

6. *Neque aliquod datur parentum jus, liberos cogendi, ut hanc vel illam religionem invitis reclamente conscientia amplectantur.* Est enim commune hominum, inprimis Christianorum, officium, de Deo rebusque divinis statuere, quod quisque prævia exploratione verum & rectum esse sentit, eum ita colere, ut conscientiæ satisfiat, sibique ab omni hypocrisi cavere. (§. 70. 71. 83.) Quod quidem officium cum & in liberos cadat, nulla fingenda sunt parentum jura, quibus necessaria illa conscientiæ libertas, liberis quoque tribuenda, impediretur.

7. Denique cum & quisque jus habeat, matrimonium contrahendi, si ad hanc societatem non ineptus fuerit, (§. 114.) *non datur jus parentum, prohibendi, quo minus liberi societatem conjugalem ingrediantur.*

Dominium, quod parentibus in liberos competit, non spontaneo quodam pacto aut consensu, sed naturali generatione nititur. Quicquid enim in legitimo virium mearum usu suam habet rationem, id perinde meum est, ac vires ipsæ. Et cum Deo placuerit, ut omnes homines a communibus parentibus continuo parentum & liberorum nexu & ad se invicem relatione nascantur, Act. XVII, 26. hac sua ordi-

ordinatione dominium illud satis firmavit. Hinc & dominium hoc liberorum dissensu tolli haud potest. Sed limitatur illud tum rei ipsius natura, quæ in dominio existit, tum jure Dei, & quandoque etiam magistratus, in liberos, quod violari non debet, tum denique educationis officio. Jus vitæ & necis si qui habeant in liberos, id non habent ut parentes, sed ut summi imperantes, quorum liberi simul habent respectum subditorum. Nam nec dominium parentum tale jus involvit, quod quippe multiplici ratione restrictum est, nec obligatio educandi, quæ tota in liberorum conservationem tendit. Si parentes sub alieno imperio existant, multo minus hoc jus sibi arrogare possunt. Ad solos enim magistratus supremos illud in Rep. pertinet. Quoad religionem eam quidem, quam ipsi profitentur, parentes liberis commendare & suadere, & contrarium dissuadere possunt. Cum vero ad annos discretionis pervenerint, libera illis permittenda est electio, nec liberi propterea deserendi, aut juribus suis privandi sunt. Inprimis hoc observandum est, si parentes diversæ sint religionis. Si forte liberi matrimonium contrahere vellent, cum adhuc inepti sunt ad hunc statum, aut quod illis infaustum fore vident parentes, illud sine dubio impedire possunt. Eos vero

vero ad perpetuum cælibatum aut virginitatem deſtinandi, nullum eſt jus in parentibus.

§. CXXVII.

Majorennitas & minorennitas.

Quamvis dominium parentum in liberos fundatum ſit in naturali generatione, & hic nexus aut relatio ſemper duret, ideoque dominium illud non niſi morte alterutrius partis extingui poſſe videatur; (§. 126.) tamen, cum liberi naturalia habeant jura, ſocietatem ingrediendi, quæ illud dominium parentum non patitur, & præterea multa dantur officia, quæ, ſi adimplenda ſint, homo ſuum ipſius judicium ſequi debeat, & hinc libertatem quandam habeat, de ſe ſuisque actionibus diſponendi, quæ vero durante parentum dominio prorſus deficit, facile liquet, *dominium hoc ceſſare oportere, ſimulac ſalvis reliquis parentum officiis tolli poteſt.* Quamdiu liberi in dominio parentum aut ſub poteſtate patria exiſtunt, MINORENNES ſunt. Status autem libertatis ab hac poteſtate, MAIORENNITAS appellatur. In ſtatum ergo majorennitatis cum tranſponi debeant liberi, ſimulac parentes id ſalvis ſuis officiis fieri poſſe intelligunt, hæc autem officia educatione continentur,

1. *Liberi pro majorennibus declarandi ſunt, quan-*

quando ipsi de victu & amictu sibi prospicere possunt, & viribus gaudent, suam felicitatem promovendi & amplificandi. (§. 125.) Gal. IV. 1. 2.

2. Sublata' minorennitate cadunt quidem jura, quæ a dominio dependebant, cadunt etiam officia, quæ parentibus imponebat educationis necessitas; quia vero liberos ut propriam carnem suam diligere, & de illorum salute solliciti esse debent, (§. 125.) *illorum obligatio liberos consilio & opere juvandi nunquam cessare potest.*

3. Hoc genus auxilii illis ferri potest non tantum instructione, quænam sit optima ratio, rem domesticam administrandi, & quomodo in officio aliisque rebus gerendis versari oporteat, sed etiam, cum felix rerum successus in novo hoc statu impediatur aut certe difficilior reddatur, si absque opibus externis inchoetur, liberi autem, cum ex potestate patria dimittuntur, nihil habeant istarum opum, nisi quod ex benignitate parentum accipiunt, necesse est, *ut & parentes ad futuram liberorum felicitatem aliquam opum suarum partem illis largiantur.*

Majorennitas liberis aliquando concedenda patet etiam *tum* ex fine educationis, quæ tota eo tendit, ut liberi sibi relicti propriis viribus suam felicitatem aliquando promoveri

veri possint, *tum* ex causa obligationis educandi, quæ est liberorum impotentia suam salutem procurandi, ideoque sublata illa impotentia simul cessat causa obligationis, & hinc quoque jura inde resultantia cadunt, *tum* ex præsumenda necessitate futuræ majorennitatis, si parentes, ut fieri solet, prius morerentur, quam liberi, *tum* denique ex successiva familiarum propagatione, quæ supponit, ut, qui jam est sub potestate patria, aliquando ipse fiat paterfamilias. Cum igitur liberorum minorennitas aliquando finiri debeat, periculosum autem sit, ex statu plenæ subjectionis in statum libertatis immediate transponi, prudentia suadet, ut parentes procedente liberorum ætate subjectionis & dominii fines relaxent, eos aliqua libertate frui sinant, rationibus & argumentis potius, quam imperio, minis, & castigationibus gubernent, & aliquam rerum administrationem illis permittant. Tempus majorennitatis alii aliis citius attingunt. Quia vero infinitæ lites circa hoc argumentum oriri possunt, liberis ante justum terminum majorennitatem poscentibus, aut parentibus eam sine causa denegantibus, præsertim si liberi sint sub potestate curatorum, magistratus certum terminum figere potest, quo elapso minorennitas exspiret. Interea si parentes videant, liberos

& ante

& ante hunc terminum sibi suæque saluti consulere posse, aut commoda offeratur occasio, futuram filiarum felicitatem promovendi, si ante terminum ex patria potestate dimittantur, hac in re non sint justo morosiores. Sublata illorum potestate non prorsus abjiciant omnem liberorum curam, sed prudentia, consilio, opibus suis, aliisque officiis eos fideliter juvent. Liberi enim omnium hominum præcipui sunt, quibus officia charitatis præstari debent. Quemadmodum autem cura parentum pro liberis eos non impedit, quo minus suæ ipsorummet felicitatis rationem habeant, & hinc media, quibus se & alios juvare possunt, in sua potestate retinere debent, ita imprudentissime agerent parentes, si omnes suas opes liberis traderent, suamque sustentationem per reliquam vitæ partem ab illis expectarent. Sir. XXIII. 20. seqq. Quæ hactenus de officiis & juribus parentum disputata sunt, suo modo ad tutores & curatores applicari possunt. Hi enim, defunctis parentibus, in illorum locum succedunt. Limitatione tamen opus est, ne omnia sibi licere putent tutores, quæ parentibus licita sunt. Nam 1. parentum jura a dominio & educatione simul dependent, tutorum autem a sola educationis cura. 2. Tutores bona aliena administrant, & administrationis suæ rationem

nem aliquando reddere tenentur, parentes autem pro arbitrio de bonis suis disponere possunt, quamquam & hic sic agere eos oporteat, ut liberorum commoda non negligantur.

§. CXXVIII.

Officia liberorum.

Quamdiu liberi sub potestate patria existunt, parentibus omnia illa officia debent, quæ illi ex jure dominii & educationis exigere possunt. (§. 127.) Huc vero pertinet,

1. *Ut summo honore parentes prosequantur.* Exod. XX. 12. Deut. V. 16. Prov. XX. 20. Mal. I. 6. Matth. XV. 4. Eph. VI. 2. Quatenus enim a parentibus geniti & nati sunt, vitam illis debent, & in iis imaginem creatoris agnoscant, necesse est. Quia vero cultus alicui deferendus merita supponit, liberi animo suo diligenter volvant, quanta in se parentum merita extent, intuentes illorum curam, quam sustentationi & educationi impenderunt, & amorem, quo ipsos sine ulla spe lucri aut commodi amplexi sunt.

2. Hujus amoris & laboris consideratio simul est gravissima ratio, *parentes diligendi*, & cum maxima beneficia ab illis acceperint, qualia sunt vita, sustentatio, & educatio, *illis etiam gratissimum animum debent*, (§. 108, 125.) Rom. XIII. 9. Phil. II. 22. Prov.

Prov. XV. 20. XIX. 26. Sir. III. 14. 18. VII. 29.

3. Qui vero parentes ita diligunt, nihil agent, quod illis displicere norunt. Hæc animi dispositio dicitur timor. (§. 76.) *Ergo & liberi parentes suos timere debent.*

4. Hic timor involvit studium, ea faciendi, quæ parentes a liberis fieri volunt. Quod studium eo magis necessarium est, cum liberi in dominio parentum existant, & cura educationis sine imperio in liberos cogitari nequeat. *Hinc & liberi parentibus omnem obedientiam præstare obligantur.* Deut. XXI. 18. seqq. Prov. I. 8. VI. 20. Eph. VI. 1. Col. III. 20.

5. Cum liberi, quamdiu minorennitas durat, non sint sui juris, sed in dominio parentum existant, qui propterea de actionibus liberorum disponere possunt, id quod etiam parentibus ex jure educationis competit. (§. 126.) *liberi nullum negotium sine consensu parentum conficiant, multo minus cum aliis paciscantur, sed in rebus omnibus consilium parentum audiant, & illorum voluntatem sequantur.* Gal. IV. 1. 2.

6. Quia vero liberi sunt homines, & mediante baptismo Christiani, ideoque certa jura sibi concessa habeant, quæ ab humana natura separari nesciunt, & præterea ad officia tum hominis tum christiani æque obligantur, ac alii homines;

parentibus autem nullum jus competit quicquam de liberis ſtatuendi, quod his juribus aut officiis contrarium foret. (§. 126.) *liberi non tenentur ea præſtare, quæ præſtare nequeunt ſalvis ſuis juribus & officiis, etiamſi ea parentes exigant.* Gen. II. 24. XXXI. 14. 15. 16. 1. Sam. XIX. 11. 12. 13. Matth. X. 37. Luc. XIV. 26.

7. Cæterum quamvis jura parentum exſpirent, poſtquam liberi majorennitatem conſecuti ſunt, (§. 127.) tamen cum a parentibus vitam aliaque beneficia acceperint, quibus ſi caruiſſent, aut pereundum aut miſere illis vivendum fuiſſet, *reverentia, amor, gratus animus, timor, & obſequium erga parentes nunquam ceſſare debent.* 1. Reg. II. 19. Jo. XIX. 26. 27.

Quemadmodum officia in PERFECTA & IMPERFECTA diſpeſci ſolent, & ea, quæ olim erant perfecta, aliquando im imperfecta commutari poſſunt, ita & liberorum officia, quæ interveniente majorennitate exſpirare diximus, tantum perfecta eſſe deſinunt, ut imperfecta autem perdurare debent. Cujus rei cauſa hæc eſt, quia exiſtente dominio parentum & officio liberos educandi multa vi extorqueri poſſunt, quæ elapſo minorennitatis tempore tantum a libera illorum voluntate ex capite reverentiæ, amoris, & gratitudinis expe-

expectantur. Fieri tamen potest, ut quæ olim erant perfecta officia, in statu majorennitatis ne quidem imperfecta sint. Sic ex. gr. liberi minorennes perfecte obligabantur, omnia resecare pacta, quæ sine consensu parentum percusserant. Sed sublata patria potestate ad hoc genus actionum ne quidem imperfecte obligantur. Ut officia reverentiæ, amoris, & timoris a liberis sponte præstentur, ipsis parentibus in suo cum liberis agendi modo omni circumspectione & prudentia utendum est. Hinc & suas infirmitates coram liberis diligenter occultent, amorem & studium suum in eos semper demonstrent, etiam cum forte pœnis, minis, & objurgationibus cœrcendi sunt, caveant, ne aliquod adversus se odium aut majorem erga alios liberos amorem præsumant, si quid præcipiunt aut prohibent, virium, quæ in liberis sunt, habeant rationem, causas suarum legum illis exponant, nec nimis molesti sint liberis, &c. Etiamsi vero & hac in re aliquid humani parentes paterentur, liberi tamen a suis erga eos officiis minime liberantur. Hæc adeo sancta sunt, ut nulla specie violari possint. Nam 1. hac de re gravissimum extat præceptum, amplissima promissione communitum; Exod. XX. 12. Eph. VI. 1. 2. 3. 2. Quando Deus efficacissimo ipsum diligendi & ti-

mendi motivo uti vult, ſibi dulciſſimum patris nomen imponit, & homines ſuos liberos vocat, Jeſ. I. 2. Mal. I. 6. Matth. VI. 8. 9. 32. quo ipſo ſignificat, nihil turpius eſſe, nihilque a natura magis abhorrere, quam parentes non diligere, nec timere; 3. Tanta ſunt parentum in liberos merita, tantus amor, tanta beneficia, prorſus immerita & ab omni ſpe lucri remota, ut, qui his ſe flecti non patitur ad reverentiam, amorem, & obſequium, nulla re moveri poſſit; 4 Hinc & liberi, qui obſtinati & moroſi fuerunt erga parentes, prorſus degenerant, omnia legum divinarum & humanarum frena frangunt, nullam obligationem admittunt, & communes humani generis hoſtes, omniumque ordinum & ſocietatum turbatores fiunt; 5. Propter hanc turpitudinem Deus quoque liberis, qui parentes ſuos contempſerunt, omnis generis mala comminatus eſt, & plerumque in hac vita vindictam ab iis ſumit. Prov. XX. 20. XIX. 26. 6. Ad hæc motiva quoque referri poteſt exemplum Chriſti, qui licet ipſe verus eſſet Deus, in ſtatu exinanitionis tamen parentes ſuos colebat, illisque obedientiam præſtabat. Luc. II. 51. Denique 7. cum Deus a fidelibus coli vult, quemadmodum parentes a liberis coluntur, Rom. VIII. 15. nemo autem hunc Deo cultum exhibere poteſt,

potest, qui officia erga parentes naturales negligit, inde novum motivum summi in parentes studii peti potest. Si quid forte denegandum foret parentibus, aut quia in se injustnm est, aut quia salvis gravioribus officiis præstari nequit, quod illi poscunt, illud cum summa reverentia, modestia, & animi officiorum filialium observantissimi contestatione fiat. Juri quoque suo liberi quandoque renuncient, si ita ferat parentum voluntas, etiamsi aliquid habeat iniquitatis. Cæterum autem ab hisce officiis nullo tempore recedant, 1. ut eos diligant, &, si qua re possunt, eos libenter juvent, præsertim si senio confecti sint, & paupertate laborent; 2. ut eos reverenter colant, infirmitates eorum tolerent, seque illis vitam & felicitatem debere quavis occasione significent; 3. ut pro iis apud Deum intercedant.

§. CXXIX.

Societas herilis.

Nexus inter dominum & servum dicitur SOCIETAS HERILIS. Quemadmodum autem SERVVS ille est, qui suis viribus in aliorum utilitatem pro illorum arbitrio uti tenetur, ita DOMINVS appellatur, qui jure gaudet, aliorum viribus in suam utilitatem pro arbitrio utendi. Quodsi ergo justum est, virium suarum usum alterius

rius arbitrio ita ſubjicere, ut ille lucrum & emolumentum ab eo pendens ſolus percipiat, ſocietas herilis non eſt improbanda. At vero fieri poteſt, ut quis mediis deſtituatur, quibus ad vitæ ſuſtentationem opus eſt, vires autem habeat, ſuo labore aliorum commodum promovendi, & hoc medio alimenta aliasque res neceſſarias ad hanc vitam pertinentes ſibi comparare poſſit. Cum igitur quisque obligetur, vitam ſuam conſervare, & neceſſarias opes acquirere, ideoque illis uti mediis, quæ in ſua poteſtate habet, (§. 93. 94.)

1. *Societas herilis non poteſt eſſe illicita.* Quæ res eo magis dubio caret, cum ſanctiſſimi homines ſervos ſub ſuo imperio habuerint, Apoſtolus dicat, eum, qui in ſtatu ſervitutis exiſtens vocatus fuerit, eum deſerere non debere, 1. Cor. VII. 20. 21. 22. & divinæ leges extent, quibus officia dominorum & ſervorum determinantur. Eph. VI. 5. 9.

2. Quia vero naturalis conditio eadem eſt in omnibus, atque ille, qui ſua inopia ſervire cogitur, non minus huic, quam alii domino ſervire poteſt, *fundamentum ſocietatis herilis nihil aliud eſſe poteſt, quam pactum ſpontaneum.*

3. *Quemadmodum igitur pacto illo conditiones hujus ſocietatis determinantur, ita & ad eoden*

eodem jura & officia utriusque partis dependent.

4. Ratio, cur quis de servitute sua cum aliis paciscatur, est propria indigentia, & impossibilitas, vitam suam alio modo sustentandi. Intendit ergo alimentorum aliarumque rerum, quæ huic vitæ inserviunt, legitimam comparationem. Ille vero, qui servitutem sibi oblatam recipit, & pro ea aliquid opum suarum in alios transferre promittit, suam utilitatem aliorum labore promoveri cupit. *Finis ergo societatis herilis est & servorum sustentatio, & dominorum utilitas.*

Quamquam libertas insigne & minime contemnendum Dei beneficium est, quo quemque frui oportet, qui potest, 1. Cor. VII. 21. tamen cum divinæ sapientiæ consentaneum videretur, ut alii essent divites, & alii pauperes, Prov. XXII. 2. quorum hi non nisi membrorum suorum usu, illi vero suis opibus aliorum felicitatem promovere possunt, atque hæc donorum differentia ad arctiores hominum nexus non parum faciat, nemo non videt, societatem herilem divinis finibus convenire. Pactum, quo nititur societas ista, non semper est immediatum, ab iis percussum, qui aliis serviunt, sed quandoque a majoribus ad eos translatum. Nam quemadmodum

pacto genus laboris, tempus servitutis, & commoda inde percipienda determinantur, ita nec impossibile est, ut quis de perpetua servitute cum alio paciscatur, cui se & liberos suos submittit. Equidem in hoc servitutis genus nemo facile consentiet, quamdiu dominum invenit, qui temporaria servitute contentus est. Et quoniam illud nimis durum est, christiani autem ad opera charitatis & misericordiæ obligantur, ideoque sub æquissimis conditionibus alios juvare debent, (§. 107.) hoc servitutis genus christianis gentibus indignum videtur. Si tamen casus ita ferat, ut vitæ sustentatio non nisi perpetuæ servitutis sponsione redimi possit, eam offerre nemo prohibetur. Cura enim vitæ conservandæ sine dubio potior est obligatione, libertatem retinendi. (§. 93.) Hinc & ejusmodi servitutem Deus in populo suo toleravit. Exod. XXI. 5. 6. Et in novo testamento eam continuari jubet Apostolus, si quis ante suam conversionem in ea jam extiterit. 1. Cor. VII. 20. Quemadmodum autem quisque suæ libertati nuncium mittere potest, ita & parentes, qui liberos in dominio suo habent, & jure gaudent, de illorum actionibus & fatis disponendi, (§. 126.) de illoruum servitute pacisci possunt. Exod. XXI. 4. Qui lautioris sunt fortunæ, servitium oblatum accepta-

ceptare, aut sibi conducere minime dubitent. Hoc enim medio occasionem nanciscuntur, pauperibus de victu & amictu prospiciendi. Et quamvis miseri beneficiis juvandi sint sine ulla spe lucri aut remunerationis, hoc tamen de illis tantum intelligi debet, qui nihil habent, quod reddant. Sin vero & robusti homines gratis alerentur, qui, si labor in aliorum utilitatem deesset, otio indulgerent, & illorum impediretur officium, proprio labore victum sibi comparandi, & occasio, tempus perdendi, malisque operibus vacandi, illis subministraretur, quod certe iniquum foret. Eph. IV. 28. Matth. XX. 3. seqq. Accedit, homines melioris fortunæ negotiis publicis plerumque distractos, aut viribus destitutos esse, ut labores ad rem domesticam pertinentes ipsi sustinere nequeant. Hi dum aliis inserviunt, cur ferre non debeant, ut ab aliis sibi rursus alio laborum genere inserviatur, haud video.

§. CXXX.

Jura & officia dominorum.

Cum societas herilis pacto contracta sit, (§. 129.) ex pacto autem non tantum jus, ea, quæ ab aliis promissa sunt, exigendi, sed etiam officium, quod ipsi promisimus, fideliter adimplendi oriatur, (§. 104.) sequitur, 1. *Do-*

1. *Domino jus competere, illos labores a servis postulandi, de quibus pacto conventum est;* (§. 129.) Luc. XVI. 2. Matth. XXV. 19. seqq.

2. *Ex altera autem parte simul obligari dominum, ad commoda servis conferenda, quæ illis pacto promissa erant, præcipue mercedem & alimenta;* (§. 129.) Matth. X. 10. XX. 8. Luc. XVII. 7. 8. 1. Cor. IX. 9. 1. Tim. V. 18. Jac. V. 4.

3. Quia vero aliis hominibus, cujuscunque sint conditionis, multa charitatis officia debemus, (§. 99. seqq.) huc vero sine dubio servi quoque pertinent, quos Dominus propter singularem nexum in societate herili præcipue sibi commendatos habere debet, *nec pleno jure suo utatur dominus, si forte legi amoris repugnet, nec in officiis pacto sibi impositis subsistat, sed quod proximo præstandum esse vidimus intuitu animæ, corporis, opum, famæ, in conversatione &c.* (§. 100. seqq.) *eo magis præstet servis, cum ei imperio & curæ suæ subjectos habeat.* Deut. V. 14. Matth. VIII. 6. Eph. VI. 9. Phil. v. 16.

4. Inprimis servi ad illud hominum genus pertinent, qui magna miseria laborant. Nam & paupertate premuntur, nec habent, quo vitam suam sustentare possint, & libertati suæ renunciarunt, ut necessaria alimenta honeste & legitime sibi compararent. *Hinc domini misericordia, humanitate*

nitate, & humanitate cum servis utantur, onera & labores eorum temperent, illorum curam gerant, & citra meritum quoque eos juvent, quantum possunt. (§. 107.) Eph. VI. 9. Col. IV. 1. Jac. II. 13.

5. Quia vero domini imperium habent in servos, & societas herilis, a qua hoc imperium dependet, a Deo approbata est, imo Deus res humanas pro sapientia sua ita gubernat, ut alius sit dominus, & alius servus, (§. 129.) *domini imperium hoc, suum abjicere nequeunt, sed potius ea peragere debent, quæ ad illud spectant, qualia sunt, superioritatem & auctoritatem suam tueri, servos ad implenda sua officia cogere, rationem operum & laborum poscere, &c.* Mal. I. 6. Luc. XVI. 2. Matth. XXV. 19. seqq.

Officia dominorum erga servos duplicis sunt generis. Alia dependent a pacto, alia a communi lege amoris. Et hæc posteriora quandoque limitant jura dominorum, ut non liceat omnia facere, quæ alias vi pacti facere possent. Hæc autem officia charitatis ut & servis domini sponte præstent, cogitent, 1. *communem* utriusque esse naturam & originem; 2. *immensum* Dei amorem in servos quoque effusum esse; 3. *Pro iis* etiam Christum esse mortuum, illisque eandem felicitatem esse paratam; 4. *servos* esse membra Ecclesiæ, & hinc

hinc fratres in Christo; 5. *divinæ* providentiæ opus esse, quod nos simus domini, & alii nobis serviant; 6. *fortunam* esse mutabilem, nos esse homines, nihilque humani a nobis alienum esse putandum, & hinc, quod nobis fieri velimus, id & aliis faciendum; 7. *miseram* esse servorum conditionem, quæ novis afflictionibus augeri non debeat; 8. *amorem* & fidelitatem servorum excitari, si dominorum in se studium videant; 9. *nos tantum* esse administratores nostri famulitii, quos Deo supremo omnium domino rationem aliquando reddere oporteat, quam considerationem Apostolus præcipue urget; Eph. VI. 9. Col. IV. 1. 10. *in æqualitatem* status aliquando sublatum iri, cum Christus ad judicium venturus est, & tunc gloriam servorum forte majorem fore gloria dominorum; 11. *Denique* nos omnes esse servos Dei, ideoque hujus domini exemplum imitandum. Luc. XVI. 1. seqq. XVII. 7. seqq. Matth XXV. 14. seqq. Si vero opera charitatis negligi non debent, quanto magis adimplenda erunt officia necessitatis! Alimenta igitur domini servis porrigant, quæ sunt sana & sufficiunt, mercedem solvant, laboribus contenti sint de quibus conventum est, justo tempore eos dimittant, si dimitti velint. Nam 1. qui hæc negligit, servum suum lædit, & pœ-

& pacta violat. (§. 99. 104.) 2. Hanc læsionem infert miseris, & hinc crudelitatem exercet, cui Deus crudele judicium iterum comminatus est; Jac. II. 13. 3. denique istæ læsiones pertinent ad peccata clamantia, Jac. V. 4. quæ & in hac vita Deus singulariter ulcisci solet.

§. CXXXI.

Officia servorum.

Servi vicissim pacti sunt cum dominis de certo laborum genere, in illorum utilitatem pro mercede & alimentis præstando. (§. 129.) Cum ergo pacta servanda sint, (§. 104.)

1. *Opera, quæ promiserunt, cum omni studio & diligentia perficiant, nec suæ sed dominorum utilitati operam suam navent*; Eph. VI. 5. 6. 7. 8. Col. III. 22. 23. 24. Luc. XVI. 1. sqq.

2. *Alimentis & mercede sibi promissa contenti sint*; Matth. XX. 13.

3. Et quoniam inopia & necessitate adacti statum servitutis elegerunt, hominum autem fata a directione & voluntate Dei dependent, (§. 129.) *in sua quoque sorte acquiescant, nec meliorem dominis invideant*; 1. Cor. VII. 20. 21. 22.

4. Imperium, quod domini in servos habent, pacto nititur, ideoque non tantum juste comparatum, sed etiam divina societatis herilis approbatione firmatum est. (§. 129.) Cum igitur domini sint servorum

vorum legitimi ſuperiores, juſto imperio armati, *hi quoque omnem reverentiam & obſequium dominis ſuis præſtent, nec ſint morosi aut obſtinati, etiamſi duriores haberent dominos*; (§. 106.) Eph. VI. 5. Col. III. 20. 1. Pet. II. 18. 1. Tim. VI. 1.

5. Nec minus ſervi ſciant, dominos ſuos eſſe benefactores. Cum enim ipſi non habeant, quo ſe ſuſtentare poſſint, illis pereundum eſſet, niſi dominum invenirent. *Ex hac cauſa dominos ſuos diligere, eos grato animo proſequi, & pro iis orare debent*; (§. 108.) 1. Tim. XI. 2.

6. Cæterum cum officia erga proximum ad ſervos quoque pertineant, & hi dominis ſuis ob ſingularem nexum & dependentiam ſingulariter obſtricti ſint, *ſervi quoque ea omnia dominis fideliter præſtare debent, quæ* §. 99. ſeqq. *de officiis erga alios tradita ſunt, hinc ab omni læſione & damno dominis inferendo ſibi caveant, eorum utilitatem promoveant, vitam, honorem, & opes tueantur, & ultra menſuram eorum, quæ pacto ſibi impoſita eſſe ſciunt, illis inſerviant.*

Horum officiorum alia ex pacto concipiuntur, & vi extorqueri poſſunt, alia vero a propria utilitate dependent. Qui vero doctrinam Chriſti ſequuntur, hæc omnia *propter Dominum* faciunt. Eph. VI. 5. ſeqq. Col. III. 22. ſeqq. 1. Tim. VI. 1. 2. 1. Pet. II. 18. 19. Propter Deum autem dominos ſuos colunt, diligunt, juvant, iisque

iisque inserviunt, dum cogitant, 1. *esse* Dei voluntatem, ut in statu servitutis existant; 2. *Deum* cuncta videre, & ubique præsentem esse; 3. *Christum* propter nos pauperem factum esse, & aliis sponte ministrasse; 4. *fideli* sua opera religionis christianæ præstantiam celebrari posse; 5. *servire* se ipsi Deo, cui aliquando reddenda sit ratio; 6. & *hos* labores divinis præmiis aliquando non carituros esse.

§. CXXXII.

Familia.

Ex his tribus societatibus, conjugali nimirum, paterna, & herili, FAMILIA componitur, (§. 113.) ita tamen, ut & ex omnibus tribus, & ex duabus tantum constare possit. Ita autem uniendæ sunt societates istæ simplices, ut singularum jura & officia, a Deo quippe approbata & injuncta, salva & illæsa maneant. Ergo

1. *Finis earum ultimus, qui est cultus Dei,* (§. 7.) *ab omnibus societatum membris in oculis ferendus est, nihilque tolerandum, quod pietatem erga Deum impediret.* Act. X. 2. XVI. 31. 34.

2. *Officia membrorum cujuslibet societatis in familia ita sunt determinanda & limitanda, ut nullius finis immediatus impediatur.*

3. Hinc non tantum opus est legibus, sed etiam capite & directore familiæ, qui PATERFAMILIAS, aut, si persona sexus sequioris fuerit, MATERFAMILIAS appellatur.

Penes

Penes patremfamilias igitur sit imperium & gubernatio totius familiæ. Hoc imperium cum nulli alii subordinatum esse possit in familia, sine dubio ad eum pertinet, qui alii membro familiæ subjectus esse non potest sine jurium suorum violatione. Jam vero in societate paterna imperium competit utrique parentum, (§. 126.) in conjugali marito, (§. 120. 121.) & in herili domino (§. 130.) *Quodsi ergo maritus & pater simul sit dominus, ille esto paterfamilias. Sin vero maritus & pater sit servus, ipse est sub imperio domini, & tunc huic jura patrisfamilias competunt, etiamsi nec maritus nec pater esset.*

4. Jura autem, quæ a patrefamilias exercentur, in diversis societatibus diversa sunt, & a natura imperii in iisdem dependent. *Hoc unicum saltem accedit, quod paterfamilias, ut talis, ordinem præscribere, & efficere possit, ne una societas alteri noceat, sed potius singulorum officia communem omnium utilitatem promoveant.*

Jura & officia patrisfamilias ex juribus & officiis mariti, patris, domini determinanda sunt. Et si quid novi juris vel officii accedat, id a relatione societatum ad se invicem & illarum unione dependet. Huc inprimis pertinet cura cultus Dei domestici, qua familia in Ecclesiam convertitur, Phil. v. 2. & quæ ita exerceri debet, ne conscientiis vis inferatur. 1. Cor. VII. 12. 13. 1. Tim. VI. 1. 2.

Ca-

CAPVT V.

DE OFFICIIS CHRISTIANORVM IN STATV ECCLESIASTICO.

§. CXXXIII.

ECCLESIA DEI seu CHRISTI est coetus eorum, qui in Christum credunt. Eph. V. 23. seqq. 1. Tim. III. 15. Hi omnes cum eandem fidem habeant, idemque Christi meritum, eandem remissionem peccatorum, & cooptationem in statum & jura filiorum Dei participent, (§. 31, 32.) atque his communibus beneficiis a Christo comparatis & acceptis tum cum Christo, bonorum omnium fonte & principio, tum inter se uniti sint, Eccleſia.

1. *Ecclesia est societas*, (§. 113.) *quæ corpus Christi spirituale constituit, & cujus ipse caput est.* 1. Cor. X. 17. Eph. V. 23.

2. Quia vero omnes fideles nunquam eodem loco & tempore simul existunt, sed per totum terrarum orbem omnibus mundi ætatibus dispersi sunt, & nonnulli illorum æterna gloria jam fruuntur, *Ecclesia ista per universum mundum diffusa est, partim in terra partim in cælo existit, & hinc in* ECCLESIAM MILITANTEM & TRIVMPHANTEM *recte dispescitur.* Iesa. LXVI. 19. 20. II. 2. 3.

Matth. VIII. 11. Jo. X. 16. Ebr. XII. 22. 23. 24.

3. Sed nemo mortalium certo novit, quinam in Christum vere credant. Fides enim in corde abscondita est, quod praeter Deum nemo perierutari valet. 1. Cor. II. 11. *Hinc Ecclesia ista, quatenus est societas fidelium, recte dicitur* INVISIBILIS. Rom. XI. 2. 3. 4. 5.

4. Potest tamen aliquando & alicubi visibilis fieri. Qui enim in Christum credunt, si animadvertant, adesse alios, secum in fide consentientes, & gloriam Redemptoris sui, suamque ædificationem desiderantes, sine dubio & in externam societatem coalescent, ad profitendum nomen Christi, suamque fidem usu mediorum gratiæ alendam & confortandam. Hæc societas cum haud diu latere possit coram mundo, inde oritur ECCLESIA VISIBILIS, *quam recte dicimus societatem, nomen Christi externe profitentium, & mediis gratiæ utentium, ad fidem aut vitam spiritualem conservandam & augendam.* 1. Cor. I. 2. XI. 18. 20. Apoc. I. 20.

5. Media illa gratiæ, a Deo instituta, sunt verbum ejus & sacramenta, quorum usu non tantum fides generatur & augetur, sed & externa nominis Christi professio editur. Equidem & officiis Christianorum, erga Deum, se ipsos, & proxi-

mum

mum, quæ supra enarravimus, nomen Dei & Redemptoris nostri celebratur, Matth. V. 16. 1. Pet. II. 12. & fides exercetur. Act. XXIV. 14. 15. 16. Rom. VIII. 13. 14. 15. Gal. V. 22. Quia vero illa & a membris Ecclesiæ invisibilis, ut talibus, adimpleri possunt, *vera* ECCLESIAE VISIBILIS *criteria sunt externa professio verbi divini, & usus sacramentorum.* Hinc & Christus, cum Ecclesiam sibi colligi juberet, homines baptizari & Evangelium doceri volebat. Matth. XXVIII. 19. 20.

6. At enim vero Evangelium tum pure tum corrupte doceri potest. Sic etiam sacramenta juxta institutionem Christi & contra eam administrari possunt. Cum ergo doctrina verbi & usus sacramentorum criteria sint ECCLESIAE VISIBILIS, *eam merito dispescimus in Ecclesiam veram & falsam.* VERA nimirum est, in qua verbum Dei pure docetur, & sacramenta legitime administrantur; FALSA autem, quæ aut doctrinam aut sacramenta aut utrumque corrumpit;

7. Impossibile non est, ut iis, qui veram Evangelii doctrinam profitentur, & sacramentis recte utuntur, sese adjungant hypocritæ, & eadem sacra externe participent. Fieri etiam potest, ut, qui ab initio crediderunt, fidem suam excutiant, nexum vero externum cum Ecclesia con-

tinuent. *Hinc Ecclesia visibilis non semper ex solis fidelibus constat, sed plerumque, aut forte semper, multos malos & hypocritas continet.* Matth. XIII. 24. seqq. 47. 48. 1. Cor. V. 1. seqq. XI. 18. seqq. Apoc. II. 14. 15.

8. Quia vero Ecclesia proprie est cœtus fidelium, & visibilis dicitur, quatenus externa verbi professione & usu sacramentorum sese manifestat, eatenus autem se illis admiscent hypocritæ, quibus nomen Ecclesiæ non competit, *visibilis ille cœtus, ex bonis & malis mixtus, quem Ecclesiam visibilem vocamus, hoc nomen tantum per synecdochen nanciscitur, nomine scilicet partis alicujus in totum devoluto.*

De variis hujus vocis acceptionibus, in ipsa quoque scriptura occurrentibus, in Theol. Dogm. agi solet. Hic unice observamus, insignia illa prædicata, quibus Ecclesia Christi ornatur, non nisi vere credentibus competere. Hos inter unionem aut vinculum societatis existere, tum ex communibus beneficiis, quæ ab omnibus, diverso licet gradu, participantur, tum ex communibus legibus, quas sequuntur, tum denique ex communi fine constat. Propter hanc unionem dicuntur DISCIPVLI CHRISTI, FRATRES, DOMVS DEI, CORPVS & REGNVM CHRISTI. Fideles in terra adhuc existentes vere sunt ECCLESIA MILI-

MILITANS, propter multos istos hostes, quibuscum illis conflictandum est. Quando Ecclesia in INVISIBILEM & VISIBILEM dispesitur, hæc non est divisio generis in varias species, sed potius determinatio seu distinctio diversorum respectuum ejusdem individui. Si qua vero externa societas vera Christi Ecclesia dici potest, in ea certe peragi debent, quibus finis, in quem ipse missus est, & singularem societatem instaurari voluit, obtineri potest. Hic finis est fides hominum, peccatorum remissio, & animarum salus. Quæ omnia cum non aliter quam pura verbi doctrina & legitimo sacramentorum usu effici possint, in eo etiam criteria Ecclesiæ veræ merito collocamus.

§. CXXXIV.

Officia membrorum Eccl. Invisib.

Ecclesiæ invisibilis membra non sunt, nisi veri Christiani. (§. 30. 133.) Hi ergo cum singulariter & gravius obligati sint ad servandam legem, (§. 36.) & quæ lex illa præcipiat, hactenus satis commonstratum sit, nihil supereſſe videtur, quod addi possit. At enim vero, quatenus ad Ecclesiam pertinent, nova accedit relatio, quæ nova quoque officia poscit. Nam quod in hac societate existant, ingens est Dei beneficium. Deinde hæc ipsa societas est

illa, qua sola Deus coli, & nomen eius celebrari potest. Cum ergo nemo magis ad cultum Dei & glorificationem nominis divini obligetur, quam veri Christiani, (§. 71. 84.) sequitur,

1. *Ecclesiæ invisibilis membra omne suum studium in eo collocare oportere, ut hæc societas perficiatur, conservetur, & augeatur.* Matth. VI. 10. 33.

2. Existit Ecclesia Dei, quamdiu adsunt, qui in Christum credunt. Perficitur autem & augetur, quando credentes in fide confirmantur, &, qui non credunt, ad Christum convertuntur. *Quapropter necesse est, ut quisque se ipsum exploret, num fide instructus sit, ut diligenter scrutetur, ubi & alii filii Dei existant, ut hos non minus quam se ipsum in fide & studio pietatis confirmet, denique ut & infidelium conversionem sibi habeat commendatissimam.* 2. Cor. XIII. 5. Act. XVI. 1. 2. 3. XVIII. 7. XIV. 22. 1. Thess. V. 11.

3. Verbi divini & sacramentorum usus unicum medium est, fidem excitandi & conservandi. Verbum Dei quod attinet, illud quidem a quolibet in suam ipsius ædificationem privato studio tractari potest. Sed maior sine dubio fructus est expectandus, si plures ad sacras meditationes conveniant, &, qui sacrarum literarum periti sunt, eas interpretentur. Hinc & Apostoli, ubi nonnullos ad Evangelium converte-

verterant, doctores constituebant. Act. XIV. 23. Tit. I. 5. Sacramenta Christus ea ratione instituit, ut uni ab altero administrari debeant. Ex qua causa primi quoque Christiani conveniebant, quando sacra cœna frui volebant. 1. Cor. XI. 20. Act. II. 42. Aliorum autem conversio licet prima ætate, cum Ecclesia primum esset colligenda, per extraordinarios nuntios a Deo immediate missos perficeretur, tamen cum hujus generis homines non semper nec ubique adesse possint, illi nihil magis inseruire potest, quam existentia cœtus externi, in quo verbum Dei prædicatur, & sacramenta administrantur. Hæc enim est veluti publica vox Dei in mundo, qua omnes homines ad regnum cælorum invitantur. *Ergo membra Ecclesiæ invisibilis obligantur, conventus ad colendum Deum cogere, & sic visibilem quoque Ecclesiam formare.* Quæ res omnium luculentissime praxi Apostolorum & primæ Ecclesiæ comprobari potest.

4. Opera charitatis singulis quidem hominibus exhiberi debent. (§. 99.) Quia vero membra invisibilis ecclesiæ, h. e. veri fideles tum inter se tum cum Christo, capite suo, perfectiore & sanctiore vinculo uniti, & corporis ejus spiritualis membra sunt, (§. 133.) ex qua causa Christus quoque sibi ipsi exhiberi, ait, beneficia,

quæ fidelibus exhiberentur, Matth. X. 40. XXV. 40. sequitur, *fideles se invicem singulariter & præ aliis hominibus diligere, juvare, & perficere oportere*, Gal. VI. 10.

5. Est etiam officium erga alios, ut illorum conversationem quæramus, aut certe non fugiamus. (§. 105.) Hoc officium cum pro mensura obligationis, eos diligendi, & propriæ utilitatis determinari debeat, eorum quoque consuetudinem & familiaritatem tanto diligentius quæramus & conservemus, qui majori charitatis gradu a nobis prosequendi sunt, & quorum conversatio nobis maxime salutaris est. Jam vero fideles se invicem ut membra corporis Christi & fratres diligere debent. Et præterea frequentius illorum consortium communi ædificationi plurimum inservit. *Hinc & fideles fidelium conversationem diligenter quærant, cum illis familiaritatem colant, & officia ad conversationem pertinentia sibi mutuo fideliter præstent.*

6. Deus dona sua inter fideles inæqualiter distribuit. Sunt fide, scientia, prudentia, aliisque virtutibus nobis inferiores, sunt vero etiam superiores. Hæc dona cum Deus pro sapientissimo suo consilio ita impertitus sit, ut quilibet pro virium & donorum mensura aliis ad communem ædificationem inserviat, quilibet quoque fidelis hanc suam ad alios relationem ante

oculos habeat, & illi conformiter suas actiones componat, *ideoque infirmos non contemnat, multo minus offendat, sed patienter toleret, & cum charitate, modestia, & lenitate eos emendare studeat, firmioribus autem excellentiora dona non invideat, verum potius eos propterea veneretur, & illorum cognitione, prudentia, fide, & pietate in suam emendationem utatur.* Rom. XIV. 1. XV. 1. 2. 7. 1. Cor. VIII. 9. 1. Cor. XII. 4. seqq.

Obligatio fidelium, qui extra Ecclesiam Visibilem existunt, in externam societatem ecclesiasticam coëundi, duplex habet fundamentum, propriam nimirum cujusvis fidelium ædificationem, & officium, nomen Dei profitendi & celebrandi. De quo posteriore cum dictum sit §. 84. 85. motiva quoque obligationis, de qua nunc agimus, inde petenda sunt. Fideles ergo, qui inter homines vivunt, falsæ religioni addictos, qui & illorum sacris hactenus usi sunt, & quibus non datur accessus ad Ecclesiam visibilem veram, aut quia nullibi existit, aut quia nimis remota est, isti, inquam, fideles sine dubio obligantur, sese a falsa Ecclesia separare, & ad cultum puriorem Deo exhibendum distinctos conventus cogere. Quandoque deest occasio. Et tunc satis est, ut ab iis sacris abstineant, quæ impia esse censent, reliquis

utantur, quantum conscientia permittit, ceterum autem ecclesiam domesticam instituant, aut soli privatim Deo serviant. Solus periculi metus ab hoc instituto neminem abstrahere debet, quamquam nec sine necessitate periculis sese exponere quisquam teneatur. Hinc & conventus sacros occultare licet, si solius propriæ ædificationis causa agantur, nec ulla spes veræ Ecclesiæ restituendæ affulgeat. Qui metu periculi, negotii gravitate, virium imbecillitate, nimiæ difficultatis aut deficientis vocationis præsumtione impediuntur, ut visibilem cœtum puriorem non colligant, & hinc corruptelas Ecclesiæ in occulto tantum dolent, forte peccant, sed ex infirmitate, quam Deus pro gratia sua illis condonabit. Melius tamen conscientiæ consulunt, si, prævia deliberatione & invocatione nominis divini, prima occasione oblata, puriora sacra restituendi utantur, & futuros rerum eventus Deo committant. Cæterum cum multæ rationes suadeant, ut vera Ecclesiæ invisibilis membra se invicem nosse studeant, vera quoque filiorum Dei criteria illis perspecta esse debent.

Ecclesia visibilis describitur.

§. CXXXV.

ECCLESIA VISIBILIS est cœtus eorum, qui

qui doctrinam & nomen Christi externe profitentur, & mediis gratiæ in suam ædificationem utuntur. (§. 133.) Quod cum fieri nequeat, si illius membra nunquam conveniant, neque tamen semper uno eodemque loco adesse possint,

1. *Membra Ecclesiæ visibilis certo loco & tempore ad colendum Deum convenire debent*;

2. Hic cultus Dei, qui in frequentia hominum peragitur, PVBLICVS dici solet. *Unde nulla concipi potest Ecclesia visibilis, nisi publicus cultus Deo exhibeatur*;

3. Quemadmodum impossibile est, ut omnes isti, qui eandem Deum colendi rationem sequuntur, statuto tempore eodem loco conveniant, ita diversis locis particulares cœtus congregari possunt, qui omnes in eodem Deum colendi modo consentiunt. *Hi cœtus particulares vere sunt eiusdem societatis partes, eandem Ecclesiam constituunt, & sic efficiunt, ut eadem Ecclesia visibilis per universum terrarum orbem dispersa sit*;

4. Variæ sunt actiones ad cultum Dei publicum pertinentes, & vario ordine peragi possunt. Hic ordo nisi determinatus esset, sed a cujusvis arbitrio penderet, magna inde metuenda esset confusio. At vero Deus omnia decenter & secundum ordinem in Ecclesia fieri vult. 1. Cor. XIV.

XIV. 40. *Ergo & certa regula sacrorum publice peragendorum ubique extare debet.*

5. Præcipuæ actiones, quibus Deus publice colitur, sunt tractatio verbi & usus sacramentorum. *Quando igitur Christiani publice conveniunt, id operam dare debent, ut verbum Dei doceatur, & sacramenta administrentur.*

6. Publica populi institutio nec est in cujusvis potestate, nec, si foret, omnibus permittenda esset. Qualis enim confusio conventus Christianorum perturbaret, si quisque pro arbitrio publice docere vellet, nemo autem ad Ecclesiam docendam vocatus & destinatus foret! Hinc & Christus, licet multos haberet discipulos, tamen duodecim tantum Apostolis munus docendi tradidit. Matth. XXVIII. 19. 20. Et Apostoli rursus, ubi Ecclesias plantaverant, seniores constituebant, qui populum docerent. Act. XIV. 23. Tit. I. 5. Idem servari voluerunt ab Ecclesiis, &, ut eligerent personas, sacro munere haud indignas, Paulus diversis locis docuit, quales oporteret esse Ecclesiæ doctores. 1. Tim. III. 1. seqq. Tit. I. 6. seqq. *Quapropter Ecclesia carere non potest ministris rite vocatis & constitutis, qui munere docendi & sacramenta administrandi fungantur.*

7. Postquam orbis christianus in varias sectas divisus est, doctrina & cultu multis modis

modis distinctas, quæ omnes, excepta unica, falsam doctrinam sequuntur, licet videri velint veram retinuisse & profiteri, vera Ecclesia operam dare debet, ut nec in errores falsarum ecclesiarum consentire videatur, nec doctores publici, falsis principiis imbuti, & impurioribus sacris addicti, admittantur. Id autem evitari nequit, nisi definita extet dogmatum & sacrorum receptorum designatio. Sola enim protestatio, se scripturam sequi, jam non sufficit, cum & falsæ ecclesiæ idem de se glorientur. At vero talis dogmatum characteristicorum recensio dicitur SYMBOLVM seu CONFESSIO FIDEI. *Ergo præsens rerum facies postulat, ut Ecclesia vera sua habeat symbola.*

8. Ecclesia conventus suos celebrat, tum ut ipsius membra in fide & pietate confirmentur, & irregeniti, qui se illorum societati ingerunt, convertantur, tum ut nomen Dei & Redemptoris nostri Jesu Christi celebretur. Huic fini praecipue quidem inservit verbi divini praedicatio, & sacramentorum usus. Sed & multum huc faciunt preces publicæ & communes. Sicuti enim Deus nulla re evidentius colitur, quam precibus, (§. 88.) ita, si publice conjunctis plurium cordibus & vocibus adoretur & invocetur, hæc actio præstantissimus est Dei cultus publicus, in ipsius hono-

honorem tendens. Magnam' præterea vim habet, pietatem & devotionem excitandi, & ampliſſima exauditionis promiſſione ornata eſt a Chriſto. Matth. XVIII. 19. *Quare Eccleſia cultum ſuum publicum ſic inſtruat, ut Deus publicis & communibus precibus coli & invocari poſſit ab univerſa multitudine.* Pſ. LXXXI. 2. ſeqq. LXXXVII. 7. Act. I. 14. Eph. V. 19. Col. III. 16.

9. Tempus quoque certum & fixum eſſe debet, quo Eccleſia conveniat. Quod quamvis in ſe ſpectatum varie determinari poſſit, ſi modo ratio habeatur tum finis per cultum publicum conſequendi, tum aliorum negotiorum humanorum, quæ conſervandæ vitæ, familiæ, reipublicæ & aliis neceſſitatibus inſerviunt, tamen cum Deus diem ſeptimum ſanctificari juſſerit atque hujus rei rationem adjecerit, quæ ad omnes homines pertinet, Exod. XX. & ſeqq. ab hoc inſtituto Chriſtianis recedere non licet. In Vet. Teſt. hic dies erat dies Sabbathi, eundemque primi Chriſtiani aliquamdiu retinuerunt, & diutius retinere potuiſſent. Quia vero ratio legis tantum poſcit, ut ſex diebus labore ordinario exactis ſeptimus Deo ſacer ſit, nec ulla hebdomatis dies tanquam in ſe ſanctior reliquis præferatur, ſed potius Paulus de parte feſti, novilunii, & ſabbathi quemquam judicari vetet, Col. II. 16. ad chri-

christianam libertatem utique pertinebat, pro die sabbathi alium quendam substituere. Cum ergo Majores nostri non parum causæ haberent, externam quoque sacrorum conformitatem cum Judæis tollendi, dies vero solis, quo Christus a mortuis resurrexerat, præ reliquis sempiterna memoria dignus videretur, cultum Dei publicum a die sabbathi in diem solis transferebant. Quam consuetudinem cum nulla sit causa deserendi, *Ecclesia die solis ad colendum Deum merito convenit, quamquam & alios dies, propter singulare Dei beneficium Ecclesiæ olim exhibitum notabiliores, Deo & ejus cultui publico sanctificare possit.*

10. Publica illa Ecclesiæ sacra vix peragi possunt sine ritibus & ceremoniis. Hoc nomine intelligo actiones aut agendi modos, qui ad bonum finem & ordinem in Ecclesia observari solent, a Deo autem nec instituti nec prohibiti sunt. Quamquam & hoc actionum genus non omni respectu prorsus sit indifferens, (§. 10.) ita tamen indifferens dici potest, ut absolute & in genere spectatum neque bonum neque malum sit, sed suam moralitatem a variantibus circumstantiis accipiat. *Hinc Ecclesia, si ritibus opus esse putet, eos definiat, quos sibi bonos & utiles esse censet, eosdem vero aliis Ecclesiis invitis non obtrudat, sed quamlibet hac in re sua libertate frui sinat, & qui*

semel

semel recepti sunt, non temere mutet cum offensione conscientiarum infirmarum.

11. Ecclesia quidem impios & hypocritas exturbare haud potest. Matth. XIII. 19. 20. 38. Si tamen ad vitia publica & scandali plena taceret, &, qui illorum rei sunt, omnibus sacris perinde frui sineret, ac reliquos Christianos, ipsa in turpissimum hunc sacrorum abusum, quo impiorum condemnatio augetur, consentiret, 1. Cor. XI. 27. 29. Matth. VII. 6. & ipsam religionem hostium calumniis exponeret. Ergo necesse est, ut notorie impios ab usu quorundam sacrorum excludat, & resipiscentes non nisi certo modo & ordine sibi reconciliari patiatur. 1. Cor. V. 1. seqq. Determinatus ille modus agendi cum facinorosis, ab arctiore communione ecclesiastica excludendis, dicitur DISCIPLINA ECCLESIASTICA. *Unde & hac Ecclesia merito carere non deberet.*

12. Istæ constitutiones, quibus cultus publicus Deo exhibendus, & ordo servandus in Ecclesia determinatur, cum rationem suam habeat in jure & obligatione, Deum publice colendi, & Ecclesiam visibilem conservandi, hoc autem jus & obligatio ad universam Ecclesiam pertineat, ab universa quoque Ecclesia merito condendæ sunt. Fieri tamen potest, ut exercitium hujus juris ad quasdam idoneas perso-

personas libero consensu devolvat, sed ita, ut nullum jus illis permittatur, Ecclesiæ invitæ quicquam obtrudendi, quo suam conscientiam onerari putat. *Ergo aut tota Ecclesia ipsa de rebus suis disponat, aut vices suas nonnullis membris deferat, ita tamen, ut votum negativum seu jus protestandi sibi semper reservet.*

Officia membrorum Ecclesiæ, ut talium, partim COMMVNIA sunt, conjuncto omnium aut plurium studio adimplenda, partim SINGVLARIA, quæ singulis Christianis seorsim perficienda incumbunt. Ea, quæ nunc perstrinximus, sunt communia. Et primum quidem, cujus mentionem fecimus, pertinet ad conventus publicos, ideoque totam obligationem Deum publice colendi involvit. Hoc officium quin Deo præstandum sit, nemo facile dubitabit, si commoda adsit occasio id agendi, si liberum religionis exercitium permittatur, & si homines, ut pro conscientia Deum publice colant, excitentur & invitentur. Sed si forte prohibitum aut periculosum sit, ad cultum publicum convenire, num & tunc detur obligatio ad eundem, disputatum est. Certe si aliqua lex Dei extat, aut aliæ rationes adsunt, quæ docent, esse Dei voluntatem, ut, qui veram fidem corde amplectuntur, ad eam quoque profiten-

dam, & ad Deum publice colendum conveniant, tanta est hominum obligatio ad cultum publicum, ut iniquum esset, eum ex periculi metu negligere. At vero rationes istas adesse, certum est. Nam 1. ipse Deus cultum publicum in Vet. Test. instituerat, quem Christus non abrogabat, sed potius suo exemplo, dum ipse publicis sacris interesset, confirmabat. 2. Cum Christus Ecclesiam suam inter omnes gentes plantari juberet, non tantum fidem doceri, sed etiam credentes in nomen P. F. & Sp. S. baptizari volebat. Matth. XXVIII. 19. 20. Hic solemnis ritus inter alia in hunc quoque finem institutus erat, ut, qui doctrinam ejus reciperent, publice declararent, se jam Judaismo aut Gentilismo nuncium mittere, in aliam Ecclesiam transire, & Deo P. F. & Sp. S. imposterum servire velle. Quorsum hac re opus fuisset, si sufficeret, corde tantum credere, & Deum privatim, nemine id observante, colere? 3. Officia ministris Ecclesiæ tradita, quibus Ecclesia colligi & conservari debebat, ita erant comparata, ut non nisi in conventibus publicis peragi possent. Huc enim pertinebat verbi divini prædicatio & sacræ cœnæ administratio, quam in frequentia Christianorum fieri oportuisse praxis Apostolorum docet. 1. Cor. XI. 18. 20. 4. Regnum sibi instaurandum esse, quo-

quod esset ecclesia visibilis, Christus multis parabolis commonstravit. Matth. XIII. 24. seqq. 47. seq. XXII. 1. seqq. Impossibile autem est, ut Ecclesia visibilis existat sine conventibus publicis. 5. Apostoli, qui mentem Domini sui optime norant, conventus sacros agebant, ubicunque Ecclesiam plantaverant, & fideles diligenter monebant, ne illos desererent. Ebr. X. 25. Huic instituto primorum temporum Christiani tanto etiam fervore inhærebant, ut nullis periculis & persecutionibus se absterreri paterentur. 6. Cultus ille publicus est publica professio nominis divini, quam siquis propter humanam legem aut ex metu periculi negligeret, homines magis timeret, quam Deum, seque suamque vitam magis diligeret, quam Deum. Quod vero qui agit, non potest esse verus Christianus. Matth. X. 35. XVI. 24. Act. IV. 19. Quin & hæc intermissio cultus publici abnegatio Christi foret. Matth. X. 33. 7. Sine cultu publico paucissimi instrui & confirmari possunt in fide. Nullus quoque datur sacramentorum usus. 8. Dum Christus communes & publicas preces eximia promissione ornat, Matth. XVIII. 19. 20. hoc ipso præcipit, ut Christiani ad orandum conveniant. Præsupposita ergo cultus publici necessitate Ecclesiam quoque cuncta sic ordinare & dis-

ponere oportet, ut finis ejus, qui est co
lebratio nominis divini, & membrorum
ædificatio, obtineri possit. Inprimis po
ritatem doctrinæ & legitimam sacramento
rum administrationem sibi commendatam
habeat. Ritus accidentales & variabiles
ita determinet, ut omnia ordine & de
center, & ad excitandam devotionem, in
conventibus publicis peragantur. Sub
quoque membra salutaribus statutis & le
gibus obliget, ut & extra conventus pu
blicos omnia fiant honeste, & scandala
evitentur. Lex divina, qua dies septima
sanctificari jubetur, non erat ceremonia
lis. Rationem enim, quam ipse Deus
reddit, minime petita est ex typo, aut
singularibus populi judaici circumstantiis
sed ex creatione mundi. Hinc & pro re
octavam aut nonam substituere non licet.
Quod vero Judæi jussi fuerint, inter sep
tem dies ultimam, h. e. diem sabbathi sanc
tificare, minime factum est, quod hujus
diei singularis forte sanctitas adhæreat, sed
quod jam ante legem latam apud Judæos
moris esset, hanc diem cultui divino dedi
nare. Exod. XVI. 23. Quare cum libera
tati christianæ relictum esset, e septem
istis diebus eligere, quam vellent, Chri
stiani pro die sabbathi diem dominicam
substituere utique potuerunt. Externam
cultus divini formam aliasque suæ societa
ti

tis leges Ecclesia præscribere potest, si magistratus nullam illius curam gerit, aut hanc potestatem illi permittit. Quodsi vero princeps Ecclesiæ rationem habeat, & ordinem in Ecclesia servandum ipse determinare vult, hoc ipsi intuitu juris circa sacra denegari haud potest. Videat modo, ne conscientiis vim inferat, nec sacra invitis obtrudat, quibus se offendi subditi protestantur.

§. CXXXVI.

Christianorum obligatio ad unionem cum Eccl. vera.

Ecclesia visibilis vera est cœtus, qui Deum externe & publice colit, veram verbi divini doctrinam profitetur, & sacramentis juxta Christi institutionem utitur. (§. 133. num. 4. 5. 6.) Quodsi ergo illa alicubi existit, homo autem ad eam non accederet, ille & Deum publice colere, & nomen ejus profiteri, & mediis gratiæ in suam ædificationem uti negligeret. At vero Christiani gravissima obligatione tenentur, & externum publicumque cultum Deo exhibendi, & nomen ejus celebrandi, & doctrinam Christi profitendi. (§. 83. 84. 85.) Hinc & membra Ecclesiæ invisibilis, simulac possunt, conventus publicos agere, & Ecclesiam visibilem formare debent. (§. 134. num. 3.) *Ergo Christiani cum Ecclesia*

visibili vera, si qua existit, uniri, aut, si jam illius membra sunt, in eadem perseverare ob- ligantur. Hæc erat causa, cur Christus discipulis suis baptismum applicari volue- rit. Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. & Apostoli omnes, qui Evangelium amplecte- bantur, baptismate in Ecclesiam Christi reciperent. Act. II. 41. VIII. 36. 37. 38. X. 47. 48. Qui vero hoc officium, quem admodum oportet, adimplere vult,

1. *Dogmata & sacra tam veræ quam alia- rum Ecclesiarum probe perspecta habeat, eaque juxta normam verbi divini diligenter ex- ploret, ut verum & falsum a se invicem re- distinguere sciat.* Jo. V. 39. Act. XVII. 11. 2. Pet. I. 19.

2. *Vera religio illiusque professio & vera Dei cultus illi carior & pretiosior sit re quacun- que alia.* Ps. LXXIII. 28. LXXXIV. 2. 3. 11. Prov. VIII. 10. 11. Jer. XV. 16. Apoc. VI. 9.

3. *Caveat sibi ab Apostasia, nullisque con- modis aut periculis se flecti patiatur, ut a vera Ecclesia ad falsam transeat.* 2. Pet. II. 20. 21. Ebr. VI. 4. 5. 6.

4. *Nec quicquam peragat, quo membra Ec- clesiæ falsæ alias dignosci solent, etiamsi id alias ad adiaphora referri possit.* 1. Cor. X. 19. 20. 21. Gal. V. 2. 3.

De publica Dei & doctrinæ Christi profes-

ne, de necessaria cum vera Ecclesia unione, apostasia, separatismo & indifferentismo cum jam disputatum sit §. 85. & Sch. nolo hic ea denuo repetere. Si quis autem quærat, *quid agendum sit membro Ecclesiæ veræ, si inter populos falsæ religioni addictos versetur?* respondeo, non licere sacris illorum uti, neque, si de fide sua interrogetur a superioribus, eam dissimulare, neque ritus observare, qui falsæ religionis signa esse solent; Id enim qui ageret, aliis persuaderet, se in falsam religionem consentire, & hoc ipso veram abnegaret; sed nec necessum esse, ut quis ultro nulla exigente causa profiteatur, displicere sibi religionem ab ista gente receptam, seque aliam habere fidem. Cum enim divina vocatio, ad edendam fidei professionem, hactenus desit, & hinc de voluntate Dei non constet, num nos hoc tempore & sub his circumstantiis veritatis testem esse velit, merum autem silentium pro approbatione falsæ religionis reputari nequeat, præpostera illa confessio temeritas, & tentatio Dei foret.

§. CXXXVII.

Ecclesia visibilis ex conventibus publicis dignoscitur, & qui eos frequentant, pro illius membris haberi solent. (§. 135. num.

Officia intuitu cultus publici.

num. 1. 2.) In his autem conventibus, si Ecclesia sit vera, verbum Dei pure docetur, sacramenta rite administrantur, & Deus publicis precibus invocatur & honoratur. (§. 135. num. 5. 8.) Cum ergo verus Christianus cum Ecclesia visibili vera unitus esse, & data occasione declarare debeat, se illi adhærere, (§. 136.) cumque Deum externe colere obligetur, inprimis celebratione nominis ejus, confessione doctrinæ Christi, precibusque publicis, (§ 83. 84. 85. 88.) denique cum & omnibus mediis ipsi utendum sit, quibus ad cultum Dei semper magis magisque praparari & sanctificari possit, & hæc media sint tractatio verbi & usus sacramentorum, *nemo non videt, magnam adesse obligationem, conventus sacros frequentandi, & cultum Dei publicum in Ecclesia vera participandi.* Ps. LXXXIV. 2. 3. 11. Ebr. X. 24. 25. Quemadmodum autem hoc studium requiritur, tum ut nomen Dei celebretur, tum ut propria cujusvis anima sanctificetur & ædificetur, ita & quilibet ea animi dispositione cultui publico interfit, ut hoc salutari fine potiri queat. Atque huc pertinet,

1. *Animo esse composito, vanasque cogitationes & pravos affectus removere ac compescere, cum loca sacra ad colendum Deum adimus;* Matth. V. 23. 24. VI. 21. 24. XIII. 3. seqq.

2. No-

2. *Nomen ejus invocare, ut cultum, quem ipsi cum aliis sanctis exhibere volumus, sua gratia sanctificet, nobis salutarem reddat;* (§. 87.) Matth. VI. 9. Eph. I. 16. 18. 19.

3. *Preces publicas cum humilitate spiritus, devotione cordis, & certa exauditionis spe in Christo collocata offerre;* (§. 88.)

4. *Verbum Dei summa cum reverentia, attentione, meditatione, ad se suumque statum applicatione, & proposito obsequendi audire;* Luc. VIII. 8. 15. Act. X. 44. XVI. 14. 1 Thess. II. 13. Jac. I. 22. seqq.

5. *Sacramentorum quoque administrationi interesse, Deo pro divinis hisce beneficiis gratias agere, finem, vim, ac efficaciam eorum ponderare, & ut omnibus utentibus salutaria sint, precari.*

Qui putat, privatas preces & verbi divini meditationes non minus, imo quandoque plus habere utilitatis, quam publicas, ideoque publicos Christianorum conventus rarissime aut plane non frequentat, illum memorem esse volumus, 1. *Deum publice* colendum esse, (§. 135. & Sch.) hoc autem fieri haud posse, si omnes in privato cultu acquiescerent; 2. *Libertatem* Deum publice colendi ingens esse beneficium, quo si carendum nobis foret, vera Dei cognitio brevi extingueretur, cujusque adeo contemtus est magna ingrati-

tudo, & ipsius Dei contemtus; 3. Simpliciores, qui tamen publice doceri debent, valde offendi, si videant, prudentiores, aut qui tales esse videntur, cultui publico rarissime interesse; 4. *Deum* ipsum per ministros publice docere & vocare homines, suaque sapientissima directione efficere, ut quisque præter expectationem illi audiat, quo excitari, flecti, in fide confirmari, solatio erigi, &c. possit; 5. *Publicos* conventus & communes preces magnas habere promissiones; Matth. XVIII. 19. 20. 6. *Denique* conventus Sacros etiam cogi, ut Deum profiteamur coram mundo, nomen ejus celebremus, fidem nostram declaremus, & nos Majestatem ejus venerari testemur. Cavendum autem est, ne quis ex mera hypocrisi, aut opinione meriti, aut etiam sine justa devotione cultum publicum frequentet. Illi enim qui agunt, sine dubio peccant. (§. 17.) Sic & illi gravissime delinquunt, qui in conventibus Christianorum & locis Deo sacris petulantiam exercent, & aliorum devotionem quacunque ratione turbant. Hi enim publice testantur, se nullum habere Numinis sensum, nihilque curare ens illud summum & sanctissimum, quod his locis singulari modo præsens est, & ingentia scandala aliis præbent, quorum ipsi Deo rationem aliquando sunt reddituri.

§. 138

§. CXXXVIII.

Intuitu baptismi.

Sacramenta novi fœderis a Christo instituta sunt, ut omnium usibus inserviant. Inprimis BAPTISMVS medium illud est, quo parvuli fide donantur, & in fœdus gratiæ recipiuntur, adultis autem, si iam credant, fides confirmatur. Jo. III. 5. Eph. V. 26. Tit. III. 5. Præterea quoque Christus homines mediante baptismate pro Christianis declarari, & ad professionem ac cultum sanctissimæ Trinitatis solemniter initiari voluit. Matth. XXVIII. 19. Inde vero varia nascuntur officia, Nam

1. *Qui nondum baptizatus est, det operam, ut sacro hoc fonte tingatur.* Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 16. Act. II. 41. VIII. 36. seqq. X. 47. 48.

2. Et quoniam plerisque in gremio Ecclesiæ natis mox post ingressum in hanc vitam naturalem baptismus applicari solet, quo ipso in fœdus gratiæ recepti sunt, *quilibet salutare hoc fœdus baptismale quotidie renovet, tum serio sibi repræsentando maxima illa beneficia, a Deo per baptismum sibi collata, & pro iis gratias agendo, tum vero &, quicquid ipsius nomine promissum est, meditando, approbando, propositum adimplendi illud renovando, & Deum invocando, ut vires ad id necessarias nobis largiri velit.* 1. Pet. III. 21.

3. *Li-*

3. *Liberos nobis natos, ut & alios, qui in noſtra poteſtate ſunt, mature baptizari curemus.* Matth. XIX. 14. Jo. III. 5.

4. Receptum eſt in Eccleſia, ut parvuli & adulti baptizandi ſuæ inaugurationis teſtes habeant, qui eos ad ſacrum fontem comitentur, illorum nomine ſpondeant, aut propriæ ſponſionis teſtes ſint. Hæc conſuetudo licet non ſit neceſſaria, cum baptiſmus in conſpectu totius Eccleſiæ peragi poſſit, multum tamen utilitatis habet, & ex parte patrinorum officium pietatis & charitatis eſt. Nam & ſanctitatem & neceſſitatem baptiſmi teſtantur, & baptizatos in communionem Eccleſiæ immediate recipiunt, & illorum nomine cum Deo paciſcuntur, aut pacti teſtes ſunt, & precibus ſuis divinæ gratiæ eos commendant. *Hinc ſi quis a nobis petat, ut hoc officio fungamur, illud deprecari non licet, ſed potius ex pietate in Deum & charitate in proximum illud lubentiſſime nobis imponi patiamur, baptiſmo cum devotione adſimus, pro baptizando apud Deum intercedamus, illius curam geramus, &, ſi occaſio ita ferat, de fœdere baptiſmali eos moneamus.*

Reiteratio baptiſmi nec neceſſaria eſt, nec mandatum aut exemplum habet in ſcriptura. Hinc & ab Eccleſia merito improbatur. Tanto magis autem neceſſarium eſt, ut

ut fœdus baptismale sæpius renovetur. Beneficia, quæ Deus per baptismum obtulit & contulit, sunt ea omnia, quæ discipulis suis promisit. Voluit enim homines baptismate in numerum discipulorum suorum cooptare. Baptizati autem vicissim promiserunt, se in Deum Patrem, Filium, & Sp. S. credituros, doctrinam Christi professuros, & ad illius normam actiones suas composituros esse. Hinc quilibet Christianus animo suo diligenter volvat, quidnam hac promissione contineatur, semetipsum exploret, qua in re contra eam hactenus peccatum sit, studium suum, promissum Deo datum servandi, renovet, & a Deo opem, vires, & gratiam necessariam petat. Obligatio, parvulos ad baptismum offerendi, a valore pædobaptismi dependet, quem in universali mandato Christi ac in efficacia & virtute baptismi satis fundatum esse novimus. Patrini ab initio adhibiti esse videntur, ut essent testes baptismi vere administrati. Cum itaque infantes in conspectu totius Ecclesiæ baptizari possint, illorum usus non est absolutæ necessitatis. Requiruntur tamen, ut loco parentum infantem ad baptizandum offerant, & hinc illorum vices sustineant, si forte ipsi deficiant, ut infantum nomine fidem christianam profiteantur, ut suæ intercessioni apud Deum

& sin-

& singulari curæ baptizandum habeant commendatum. Hæc omnia cum tendant in nominis divini gloriam & proximi utilitatem, tale officium alicui denegare non licet.

§. CXXXIX.

Intuitu sacræ cænæ.

Cum Christus sacram cœnam instituere, voluit, ut perpetuus illius esset usus in Ecclesia. Dicebat enim: Hoc facite in meam commemorationem, Luc. XXII. 19. Mandatum hoc Apostoli ita interpretabantur, ut, ubicunque Ecclesia existeret, hujus quoque sacramenti usus introducendus esset. Hinc illius virtute Christianis ubique locorum sacram cœnam administrabant, &, ut hic ritus ab iis sancte servaretur, præcipiebant. 1. Cor. XI. 23. seqq. Inde sequitur,

1. *Quemcunque Christianum ad frequentiorem usum sacræ cænæ obligari.*

2. Et quoniam Paulus testatur, magnam illorum esse miseriam, qui sacra cœna indigne uterentur, 1. Cor. XI. 27. 29. *omni studio enitendum est, ut quisque illa digne fruatur.*

3. Hoc autem de iis tantum prædicari potest, qui sacramento hoc ita utuntur, quemadmodum a Christo institutum est, qui sanctissimum hunc ritum id esse credunt,

dunt, quod vere est, & qui in eum finem sacra cæna utuntur, in quem Christus eam destinavit. Enim vero primum constat, utramque speciem a Christo singulariter administratam & institutam esse. Matth. XXVI. 26. 27. 28. Marc. XIV. 22. 23. 24. Luc. XXII. 19. 20. *Ergo & utraque specie huius sacramenti utendum est.*

4. Cum Christus panem & vinum discipulis offerens diceret: Hoc est corpus meum; Hoc est sanguis meus; significabat, se cum pane benedicto corpus suum ad edendum, & cum calice benedicto sanguinem suum ad bibendum exhibere. Neque aliter sententiam magistri sui intelligebant Apostoli. Docebant enim, verum quidem panem & vinum in sacra cæna adesse, distribui, edi, ac bibi, sed cum his externis elementis simul conjunctum esse verum corpus & sanguinem Christi. 1. Cor. X. 16. XI. 26. 27. 28. 29. *Ergo qui sacra cæna digne uti volunt, credant, necesse est, una cum pane corpus, & una cum vino sanguinem Christi sibi vere exhiberi & communicari.*

5. Finis, in quem Christus sacram cænam instituit, est recordatio mortis ejus, 1. Cor. XI. 26. per quam aut historica, aut salutaris & viva intelligi debet. Historica, qualis etiam in sceleratissimum quemvis hominem cadit, nullius est utilitatis.

tatis. Cum itaque in hunc finem, omni utilitate destitutum, res adeo mysteriosa instituta esse nequeat, Christum salutarem & vivam mortis suæ recordationem intendisse, certum est. At vero ea involvit tum ut homo causas & effectus mortis Christi, h. e. satisfactionem pro nobis præstitam, peccatorum remissionem, & reconciliationem cum Deo, recte teneat; tum ut hæc bona tanto pretio sibi comparata efficaciter desideret, tum ut ea sibi a Deo jam offerri credat, in iis acquiescat suamque fiduciam collocet. Ita enim qui mortis Christi recordatur, & fructus illius vere percipiet. *Ad dignum ergo sacræ cænæ usum hoc quoque requiritur, ut redemtionem morte Christi factam certo credamus, ut ea participare cupiamus, ut in ea fiduciam nostram ponamus, & ut salutares hos motus sacræ cænæ usu promovere studeamus.*

6. Fieri potest, ut quis uno alterove requisito, aut forte etiam omnibus, careat. Ne igitur sacra cœna indigne utatur, *antea omnia homo ad mensam Domini accessurus sibi ipsum diligenter exploret.* 1. Cor. XI. 28.

7. Quod dum agit, si forte intelligat, se requisitis istis ad dignum sacræ cænæ usum necessariis carere, omnem operam det, ut hanc fidem hosque salutares motus, quorum mentionem fecimus, sibi comparet, & usu sacræ cænæ, quem intendit, augeat.

augeat ac confirmet. Quod studium cum dicatur PRÆPARATIO, *quisque se ad salutarem sacramenti perceptionem summa cura præparet.*

8. Retentus est in Ecclesia nostra ritus privatæ confessionis & absolutionis, remotis tamen superstitionibus falsisque opinionibus, quæ huic consuetudini in papatu adhærent. Hic mos quamvis a Christo institutus non sit, & hinc sine eo sacramentum digne percipi possit, plurimum tamen habet utilitatis. Nam & confessus docetur, qualem esse oporteat, si sacra cæna in animæ suæ commodum uti velit, & ex verbo Dei convincitur, quod si ita comparatus sit, habeat peccatorum remissionem. Hinc & sui ipsius explorationem & præparationem adjuvat, & fiduciam in Christi merito divinisque promissionibus collocandam promovet. Nec prorsus omni mandato & promissione Christi destituitur. Quando enim inquit, peccata illis remissum iri, quibuscunque ministri Ecclesiæ remissuri essent, Matth. XVIII. 18. Jo. XX. 23. equidem non præcipit, ut quisque ante usum sacræ cænæ in ministro Ecclesiæ absolvatur, vult tamen, ut sacerdotes peccatorum remissionem data occasione annuncient, suamque gratiam & remissionem iis, qui juxta verbum Dei absoluti essent, promittit.

Si ergo privata confessio & absolutio in Ecclesia recepta est, cujus nos sumus membra, nemo eam temere negligat.

9. Sacra cæna non tantum eo momento, quo nobis administratur, sed & post hæc effectus suos salutares in nobis producere debet. Hanc vero utilitatem inde percipimus, si post sacramenti usum animo nostro volvamus, nos participes factos esse corporis & sanguinis Christi, id nobis pignoris loco datum esse in confirmationem, quod & pro nobis individualiter mortuus sit Christus, ideoque nos Deo reconciliatos esse, & habere peccatorum remissionem. Sed quia tantum beneficium non nisi digne utentibus contingit, *homo christianus semetipsum convincat, se sacra cæna digne usum esse, hujus beneficii sæpius recordetur, pro eo nomen Dei celebret, fructus salutares diligenter perpendat, & ne illos iterum perdat, summo studio caveat.*

10. Ea nunc est rerum facies in orbe christiano, ut, quæ in eo natæ sunt, sectæ hujus sacramenti usu a se invicem distinguantur, sic ut illius Ecclesiæ membra esse censeamur, a qua sacram cænam accipimus. Cum ergo quilibet Christianus publice profiteri debeat, se esse veræ Ecclesiæ membrum, nihil autem peragere possit, quod membri falsæ Ecclesiæ signum esse soleat, *sacra cæna publice utendum, minime*

vero

vero ferendum est, ut a falsa Ecclesia nobis administretur.

Verba Christi, quæ primæ administrationi sacræ cænæ adjecta legimus: HOC FACITE IN MEAM RECORDATIONEM; Luc. XXII. 19. 1. Cor. XI. 24. merito pro lege habentur. Etiamsi vero & illa lex non extaret, tamen institutio sacramenti hujus ab ipso Christo facta, instructio, quomodo sacra cæna utendum sit, praxis Apostolorum, magnitudo beneficii, salutares effectus, & id genus alia instar legis forent, (§. 19.) sic ut nemo sibi persuadere possit, perinde esse, sive hoc sacramento frui velit, sive nolit. Finis, in quem institutum est, etiam docet, frequentissime sacra cæna utendum esse. Primi Christiani quotidie, aut certe singulis diebus dominicis ad mensam Domini accedebant. Cum vero pietas paulatim frigesceret, sic ut tota illorum vita non amplius esset continua præparatio ad dignum usum sacræ cænæ, & præterea sacramentum quotidie perceptum vilescere inciperet, mos ille in primis Christi discipulis maximopere laudandus desiit, nec illius restitutio pro præsenti plerorumque Christianorum statu urgeri poterit. Usus tamen frequentior, licet cujusvis explorationi & judicio relinquendus, non satis

commendari potest. Quemadmodum autem propter magnam & multiplicem utilitatem, quam DIGNE utentes percipiunt, sacra cæna sæpius utendum est, ita & hanc dignitatem quisque sibi comparare studeat. Potest illa commode in DIGNITATEM PERSONÆ & TRACTATIONIS dispesci. Per DIGNITATEM PERSONÆ intelligo præsentiam qualitatis, qua nemo carere debet, qui sacra cæna in eum finem uti vult, in quem instituta est. Atqui hunc finem esse salutarem mortis Christi recordationem, divinus ille verborum institutionis interpres, Paulus, 1. Cor. XI. 26. nos docet. Sicuti ergo mortem Christus subiit, ut nos Deo reconciliaret, & peccatorum remissionem nobis mereretur, Rom. V. 10. Eph. I. 7. & salutaris illius fit recordatio, quando hoc λύτρον fiducialiter nobis applicamus, & in eo acquiescimus, ita & sapientissima & gratiæ plena Christi erat intentio, ut hoc sacramento fiducia nostra in ipsius merito collocanda confirmaretur. Nimirum divinæ quidem promissiones sufficiebant, ad convincendum nos, sanguinem Christi pro unoquoque nostrum in peccatorum remissionem effusum esse. Universales enim erant, quas unusquisque ad se in individuo applicare poterat. Sed noverat omniscius cordium nostrorum scrutator, quanta cum diffidentia & in-

& incredulitate nobis luctandum sit, præsertim cum magnitudo peccatorum, maledictio legis, & sensus iræ divinæ conscientiam terret. Hinc cordibus contritis, gratiam Dei & peccatorum remissionem per Christum anxie desiderantibus, tale medium destinare volebat, quod omnem dubitationem prorsus eximeret. Atque hoc erat institutio sacræ cænæ, qua omnibus utentibus cum pane & vino corpus & sanguinem suum edendum ac bibendum porrigit, in certissimam demonstrationem, eos, qui mysteriosa hac ratione corporis & sanguinis ejus participes fierent, hoc pretiosissimo sacrificio vere redemtos esse. Qui ergo hunc in finem sacra cæna uti vult, ille 1. sentiat veram contritionem cordis, 2. desideret meriti Christi participationem, &, quæ cum illo offertur, peccatorum remissionem, 3. afflictam conscientiam consolari cupiat certitudine, sacrificium in cruce oblatum ad se quoque individualiter spectatum pertinere, 4. credat, corpus & sanguinem Christi in sacra cæna secum vere communicari, 5. colligat inde, se quoque salutares fructus sanguinis Jesu Christi in peccatorum remissionem effusi ex intentione Dei participare debere, 6. & hoc fine desideret sacramenti perceptionem. Hæc omnia in vero Christiano habitualiter esse possunt, licet actus

ipsi sese non semper exserant. Fieri itaque potest, ut & in ipso usu sacræ cænæ desint. Quodsi acciderit, adest INDIGNITAS TRACTATIONIS, quæ justa præparatione quam diligentissime caveri debet. Inprimis autem fugienda est indignitas personæ, qua omnes isti laborant, qui necessariis requisitis, quorum nunc mentio facta est, destituuntur, ideoque ad mensam Domini aut ex consuetudine, aut ex hypocrisi, aut ex opinione operis operati vel alia quacunque superstitione accedunt. Multæ sunt magnique ponderis causæ, quæ nos ab indigno usu sacræ cænæ deterrere debent; Nam 1. est turpissimus abusus maximi beneficii divini; 2. est profanatio sanctissimæ partis cultus divini; 3. est peccatum, quod in corpus & sanguinem Christi immediate committitur; 1. Cor. XI. 27. 4. est res periculi plena, cui Deus gravissimam pœnam comminatus est. 1. Cor. XI. 29.

Quod periculum ut evitetur, quisque se ipsum diligenter & candide exploret, scrutando cor suum, num ista requisita, de quibus antea diximus, vere adsint. Quodsi desint, abstineat abusu sacramenti, & operam det, ut prius ad Deum convertatur. Qui enim conscientiam peccatis afflictam non habent, nec gratiam Dei desiderant, illis sacrum hoc epulum destinatum

natum non est. Nam solis contritis & pauperibus spiritu prædicandum est Evangelium, & applicanda medicina. Matth. XI. 5. IX. 12. Sin vero sentiat, se ita esse dispositum, quemadmodum oportet, utatur sacra cœna, sed ita, ut justa præparatio præcedat. Nimirum non sufficit dignitas personæ, in corde habitualiter existens, sed & dignitas tractationis accedere debet. Ergo det operam, ut actus isti contritionis, desiderii, & fidei excitentur, & præsertim in usu sacræ cœnæ conserventur. Fieri hoc poterit, si rerum mundanarum cogitatio ex animo removeatur, si peccatorum nostrorum, mortis Christi, & ipsius sacramenti seria meditatio instituatur, si peccata coram Deo confiteamur, eorum remissionem petamus, & nomen Dei invocemus, ut salutarem nobis esse jubeat, quem intendimus, sacræ cœnæ usum, si, quicquid in nobis mali esse deprehendimus, tollamus & abjiciamus, si nobis caveamus ab omni re, quæ animum ad meditandum res sacras, ad devotionem, & preces ineptum reddit, si magnitudinem beneficii divini nobis conferendi comprehendamus, illudque desideremus. Animo sic composito qui sacra cœna utitur, magnam fidei suæ confirmationem sentiet, & in Domino exultabit. Credit enim, corpus & sanguinem Christi cum

pane & vino sibi dari. Novit etiam, se secum communicari haud posse, nisi & ipse quoque per Christum redemtus fore. Hinc sensibili quadam ratione convincitur, se morte Christi Deo reconciliatum esse. Quia vero ad has meditationes habendas, & ad hos motus sentiendos homo non semper dispositus est, & justa tamen præparatio dignum sacræ cœnæ usum præcedere debet, homo inde simul discat, quando commodissimum tempus adsit, se se ad usum s. cœnæ accingendi. Scilicet si forte lapsus quosdam, tentationes, infirmitates, negligentiam in se sentiat, & dolorem inde concipiat, si variis dubitationibus animus vexetur, si sensus gaudii & acquiescentiæ in Deo desit, si mediis in calamitatibus gratiæ divinæ certitudinem desideret, aut si mortem Christi vel sacræ cœnæ institutionem meditatus beneficium hoc participare cupiat, optimam adesse sciat, occasionem, sese ad sacræ cœnæ usum præparandi, eaque in animæ suæ salutem utendi. Privata confessio & absolutio quamvis non sit absolutæ necessitatis, ubi tamen recepta est, nemo eam bona conscientia negligere poterit. Homo enim sacræ cœnæ in fidei suæ confirmationem cupidus quid magis desiderabit, quam doceri, quomodo illa in salutarem hunc finem utendum sit, & vocem Evangelii audi-

audire, qua gratia Dei & peccatorum remissio annunciatur? Atqui hoc utrumque ipsi per ritum confessionis & absolutionis offertur. Quare non est, cur eum aspernetur. Ceterum quamvis dignitas & efficacia sacramentorum a qualitate & opinionibus ministri administrantis non dependeat, & hinc quoque baptismus ratus habeatur, a quocunque applicatus fuerit, tamen cum usus sacræ cœnæ veluti tessera Ecclesiæ sit, illiusque Ecclesiæ doctrinam approbare censeamur, a qua sacram cœnam accipimus, non nisi in vera Ecclesia & ab illius ministro eam accipere licet.

§. CXL.

Intuitu sanctificationis diei dominicæ.

Ecclesia qualibet die septima, quæ apud nos est dies dominica seu solis, convenit ad Deum publice colendum, idque vi legis divinæ, qua diem septimum sanctificare jubemur. (§. 135. num. 9.) Sicuti ergo quilibet Christianus hunc diem sanctificare obligatur, (§. 137.) ita videndum est, quid hoc respectu ipsi peragendum sit. Vocabulum SANCTIFICARE alias significare solet rem a vulgari usu removere, eamque Deo & ejus cultui destinare. Nec dubium est, quin idem significatus & in lege de sanctificando die septimo retentus fuerit. Quia vero Deus singulis actio-

nibus noſtris coli debet, (§. 71.) & hinc ſi cultus mediatus intelligeretur, non appareret, qua ratione una dies præ altera ſingulariter ſanctificari potuerit, neceſſe eſt, diem dominicam ſanctificari, quatenus immediato Dei cultui tota deſtinatur. Ergo

1. *Chriſtiani hac die abſtineant ab omnibus ordinariis laboribus, quibus alias vi officii vacare ſolent.* Exod. XX. 9. 10. XXXI. 14. 15. XXXV. 2.

2. *Conventus ſacros frequentent, in quibus Deus publice colitur.* (§. 137.)

3. *Reliquam diei partem actionibus ad cultum privatum pertinentibus tranſigant, veluti lectione ſacræ ſcripturæ aliorumque ad ædificationem compoſitorum, meditationibus rerum ſacrarum, precibus, &c.*

4. Solent præterea & alii dies feſti a Chriſtianis celebrari. Neque hoc inſtitutum Deo diſplicere potet. Nam & ipſe Deus in Vet. Teſt. præter diem ſabbati alia feſta inſtituerat, Deut. XVI. tot. & a Judæis inſtituta approbaverat. Eſth. IX. 17. ſeqq. 1. Macc. IV. 59. Jo. X. 22. Scilicet ſicuti æquum eſt, ut Deum pro beneficiis nobis exhibitis publice colamus, ita & illorum memoriam dies ſingulares Deo ſanctificare, pietati maximopere conve-nit. *Quodſi ergo ejusmodi feſta jam inſtitu-*

sint, aut recentius ex pia causa instituantur, illa perinde celebranda sunt, ac dies dominica.

5. Fieri autem potest, ut ipsâ die dominica opus aliquod peragendi occasio nobis subnascatur, quod quidem ad cultum Dei immediatum non pertinet, alias tamen lege divina præceptum est, & jam si non perficeretur, prorsus negligendum foret magno cum nostro aut proximi damno. Hujus generis sunt opera charitatis & necessitatis, quæ moram non patiuntur. Cum igitur Deus & hoc genere operum honoretur, ab illis autem solis actionibus nos abstinere voluerit, quæ alio tempore perfici possunt, Exod. XX. 9. 10. & præterea officium necessitatis & dilationis impatiens præferri debet aliis, (§. 39. num. 3.) *opera charitatis, quæ differri nequeunt, die dominica & aliis diebus festis non sunt negligenda.* Matth. XII. 1. seqq. Marc. III. 1. seqq. Luc. VI. 1. seqq.

Diei dominicæ sanctificationi opponitur illius PROFANATIO, quæ neglectu cultus publici & privati, laboribus ordinariis, qui non ex necessitate sed lucri cupiditate exercentur, rerum mundanarum cura, otio, maxime vero omnium voluptatibus carnalibus, quibus profani homines hac die inprimis indulgere solent, committitur. Ab hoc peccato nos revocare debet 1. *Mandatum*

datum Dei, Exod. XX. 8-11. 2. *Exemplum ejus*, qui ſex diebus opus creationis perfecerat, ſeptimo autem quieverat, Gen. II. 2. 3. quod exemplum cum ab ipſo Deo nobis proponatur, Exod. XX. 11. ſatis docet, quanti momenti ſit diei ſeptimæ ſanctificatio; 3. *Exemplum Chriſti*, qui diem ſabbathi aliaque feſta ſecundum legem celebrabat; Matth. XII. 9. Luc. II. 14. ſeqq. XXII. 7. 8. Jo. V. 1. 4. *Inſignis utilitas*, a ſanctificatione diei dominicæ pendens. Nam Deus ordinavit, ut hac die homines a laboribus ordinariis quieſcerent, animæ curam gererent, ipſum colerent, verbi divini meditatione delectarentur, & hæc obſervantibus largiſſimam benedictionem promiſit. 5. *Turpitudo profanationis*, quæ certe evidens eſt, ſi conſideremus, homines cultui creatoris & redemtoris ſui, a cujus poteſtate ſunt, & a quo ſolo felicitatem & omnis generis proſperitatem expectare poſſunt, ne unum quidem diem ſanctificare velle, ſibi autem & aliis hominibus totum vitæ tempus deſtinare, gratiarum actionem pro tot beneficiis ſex diebus acceptis, & invocationem nominis Dei, ut nobis ſua gratia adeſſe pergat, negligere, curam rerum mundanarum curæ animæ & celebrationi nominis divini præferre, diem, quam Deus ſibi ſanctificari voluit, cultum & honorem ſatanæ transferre, de-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

otio & voluptatibus indulgent; 6. Ingens damnum, quod sibi ipsis inferunt, tum divinæ benedictionis impeditione, tum pœnarum coacervatione, quas Deus cultus sui contemptoribus comminatus est. Festa a Christianis universaliter recepta memoriæ maximorum beneficiorum a Deo per Christum nobis exhibitorum inserviunt, cumque hæc beneficia humano generi eo cum primis tempore contigerint, quo Judæi ex institutione divina dies festos agebant, hoc ipso Deus demonstrare voluit, qua ratione antiquiora festa retineri, sed secundum fidem Christianorum celebrari debuerint. Possunt vero & alii dies festi, tum ad celebrandum Deum pro beneficiis aut universalibus aut particularibus, tum ad deprecandum peccata nostra instituti. Sed si quod festum ad profanandum nomen Dei aut superstitionem alendam ac confirmandam institutum est, id a Christiano salva conscientia celebrari nequit.

§. CXLI.

Intuitu conservationis Eccles.

Ceterum omnes Christiani obligantur, cum vera Ecclesia visibili uniri, si qua jam existit, (§. 136.) aut, si non existit, pia conjunctione eam formare. (§. 134. num. 3.) Præterea dantur communia Chri-

Christianorum officia, quæ si ab omnibus negligerentur, nulla existere posset Ecclesia visibilis. (§. 135.) *Ergo piorum hominum est, ea omnia, quantum in se est, pro viribus præstare, quæ ad conservandam Ecclesiam visibilem requiruntur, & illius commodis ac utilitati inserviunt.* Huc autem pertinet,

1. Ut ministerium ecclesiasticum rite vocatum & constitutum existat. (§. 131. num. 6.) Sed quomodo illud existere posset, nisi, qui Ecclesiæ serviunt, ab ea quoque acciperent, quo se suosque honeste sustentare possent? Ipsi enim omne suum tempus meditationibus sacris, curæ animarum, prædicationi verbi, administrationi sacramentorum, aliisque partibus muneris ecclesiastici impendere debent. *Ergo quilibet Christianus id libenter & prompte solvat, quod ad alendum ministros Ecclesiæ semel destinatum est.* 1. Cor. IX. 7. seqq.

2. Causa, cur Ecclesia ministris verbi carere nequeat, est, ut publica doctrina Christi professio edatur, & Christiani, imprimis simpliciores, ab iis in fide & pietate instituantur. Salutares hujus institutionis effectus valde impediuntur, si, qui verbum prædicant, a cœtu contemnantur, eorumque admonitiones susque deque habeantur. Contemtus enim min strorum ipsi verbo prædicato contemtum parit. *Aequum itaque est*

ut ministri Ecclesiæ justo honore afficiantur, illisque obsequium præstetur. 1. Tim. V. 17. Tit. II. 15. Ebr. XIII. 17.

3. Porro in Ecclesia rituum & disciplinæ regula extare debet, (§. 135. num. 10. 11.) quæ nisi servaretur ab omnibus, magna confusio Ecclesiam perturbaret, & eam tandem dissiparet. Jam vero quilibet Christianus, quantum in se est, efficere obligatur, ut Ecclesia perduret, & omnia ordine & decenter in ea fiant. *Ergo & quisque receptos ritus observare, seque disciplinæ ecclesiasticæ subjicere debet.*

4. SCHISMA est separatio & divisio membrorum ejusdem Ecclesiæ in plures partes. In vera Ecclesia hæc separatio fieri potest, tum defectione quorundam a vera doctrina & sacramentorum usu, tum rituum receptorum rejectione novorumque introductione, tum injusta excommunicatione innocentium, tum alia quacunque distinctione, quæ efficit, ut commune vinculum rumpatur, & membra Ecclesiæ diversas regulas diversaque instituta sequi videantur. At vero primum non licet veram doctrinam aut rectam sacramentorum, administrationem deserere. (§. 136.) Neque recte agunt, qui receptos ritus observare nolunt. (num. 3.) Sic & illi peccant, qui hominem innocentem a communione ecclesiastica injuste excludunt. Ut enim

enim taceam, hoc ipso innocentes homines lædi, quodlibet Ecclesiæ membrum efficere tenetur, ut Ecclesia perduret, & incrementa capiat. Sed brevi dissipabitur tota Ecclesia, si cuivis liceret, alterum pro arbitrio & sine ipsius culpa excludere. Denique nec aliæ distinctiones ferendæ sunt, quibus, qui unam doctrinam eandemque regulam sequuntur, idem & commune vinculum ecclesiasticum non habere, sed in diversas partes divisi esse videntur. Sunt enim omnes ejusdem corporis membra, & hinc iisdem nervis & eodem vinculo spirituali contineri debent. Præterea ex hac distinctione non tantum diversæ fidei præsumptio, sed etiam multiplex discordia, diffidentia, & animorum abalienatio oritur. *Ergo in vera Ecclesia nullum schisma excitari aut tolerari debet.* 1. Cor. I. 10. seqq. X. 17. XI. 18. 19. XII. 25. Phil. II. 2. Gal. V. 20.

5. Ex hac causa approbari haud posse credo, privatos illos conventus, qui in loco, ubi publicum datur religionis exercitium, & quidem ab illius sociis ad communem ædificationem & promovendum pietatis studium coguntur. CONVENTICVLA seu COLLEGIA PIETATIS appellari solent. Qui enim ea instituunt aut frequentant, hoc ipso charactere religioso se se jam distinguunt a reliquis, qui istius modi

modi conventibus interesse sibi haud licere putant. Tum vero & hanc sibi formant opinionem, non esse veros Christianos, pietatis amicos, & salutis suæ cupidos, qui a conventiculis abstinent. Ad quam si accedat persuasio, ut fieri solet, profanos homines vitandos esse, non potest non schisma oriri, quod & diversis nominibus, quibus diversarum partium homines distinguuntur, ut olim in Ecclesia Corinthiaca, 1.Cor. I. 12. se prodit. Quodsi vero vel maxime conventicula frequentarentur, quæ hoc incommodo non laborarent, quod vix fieri poterit, negari tamen haud potest, conventicula, si omnibus permitterentur, uti permittenda forent, schismati proximam occasionem subministrare. *Quibus omnibus probe consideratis statuo, conventicula non esse permittenda si religionis, quam illa profiteri testantur, publicum datur exercitium.*

De Ecclesia Christi sine dubio præclare merentur summi imperantes & alii homines, qui ex suis reditibus ministris Ecclesiæ stipendia solvunt, & in hunc finem aliquam reditum partem legant. Si vero hoc emolumentum desit, aut non sufficiat, quodlibet Ecclesiæ membrum ad honestam ministrorum sustentationem concurrere debet. Nec obstat exemplum Pauli, qui

testatur, se stipendium non accepisse, sed proprio labore de victu & amictu sibi prospexisse. 1. Cor. IX. 15. coll. Act. XVIII. 3. Nam 1. simul docet, æquum esse, ut præconibus Evangelii stipendia porrigerentur, & hoc beneficium aliis quoque Apostolis vere contigisse. 2. Cum Apostoli dono inspirationis gauderent, & hinc præviis meditationibus, lectionibus & præparationibus non indigerent, aliquid temporis illis supererat, quod comparandis alimentis impendere poterant. At vero ministri, qui nunc Ecclesiam docent, totam vitam iis laboribus consumunt, quibus Ecclesiæ inserviunt. 3. Accedit, eos, qui hodie ad sacrum munus præparantur, in hunc finem multum pecuniæ, & quandoque omnes suas opes profundere, ut Ecclesiæ cum fructu ab quando ministrare possint. Ceterum perinde est, sive statuto tempore, sive pacto aliquo labore ad officium pertinens emolumentum hoc illis porrigatur. Honor ministris Ecclesiæ deferendus non tantum ideo necessarius est, ne verbum, quod prædicant, contemnatur, sed & propter muneris dignitatem illis debetur. Ipsi enim vices Christi sustinent, Jo. XX, 21. 2. Cor. V. 20. sunt dispensatores mysteriorum divinorum, 1. Cor. IV. 1. & animarum nostrarum curam gerunt, cui

De

Deo aliquando reddituri sunt rationem. Ebr. XIII. 17. Et quamquam nullum externum honorem affectare, aut vi muneris sibi arrogare debent ministri Ecclesiæ, Matth. XX. 25. 26. 27. tamen eo magis honorandi sunt ab iis, qui illorum officio utuntur. Ritus ad adiaphora pertinent, & hinc nemini invito obtrudi possunt. Siquis tamen in alicujus Ecclesiæ communionem recipi velit, in qua ritus jam sunt definiti, postulare non potest, ut eos negligere sibi liceat. Nam & quilibet alius illud postulare posset. Et quanta tunc esset confusio & infirmorum offensio, si omnibus sacra sub diversis ritibus administrarentur! Quodsi forte aliquo ritu offendatur, adeat ministros doctos & prudentes, & ab illis informationem petat, ut conscientiæ laboranti consulere possit. Disciplina ecclesiastica ab initio introducta est, ut scandala publica, & malæ notæ suspicio evitarentur. Quamvis ergo in iis locis adeo necessaria esse non videatur, ubi ejusdem religionis homines soli habitant, minime tamen negligenda est, ne scandala & facinora ista ab Ecclesia approbari aut vilipendi videantur, ideoque nec infirmiores offendantur, nec obstinati indurentur. Et quo magis aliquem facti mali pœnitet, quo efficacius scandali abolitionem desiderat, eo lubentius disciplinæ

isti sese submittet. Schisma cum in genere separatio quorundam membrorum ab Ecclesia, in cujus communione hactenus extiterunt, aut divisio Ecclesiæ in varias partes dicitur, quandoque aliquid boni esse potest. Exitum enim ex Ecclesia falsa & superstitiosa, & expulsionem hæreticorum ex communione ecclesiastica, quis non laudaret? Sed si in Ecclesia vera & orthodoxa nascitur, non potest non esse ingens malum. Quemadmodum enim in Ecclesia vera verbum Dei pure docetur, & sacramenta rite administrantur, ita & omnes tum in doctrina concordes, tum fraternæ charitatis vinculo conjunctos esse oportet. Si qua ergo fieret separatio, aut veritas aut charitas læderetur. Non improbo intentionem eorum, qui ab initio conventicula instituerunt. Pii illi homines sine dubio studium pietatis hoc medio excitare & promovere voluerunt. Et cum viderent, institutum hoc in quibusdam successu non carere, magnam illius utilitatem, quin & necessitatem asserere coperunt. Sed institutum suum in abstracto tantum contemplati sunt. Non perpenderunt, si uni permittatur, ejusmodi coventus agere, omnibus id permittendum esse, qui conscientiam & studium proximum ædificandi prætexerent. Nec periculosa illa consectaria præviderunt, quæ

pro-

propter accedentes circumstantias, easque inevitabiles, Ecclesiæ metuenda erant. Præter id, quod de Schismate diximus, huc pertinet, quod Collegia illa pietatis cultus publici contemtum & neglectum pariant; quod iniqua judicia de quibusdam Ecclesiæ ministris aut etiam aliis fidelibus & probis hominibus, sed conventiculis non faventibus, gignant; quod multi sub prætextu pietatis ejusmodi conventus in malos fines instituere possint; quod condendis novis sectis commodam occasionem præbeant; quod plerosque ad vanitatem & fastum spiritualem seducant, &c. Quæ omnia si considerentur, & simul hujus etiam rei habeatur ratio, quod Ecclesia conventiculis istis carere possit, boni omnes haud dubie optabant, ut Ecclesia nostra hoc instituti genus semper ignorasset.

CAPVT VI.
DE
OFFICIIS CHRISTIANORVM IN STATV CIVILI.

§. CXLII.

Civitas. Conjunctio plurium familiarum ad communem omnium felicitatem externam & securitatem promovendam dicitur CIVITAS seu RESPVBLICA. Cum igitur homines, præsertim Christiani, obligentur, proximum, sicut se ipsos, diligere, omnes, quantum possunt, juvare & a læsionibus abstinere, (§. 99.) ad hunc finem singulari unione opus non esse videtur. At vero ingens illa humanæ naturæ corruptio homines ad contraria studia semper impellit, sic ut miserrima foret humani generis conditio, si officiornm istorum adimpletio, qua externa felicitas & securitas publica continetur, a solo cujusvis arbitrio expectanda esset. Hinc de societate cogitandum erat, quæ homines ita uniret, ut aliorum studio juvari, & securitate frui possent, etiamsi alii aliis hæc officia sponte præstare nollent. Quæ quidem societas cum concipi haud possit, nisi in ea vis & potentia sufficiens exaret, eos, qui aliis nocere malunt, quam pro-

prodesse, cogendi, ut nemini damnum inferant, sed potius, quantum possunt, societatem & illorum membra juvent, manifestum est, *Rempublicam esse societatem, eo fine compositam, ut ipsa adversus omnis generis læsiones & injurias externa vi defendatur, quælibet illius membra cogantur, ut nemini damnum inferant, & cuncta sic disponantur, ut communis omnium felicitas externa facilius haberi & promoveri possit.* Inde vero sequitur,

1. *Finem totius Reip. esse tum securitatem publicam & privatam, tum felicitatem externam conjunctis aliorum viribus & studiis facilius & plenius obtinendam;*

2. *In ea nec societates nec alia negotia impediri posse, quibus vera humani generis felicitas continetur, sed hæc omnia potius juvanda, promovenda, & perficienda esse;*

3. *In eadem quoque extare oportere jus & potestatem externam, tum securitatem toti civitati & omnibus ejus membris præstandi, tum ea ordinandi, disponendi, & efficiendi, quæ ad bonum publicum totius Reip. faciunt;*

4. Jus vero & potestas illa aut uni personæ aut nonnullis præstantioribus Reipublicæ membris, aut denique omnibus familiarum capitibus tradi potest. Inde oriuntur variæ regiminis formæ, MONARCHICA nimirum, ARISTOCRATICA, & DEMOCRATICA. Atque istæ rursus inter se per-

permiſceri, aut per ſe invicem temperari poſſunt. Quod ſi acciderit, forma Reipublicæ compoſita exiſtit. Cum ergo civitas jure & poteſtate iſta carere nequeat, *aliquam ſine dubio regiminis formam in quacunque civitate adeſſe oportet.*

5. Summum illud jus, in rep. omnia ad illius finem diſponendi & ordinandi, dicitur MAIESTAS, & cui ea competit, ſive ſit unica perſona, ſive integrum collegium, PRINCEPS ſeu MAGISTRATVS SVPREMVS. Reliqui autem, qui ſub jure alterius exiſtunt, SVBDITI appellantur. Inde ſequitur, *Rempublicam eſſe ſocietatem ex principe & ſubditis compoſitam.*

6. Simulac ergo civitates exiſtere coperunt, alios imperantes, alios vero ſubditos eſſe oportuit. Ratio autem, cur alii imperent, & alii ſummæ poteſtati ſubſint, aut in illorum natura & naſcendi conditione, aut in violenta ſubjectione, aut denique in ſpontaneo pacto contenta eſſe debet. At vero, ſi naturam hominum & primam eorum originem ſpectes, omnes ſibi ſunt æquales. Per violentam ſubjectionem unus quidem imperium in alios ſibi rapere potuit. Quia vero ille acquirendi modus cum læſione aliorum conjunctus foret, ejusmodi civitatis fundamentum eſſet injuſtum. (§. 99.) *Ergo nihil remanet, quam ſpontaneum pactum,*

qua

quo plures familiæ in civitatem coalescere possint.

Si homines primæva sanctitate adhuc gauderent, & quilibet sua officia erga proximum sponte adimpleret, non opus esset civitatibus. In statu quidem integritatis plures familiæ uniri potuissent sub communi capite. Sed hæc societas potius paterna, quam civilis fuisset. Itaque hominum vitia, & commune periculum inde imminens omnibus, institutioni Rerump. primam occasionem dederunt. Ab initio, cum pauciores adhuc essent familiæ, quælibet sub suo capite vivebat. Cum vero numerus earum augeretur, & familia potentior infirmiorem opprimeret, sibique subjiceret, reliquæ de uniendis viribus adversus communem hostem, & de securitate conjunctis viribus sibi præstanda cogitabant. Pactum ergo percutiebant de societate ineunda, cujus finis esset publica securitas. Sed mox intelligebant, hanc societatem nullius fore utilitatis, nisi unus esset dux & caput reliquorum, qui vinculum societatis constringeret, pacem inter membra illius conservaret; & omnium viribus ad communem finem uteretur. Cumque experientia doceret, societatem hanc majorem consecuturam esse perfectionem, si membrorum vires non tantum ad

defenſionem adverſus injurias, ſed etiam ad varii generis felicitatem promovendam unirentur, ſupremo capiti jus quoque traditum eſt, ordinandi ea, quæ huic fini inſervire viderentur. Itaque quemadmodum prima civitatum forma ſine dubio monarchica fuit, ita & primus earum finis ſola ſecuritas fuiſſe videtur. Abuſus ſupremæ poteſtatis, quæ in unum devoluta erat, poſtea effecit, ut forma ariſtocratica & democratica introduceretur. Quamvis primæ civitates per violentam ſubjectionem ortæ eſſe videantur, ea tamen ſola dici poteſt juſta & legitima, quæ pacto nititur, niſi violenta ſubjectio præviis laſionibus extorta fuerit. Quod vero de pacto diximus, non ita intelligendum eſt, ac ſi ſinguli imperantes ad gubernacula Reip. novo ſubinde pacto promovendi eſſent. Sufficit enim, ſi Majorum pactum præceſſerit, quo alicui principum familiæ ſumma rerum tradita, & ordo ſucceſſionis conſtitutus eſt.

§. CXLIII.

Illius divina inſtitutio.

Quæcunque ſocietas ad humani generis felicitatem & conſervationem neceſſaria eſt, illa lege naturæ non tantum approbatur, ſed etiam præcipitur. (§. 17.) Et quoniam lex naturæ ſimul eſt divina, (§. 28.)

(§. 28.) talis societas ab ipso Deo instituta & communita esse debet. At enim vero Rebuspublicis humanum genus carere nequit, si secure & tranquille vivere, suamque felicitatem conjunctis plurium viribus promovere velit. (§. 142.) *Ergo fateamur, necesse est, Respublicas ab ipso Deo institutas, ac lege tam naturali quam positiva confirmatas esse.* Cum vero nulla civitas sine principe concipi possit,

1. *Et ipsi magistratus a Deo constituti sunt.* Dan. II. 21. Jo. XIX. 11. Rom. XIII. 1.

2. Fieri quidem potest, ut nonnulli per vim & injustitiam summa rerum potiantur, quem acquirendi modum Deus non approbat. Quia vero nulla respublica stare posset, si nexus civilis a cujuslibet judicio dependeret, sitne magistratus legitime an illegitime constitutus, & Deus omnia sua providentia gubernat, multaque ab ipso minime approbata fieri permittit, cujus rei rationem nos non semper perspicere possumus, & ea ad suos fines sapientissime dirigit, *ille nobis sit magistratus, a Deo constitutus, in cujus potestate existimus.* Rom. XIII. 1.

3. Qui in civitate existit, varias relationes nanciscitur, quæ statum civilem constituunt. Cum igitur civitas sit societas ab ipso Deo approbata & instituta, *talem quoque esse judicemus statum civilem, omniaque*

que jura & officia, huc pertinentia. 1. Cor. VII. 20. Eph. IV. 1.

Divina Rerumpublicarum approbatio, praeter rationem jam redditam, patet, *tum* ex Rep. Ebræorum, quam Deus extare volebat, quamprimum illi ab alieno imperio erant liberati, *tum* ex legibus divinis magistratui pariter ac subditis latis, *tum* denique ex piorum hominum exemplis, quos Deus vel ad summum regimen, vel ad splendidissimas dignitates & officia, in Gentilium quoque regnis, extulit. Neque huic instituto aut Ecclesia aut libertas christiana repugnat. Quemadmodum autem ea, quæ naturali modo eveniunt, & a Deo approbantur, vi providentiæ divinæ, qua omnia gubernantur, Deum habent auctorem, ita & civitates ab ipso Deo institutæ merito censendæ sunt, quod de magistratibus, qui extra Remp. non existunt, ipse Paulus testatur. Rom. XIII. Minus igitur recte intelliguntur loca scripturæ Matth. XX. 25. 26. Luc. XII. 13. 14. Jo. VI. 15. 1. Cor. VI. 1-8. si statum Reip. aut officium magistratus improbare credantur. Nam aut ministris Ecclesiæ vi muneris non licere officium magistratus occupare, nec in Ecclesia Dei judices aut imperantes constitutos esse, aut regnum Christi spirituale non euertere politias hu-

mana

manas, aut non decere Christianos, coram judice gentili & illorum sacris infenso litigare, docent. Oporteret utique Christianos actiones suas ad legem divinam ita componere, ut illis opus non esset judice & gladio. Quia vero & inter populos Christianos mali bonis ubique mixti sunt, Deus extare vult magistratum, qui pios defendat, & impios coërceat. Rom. XIII. 3. 4. Quæstio, num quis jure imperet, & num ipsi præstandum sit obsequium, decidi non potest a subditis, nisi & ipsi partem regiminis participent. Nam paucissimi hac de re judicare possunt, & si a cujusvis judicio dependeret, nec magistratui nec Reip. ulla foret securitas. Hinc lex est sapientiæ plena & Reip. salutaris, obediendum esse illi, in cujus potestate sumus.

§. CXLIV.

Jura majestatica Principum.

Cum in civitate supremus magistratus jure & potestate instructus esse debeat, securitatem publicam conservandi, & felicitatem civium promovendi, (§. 142.) *sequitur, eum omnia statuere & efficere posse, quæ his finibus inservire ipsi videntur.* Huc autem ante omnia pertinet

1. *Jus actiones civium pro arbitrio determinandi, quod alias* IMPERIVM *appellari solet.* Rom. XIII. 1. 1. Pet. II. 13.

2. Ut

2. Ut vero constet, quænam sit voluntas principis, LEGES extare debent, *quas ferendi potestate summus imperans carere nequit.* Atque istæ leges non tantum tendant in securitatem civibus & toti Reip. præstandam, sed etiam communem civium felicitatem promovendam & augendam. Quod posterius cum observantia legum charitatis & amicitiæ impetretur, & studium eas servandi non majus in Rep. sperandum foret, quam extra illam, si a cujusvis arbitrio dependeret, *magistratus sine dubio jus habet, istarum legum auctoritatem suis legibus augendi, & hinc, quæ imperfecte tantum obligabant, in leges perfecte obligantes & cogentes permutandi.*

3. Nulla harum legum foret auctoritas, aut certe nec fortius obligarent, nec majori cum studio servarentur in Rep. quam extra illam, si civibus eam transgredientibus nihil mali propterea metuendum esset. Malum vero illud, quod propter legis transgressionem infligitur, POENA audit. *Ergo & summi imperantes jure pœnarum gaudeant necesse est.* Rom. XIII. 4. Deut. XXV, 1. 2. 2. Sam. I. 15. IV. 12.

4. Pœnæ autem infligendæ sunt, ut delicta & legum in securitatem & felicitatem publicam latarum transgressiones evitentur. Itaque sic comparatas esse oportet, ut ipsos delinquentes emendent

aut aliis terrorem incutiant. Hinc quo majus est damnum aut periculum a delicto dependens, quoque vehementior & frequentior propensio, illud committendi, eo gravior esse debet pœna. Jam vero delicta dantur atrociora, quæ nisi caverentur, nulla civibus expectanda esset securitas, nec pro illatis læsionibus præstari posset satisfactio. Quodsi ergo ista non nisi pœna capitali impediri possent, ea quoque infigenda est, *& hinc summis imperantibus jus vitæ & necis competit.* 2. Sam. I. 15. IV. 12. 1. Reg. II. 31. seqq. 46.

5. Quemadmodum autem ultimus pœnarum finis est salus reipublicæ, atque hæc interdum periclitari potest, si pœna ordinaria omnibus & singulis quocunque tempore infligatur, princeps pœnam quandoque differre, quandoque mitigare, aut condonare potest. 1. Sam. XIV. 45. 2. Sam. XIX. 23. 1. Reg. II. 5. 6. Sic etiam omnes leges a supremo magistratu latæ in hunc finem tendere debent. Cum igitur circumstantiæ variari possint, iisque mutatis actio lege alias prohibita non raro bona & utilis sit, lege autem præcepta noxia fiat, princeps sine dubio actionem lege prohibitam quandoque ipsam legem tollere aut mutare potest. 2. Reg. XII. 4. *Ex hac causa summis imperantibus jus aggratiandi, dispensandi, & abrogandi leges competit.*

6. Hæc

6. Hæc jura exerceri haud possent, multoque minus possibile foret, Remp. adversus externos hostes & publicæ securitatis turbatores defendi, nisi princeps physica quoque potestate instructus esset, obstinatos & immorigeros compescendi, & armatis hostibus resistendi. Ad quam comparandam cum opus sit magnis sumptibus, & princeps illa indigeat ad communem civium salutem & felicitatem conservandam & promovendam, *jus ipsi denegari haud potest, civibus onera imponendi, & tributa ab illis exigendi, ut sumptus facere possit, ad principalem suam dignitatem firmandam & Remp. conservandam necessarios.* Matth. XXII. 21. Rom. XIII. 6. 1. Sam. VIII. 9. seqq.

7. Qui nullum inter homines superiorem habet, sub cujus imperio existit, ille nec ullis legibus humanis subjectus est, nemini rationem actionum suarum reddere tenetur, multo minus a quoquam puniri potest. Jam vero Princeps est ille, qui toti civitati imperat, omnibus leges fert, de illorum actionibus judicat, & jus pœnarum imo etiam vitæ & necis habet. Hinc ipse a subditis, qui omnes sub ejus imperio sunt, judicari nequit. Jam vero tota Resp. ex Principe & subditis constat. (§. 142.) *Ergo Princeps nullis humanis legibus subjectus est, nemini rationem actionum*

suarum

suarum reddere obligatur, & hinc quoque judicari aut puniri ab hominibus non potest. Ex hac causâ sine dubio Dii appellantur, Exod. XXI. 6. XXII. 9. 28. Ps. LXXXII. 1. 6. Dei supremi vices sustinere dicuntur, Rom. XIII. 4. 6. & personæ sanctæ & inviolabiles sunt, Exod. XXII. 28. Eccl. X. 20. Act. XXIII. 5.

8. Quamquam autem summus princeps nulli legi & jurisdictioni humanæ subjectus sit, tamen, cum & ipse sit homo, ideoque communem hominum ad Deum habeat relationem, & præterea independentiam & majestatem suam mediante pacto consecutus sit, quo se civitati securitatem præstiturum, & illius felicitatem promoturum promisit, (§. 142. num. 6.) pacta autem ab omnibus servari debeant, (§. 104.) *nullum est dubium, quin supremi magistratus legem Dei tam revelatam quam naturalem eo sanctius servare teneantur, quo minus humanis legibus & judiciis obstringuntur.* Deut. XVII. 18. 19. 20. Dan. IV. 24.

LEGES, quæ a summo magistratu feruntur, & propterea CIVILES dici solent, *partim* sunt ipsæ naturales & positivæ divinæ, quibus varia læsionum genera prohibentur, & quarum vis obligandi in quacunque Rep. non tantum servari, sed etiam adjectis pœnis arbitrariis, transgressoribus

metuendis, augeri debet; *partim* & aliz, pro circumſtantiarum ratione, quæ illarum neceſſitatem ad conſervandam ſecuritatem publicam monſtrant, ferendæ, quæ vero, ſi juſtæ & honeſtæ ſint, non minus habent auctoritatem & vim obligandi divinam. (§. 29.) Rom. XIII. 5. Leges Hebræorum civiles ſeu forenſes abrogatæ quidem ſunt, deſtructa illorum Rep. & Hierarchia eccleſiaſtica. Quia vero in illis non paucæ erant, moralitatem intrinſecam habentes, & in communi omnium civitatum fine fundatæ, & præterea ab ipſo Deo latæ ſunt, qui civitatem populi ſui ſine dubio omnium ſapientiſſime conſtituerat, chriſtianus princeps hoc legum genus non prorſus negligat, ſed potius ex illis tantum retineat, quantum ratio & ſtatus Reip. ſuæ permittit. Inprimis autem eas retinere debet, quæ ad legem moralem pertinent, & hinc univerſalem habent obligationem. Leges, quæ alias imperfecte tantum, h. e. in conſcientia, obligant, & quarum adimpletio vi extorqueri nequit, princeps in perfecte obligantes, h. e. in tales, ad quas ſervandas ſubditus cogi poteſt, permutandi jus habet. Hoc enim ratio pacti exigit, quo jus in eum devolutum eſt, cives non tantum ſecuros præſtandi, ſed etiam feliciores reddendi. Sed hac in re magna prudentia & circum-

ſpectio-

spectione opus est, ne, si officia humanitatis cujuscunque generis lege civili imperarentur, quilibet sui ipsius rerumque domesticarum curam negligere obligaretur. FINIS POENARVM ultimus est salus reipublicæ, præsertim securitas publica, cui duo alii subordinantur, scilicet emendatio puniendi, & terror aliis incutiendis, ut tanto majori cum studio a similibus delictis sibi caveant. His ergo finibus si nulla pœna, præter capitalem, sufficit, ut fieri potest, ea quoque a magistratu jure infligitur. Neque hic obstat lex de non occidendo proximo. Exod. XX. 13. Nam homicidium est tantum *injusta* aliorum interfectio. Quando autem aliquis vita sua priuatur, quia, ipsius culpa, aliorum saluti sine hoc extremo medio consuli nequit, tunc ille non injuste interficitur. Hinc & ipse Deus, salva lege illa, nonnullos peccatores ad supplicium trahi jussit. Gen. IX. 6. Lev. XX. 2. 27. XXIV. 14. 16. Deut. XXII. 24. Circa jus *aggratiandi & dispensandi* magistratus videat, ne eo utatur contra legem divinam. Quatenus singuli cives, Rempublicam ingressi, de securitate & felicitate publica conjunctis viribus procuranda pacti sunt, simul in opum suarum usum, in hunc finem convertendum, consenserunt, & principi dominium aliquod eminens tradiderunt. Sed

magistratus in imponendis oneribus publicis modum teneat, & conscientiæ rationem habeat, ne subditorum sudore abutatur in suam luxuriam. Leges naturales & divinæ a summis magistratibus servandæ sunt, tum propter illarum universalitatem, & communem omnium hominum conditionem, tum propter alias rationes, quæ illorum obligationem augent. Nam 1. *Imperium a Deo* illis traditum est, cujus administrationis ipsi aliquando reddituri sunt rationem; Rom. XIII. 1. Luc. XVI. 1. seqq. 2. *Personam Dei* referunt, & illius jura vicario nomine exercent, ideoque ipsum tanto magis imitari debent; (§. 82.) Rom. XIII. 4. 6. 3. *Quo plus illis datum est* virium & occasionis, gloriam Dei illustrandi, & hominum salutem promovendi, eo gravior est eorum obligatio; Matth. XXV. 14. seqq. 4. *Ad summorum imperantium exemplum* subditi suum vivendi genus componere solent, ideoque si illi Deum & leges contemnant, non melior erit reliqua populi turba, & hinc scandalis suis Deum & homines offendunt; 1. Reg. XII. 28. seqq. Matth. XVIII. 7. 5. *Pietas principum* populum a perversis moribus revocare, & ad studium veræ pietatis excitare potest; 2. Reg. XXIII. 3. 6. *Deus quoque* illorum pietatem multis præmiis ornare, & pios magi-

magistratibus sua gratia adesse vult. 2. Reg. XVIII. 7. 7. *Cumque sciant*, suam dignitatem a Dei voluntate & providentia dependere, qui regna confert & aufert, tanto magis eum sibi reddere debent propitium. Dan. II. 21. IV. 31. seqq.

§. CXLV.

Officia subditorum generaliora.

Gravissima datur Christianorum obligatio, non tantum a læsionibus abstinendi, sed etiam, quantum possunt, proximum juvandi, & felicitatem ejus promovendi. (§. 99.) Hæc officia sancta illis esse deberent, etiamsi nulla respublica existeret. Postquam autem, mediante pacto, civitatem ingressi sunt, quo se invicem obstrinxerunt, ad securitatem publicam & felicitatem externam conjunctis viribus promovendam, (§. 142.) & pacta ab omnibus, præsertim vero Christianis, servanda sunt, (§. 104.) Deus etiam instaurationem Rerumpublicarum approbavit, aut potius ipse eas instituit, (§. 143.) *novum accessit motivum, & hinc aucta est obligatio Christianorum, in civitate existentium, a læsionibus, quibus aut priuata aut publica securitas turbatur, abstinendi, & publicam salutem totius reipublicæ pro virili promovendi.* Et quoniam a novo hoc nexu novæ relationes dependent, quibus varia jura in

ſummos imperantes devolvi vidimus, (§. 144.) quæ omnia vana forent, niſi illis reſponderet obligatio ſubditorum, hi quoque omne id præſtare debent, cujus præſtandi ratio in juribus & ſtatu ſupremi magiſtratus continetur. Quare cum ille habeat imperium in ſubditos, & poteſtatem leges ferendi, & transgreſſores puniendi, ſuarumque actionum nemini, præter Deum, rationem reddere teneatur, (§. 144.)

1. *Subditi ad omnimodum obſequium erga ſupremum magiſtratum obligantur.* Rom. XIII. 1. 1. Pet. II. 13.

2. Et quoniam magiſtratus eſt ſuperior, ab ipſo Deo conſtitutus, (§. 143.) ſuperioribus autem pro gradu eminentiæ reverentia debetur, (§. 106.) *Subditi magiſtratus ſuos venerari & colere debent.* 1. Pet. II. 17.

3. Præterea ſummi imperantes curam ſubditorum gerunt, pro illorum ſecuritate vigilant, eos tuentur, & illorum felicitatem promovent. Quæ omnia cum ſint ingentia beneficia, & benefactoribus amor & gratitudo debeatur, (§. 108.) *Subditi quoque magiſtratus ſuos diligant, gratum animum teſtentur, & pro illis apud Deum intercedant.* 1. Tim. II. 1. 2.

4. Jus quoque ſummis imperantibus competit, onera imponendi ſubditis, a

cer-

certam pecuniæ summam ab illis exigendi, quam ad conservandam suam dignitatem & Reip. salutem necessariam esse judicant. (§. 144.) *Ergo & subditi id, quod sibi impositum est, prompte & sine obmurmuratione solvant.* Matth. XXII. 21. XVII. 27. Rom. XIII. 6.

5. Denique cum summi imperantes nulli humanæ legi, nullique judicio subjecti sint, (§. 144.) *Subditi sibi caveant, ne de magistratibus suis temere judicent, ab illis rationem factorum suorum poscant, armis contra eos insurgant, aut loco & dignitate sua dejiciant.* Exod. XXII. 28. Matth. XXVII. 52.

6. Quia tamen subditi cum principe pacto convenerunt, ut sibi de securitate prospiceretur, & sub hac conditione ipsius imperio se subjecerunt, (§. 142.) *Subditis sine dubio in quacunque necessitate & periculo ad summum imperantem confugere, & ab eo protectionem & auxilium adversus omnes injurias & læsiones petere licet.* Rom. XIII. 4.

Obedientia erga principem ita temperari debet, ut, si quid jubeat, quod legibus divinis repugnet, illi non obtemperetur, Dan. III. 12. VI. 10. Act. IV. 19. quamquam & tunc nulla vi resistendum, sed injuria patienter ferenda sit. Veneratio etiam, qua princeps colendus est, suis contineri debet limitibus, ne in turpem

adulationem, aut cultum idololatricum abeat. Act. XII. 22. Rebellio ne tunc quidem excusari potest, quando princeps tyrannidem exercet. Nam injustitia magistratus non tollit obligationem subditorum. Et quamquam horum obligatio a pacto dependere, & hinc tantum durare videatur, quamdiu princeps pactum suum servat, tamen, cum hoc pactum non sit mere arbitrarium, sed auctoritate divina communitum, & Deus nexum civilem perdurare velit, etiamsi unus atque alter officium suum negligat, Rom. XIII. 1. princeps quoque sancta & inviolabilis sit persona, quae ab homine judicari nequit, (§. 144. num. 7.) subditi injustitia & tyrannide summorum imperantium a sua obligatione non absolvuntur, sed rem totam Deo, cujus est, Reges instituere & deponere, committere debent. Neque contrarium evincit defectio decem tribuum Israelis a Rege Rehabeam, 1. Reg. XII. 16. seqq. aut tumultus, quo Athalja opprimebatur. 2. Reg. XI. 4. seqq. Siquidem hæc facta aut non prorsus approbanda, aut pro rebellione non habenda sunt. Hæc officia, possibile est, ut a quolibet honesto viro adimpleantur, etiamsi non sit Christianus. Perspicit enim illorum necessitatem & utilitatem; sed impossibile est, ut a Christiano non adimpleantur.

Moti-

Motiva enim longe excellentiora sequitur. Novit 1. *Voluntatem Dei*, & divinam Rerumpublicarum institutionem, Rom. XIII. 1. quæ spirituali regno Christi minime eversæ sunt; Jo. XVIII. 36. Novit, 2. *Magistratus* a Deo constitutos esse, & illius loco Remp. administrare, Rom. XIII. 1. Jo. XIX. 11. ideoque in illis imaginem Dei veneratur; 3. *Officia*, quæ sibi legibus civilibus imposita esse sentit, lege divina jam præcepta esse non ignorat, ideoque illa non ex formidine pœnæ, sed propter suam ipsorummet bonitatem & sanctitatem servat, & servaturus esset, etiamsi nulla lex civilis extaret; Rom. XIII. 5. 4. *Agnoscit ingens* Dei beneficium, quod humano generi institutione civitatum collatum est; 5. *Diligit* principem & cives, & pro illis apud Deum intercedit; 1. Tim. II. 1. 2. 6. *Læsiones* & injurias sibi forte illatas patienter tolerat, & ab omni vindictæ cupiditate alienus est; (§. 109.) 7. *Exemplum Christi* ante oculos habet, qui ipse magistratui politico subjectus erat. Cæterum omnibus iis virtutibus gaudet, quibus qui instructus est, non potest non esse optimus civis.

§. CXLVI.

STATVS SECVRITATIS involvit, ut aut Jura & officia magi-

ſtratus intuitu ſtatus civilis.

non metuenda ſit læſio, aut, ſi illata fuerit, ſatisfactio impetrari poſſit. Hunc ſtatum præcipue intendebant, qui civitatem ingrediebantur. (§. 142.) Nec tantum ab externo & communi hoſte ſecuri præſtari volebant, ſed ſimul & potiſſimum ab iis quibuscum in unam ſocietatem coaleſcebant. Ex hac cauſa ſummo magiſtratui jus tradebatur, omnia ſtatuendi & efficiendi, quæ huic fini inſervire poſſent. (§. 144.) Et quilibet ſubditus in caſu neceſſitatis auxilium principis ſui implorare poteſt. (§. 145.) Jam vero fieri poteſt, ut, Republica licet bene conſtituta, omnibusque adhibitis mediis, læſiones & injurias compeſcendi, unus tamen ab altero lædatur, aut ſe læſum eſſe exiſtimet. Quod ſi evenerit, *ſummus magiſtratus efficere poteſt & debet, ut parti læſæ ſatisfactio præſtetur.* Rom. XIII. 3. 4. Ut autem hoc jure & officio rite fungi poſſit,

1. *Permittere debet, ut quisque eum adire ſuamque cauſam illi exponere queat.* Exod. XVIII. 14. ſeqq. 2. Sam. XV. 3. 1. Reg. III. 16. ſeqq.

2. Et quoniam multi, ſe læſos eſſe, falſo ſibi perſuadere poſſunt, aut etiam ex malitia innocentibus litem quandoque intendunt, *res non ſtatim decidenda, ſed altera pars audienda, & cognitio cauſæ inſtituenda eſt, ut veritas coram judicio explorata*

Deu-

Deut. XIX. 18. 1. Reg. III. 9. Exod. XXII. 10. seqq. XXIII. 1. Prov. XXV. 2.

3. At vero summus imperans, præsertim in ampliore civitate, non sufficit, causis omnibus immediate cognoscendis, & dijudicandis. *Hinc magistratus & judices inferiores constituendi sunt, qui secundum legem a superiore præscriptam omnibus justitiam administrent, ita tamen, ut ab horum judicio ad summum imperantem provocari possit.* Exod. XVIII. 14. seqq. 2. Par. XIX. 5. 1. Pet. II. 13. 14.

4. *Sed sive summus imperans sive magistratus inferior judicet, a partium studio alienus sit*, h. e. quemcunque secundum factum & illius relationem ad legem judicet, nec vel amicitia vel inimicitia, vel donis & promissis se flecti patiatur, ad condemnandum justum, & absolvendum injustum. Exod. XXIII. 6. 7. 8. Deut. XVI. 18. 19. 2. Par. XIX. 6. 7. Jes. X. 1. 2. Jer. V. 27. 28. Act. XXIII. 3.

Hanc justitiam ut judices, tam superiores quam inferiores, exerceant, & suæ conscientiæ rationem habeant, cogitent, 1. *se ad id constitutos esse*, ut subditorum causam cognoscant, & justitiam omnibus administrent, idcoque officium suum deserere, quibus subditorum salus curæ non est; (§. 143.) 2. *Extare mandatum*

tum Dei, de judicio juste habendo; Exod. XXIII. 6. 7. 8. &c. 3. *Se vices Dei sustinere*, apud quem nulla est personarum acceptatio; Lev. XIX. 15. Act. X. 34. Rom. II. 11. 4. *Deo sibi* rationem aliquando reddendam esse; 2. Par. XIX. 6. 7. 5. *Subditos esse* proprietatem Dei, de qua non licet pro arbitrio, sed secundum voluntatem Dei, disponere; Matth. XXIV. 48. seqq. 6. *Iram Dei & horribiles panas* illis esse propositas, qui in judicio iniquitatem exercent; Jes. I. 23. seqq. Jer. XXII. 3. seqq. 7. *Gratiam & benedictionem Dei* illis expectandam esse, qui Deum timent, & faciunt, quod sui est officii. Quemadmodum autem ad haec officia rite adimplenda magna opus est sapientia, & vero timore Dei, ita utrumque ab eo petant judices & magistratus, 1. Reg. III. 9. Jac. I. 5. & diligenter discant, quomodo Resp. bene & sapienter administretur. Ceterum ex his juribus & officiis imperantium facile patet, quaenam illis respondeant SVBDITORVM OFFICIA. *Primum* si laesi fuerint, magistratum adire, & satisfactionem petere possunt. Exod. XVI. 18. XVII. 8. seqq. XIX. 16. 17. Rom. XIII. 4. Quamvis enim Christiani injurias & laesiones sibi illatas condonare, nec summo rigori juris inhaerere debeant

(§. 109.)

(§. 109.) tamen, cum fieri possit, ut ad quasdam læsiones, salvis officiis superioribus, tacere nequeant, cumque satisfactio quandoque exigi possit, salvo amore proximi, & magistratus a Deo ad id constituti sint, ut injurias ulciscantur, illis sine dubio licet officium judicis implorare. Interea omnino quisque sibi caveat, ne temere litiget in foro, & hinc, si fieri potest, aut ipse aut per arbitros æquos & bonos litem componat. 1. Cor. VI. 1. seqq. *Secundo* nemo injuriam sibi factam ipse ulciscatur. Cum enim magistratus sit officium, de causis cognoscere, & sententiam ferre, & Deus per hosce suos ministros officium judicis exerceat, ille, qui vindictam privatam sibi sumit, in jura principis & ipsius Dei involvat, & sine prævia causæ cognitione, ad quam ipse non est idoneus, judicat, quod ne summis quidem imperantibus licet. Hinc & Deus populum suum, si forte lis orta fuerit, ad judices rejicit. *Tertio* vocatus in judicio compareat, & in sententia iudicis acquiescat. Deut. XVII. 12. Quod genus officii cum negligi nequeat, salva obedientia & reverentia erga magistratum, ea quoque hic attendenda sunt motiva, quæ supra recitavimus. (§. 145. Sch.)

§. CXLVII.

§. CXLVII.

Intuitu status œconomici.

Societates familiam constituentes in legibus naturæ suam habent rationem, a Deo ipso institutæ, & legibus divinis communitæ sunt. (§. 114. 124. 129.) Ergo

1. *Magistratus has societates abrogare aut dissolvere nequit*, sed potius, cum Respub. composita sit, ut communis omnium securitas & salus conservetur & augeatur, *eas fovere, tueri, & perficere debet.*

2. Huic fini quam maxime inservit, si leges divinæ, quibus officia istarum societatum continentur, serventur, si jura, quæ facile nimis extendi possent, limitentur, & ea, quæ partium arbitrio relicta sunt, & de quibus lites facile oriri possent, determinentur, & cuncta sic disponantur, ut ordine decenter, & honeste fiant. *Quare etiam summorum imperantium præcipua cura sit, ut societatibus conjugali, paternæ & herili his modis prospiciatur.*

3. Si una harum societatum pars læsa fuerit ab altera, aut læsionem sibi illatam esse credat, in statu quidem naturali suo jure uti potest. At in civitate omnes subjecti sunt summo imperanti. (§. 145.) Nemo injuriam sibi factam ipse ulcisci potest. (§. 146.) Sed omnia deferri debent ad judices, qui, prævia causæ cognitione, de existentia læsionis, de modo læsionis

tisfaciendi, & de obligationis termino judicant. (§. 146.) *Hinc si qua lis orta fuerit inter conjuges, parentes & liberos, dominos & servos, illa in foro magistratus politici dirimenda est.* Exod. XXI. 2. seqq. Deut. XXI. 18. seqq. XXII. 18. seqq.

Cum Resp. ex familiis immediate componatur, tam capita quam membra illarum simul sunt membra Reip. & sub imperio magistratus politici existunt. Hinc sicuti illius cura pro securitate & felicitate civium ad omnia civitatis membra extenditur, princeps quoque leges in statu œconomico servandas ferre, & de causis ad familiam spectantibus cognoscere potest. Sic etiam jura conjugum, parentum, & dominorum limitare & extendere, & ordinem præscribere potest, quo societates istæ vel contrahendæ vel dissolvendæ sint. Nam leges forenses apud Ebræos extabant, e quibus patet, causas matrimoniales & œconomicas ad forum politicum omnino spectare. Sed cavendum est, ne forte legibus civilibus divinæ abrogentur, aut aliquid contra eas permittatur. Capita familiarum in civitate omnia illa jura retinere non possunt, quæ in statu naturali habebant. Sed hæc jactura pro magno lucro habendum est. Nam primo aliqua horum jurium pars, aut potius illius exercitium

ercitium in ſummum imperantem devolvi-
tur, qui, orta lite, remotus a partium ſtu-
dio & affectu vacuus de iuſtitia cauſæ re-
ctius iudicare poteſt, quam partes litigan-
tes, ſecundo iurisdictione in familias ad
magiſtratum delata educationi & inſtitu-
tioni liberorum melius conſuli poteſt,
quam ſi familiarum cura ad principem non
pertineret. Tertio ſi qua pars ab altera
læderetur, ad magiſtratum recurrere, &
illius auxilium expectare poteſt. Hinc eo
lubentius parendum eſt legibus, quæ ne-
gotia œconomica moderantur, & hac quo-
que in re agnoſcendum divinum benefici-
um, quo ſalus familiarum, omniumque
membrorum in illis, non parum iuvatur.

§. CXLVIII.

Intuitu ſacrorum.

Eccleſia viſibilis vera eſt ſocietas, quæ
Deum juxta verbi divini normam colit.
(§. 133.) Evangelium autem non tan-
tum nihil continet, quod fini Reip. repu-
gnaret, aut ipſam civitatem tolleret, unde
etiam Chriſtus inquit, regnum ſuum non
eſſe de hoc mundo, Jo. XVIII. 36. ſed et-
iam auctoritatem magiſtratus politici &
nexum civilem confirmat, Rom. XIII. 1.
ſeqq. & ea officia inculcat, quæ ſi exerce-
rentur ab omnibus, nulla major felicitas
humano generi ſperanda vel optanda fo-
ret.

ret. Quare tum jura summorum imperantium aliquid prohibendi vel impediendi a jure securitatem publicam & felicitatem externam conservandi dependeant, (§. 142.)

1. *Magistratus politicus veram Christi Ecclesiam tolerare debet.* Matth. XXVIII. 19.

2. *Imo si ipse Christianus & hujus Ecclesiæ membrum sit, eam non tantum tolerare, sed etiam perficere, illiusque commoda & utilitatem promovere tenetur.* Ut enim taceam, hoc genus officii ab omnibus membris Ecclesiæ requiri, (§. 141.) princeps, qua talis, earum societatum curam, quibus gloriam Dei manifestari, cives meliores reddi novit, eo magis sibi commendatam habere debet, quo major ipsius est potestas, illarum commodis & vtilitatibus inserviendi. Nam a Deo constitutus est in officio, & huic ipsi aliquando reddenda est administrationis ratio. (§. 143. 144.) At vero doctrina, quam vera Christi Ecclesia tenet & profitetur, nomen Dei celebrat, & civium animos disponit ac flectit, ut Deum timeant, proximum diligant, & ab omni delicto, securitatem publicam turbante, sibi caveant, idque non tam formidine poenae, quam impulsu conscientiæ. Hinc & multi principes de Ecclesia bene mereri studuerunt.

2. Sam. VII. 2. 1. Par. XIV. 1. seqq. 2. Par. VI. 1. seqq.

3. *Nec prorsus impedire potest, falsas Ecclesias in civitate existere.* Qui enim falsam religionem sectantur cives, eam tamen veram esse sibi persuadent, & si eam exercere prohiberentur, illis aliquid peragendum vel omittendum foret, quod falsa conscientia, licet erronea, peragere aut omittere haud possent. Quia vero non licet, quicquam contra conscientiam, quantumvis erroneam, decernere, (§. 49.) illi, qui conscientiæ satisfacere impeditur, summum bonum, quod ipsa vita carius esse debet, adimeretur. Quod cum securitatem civium tolleret, principis autem cura in eo potissimum versetur, ut subditis illa frui liceat, falsæ religiones tolerandæ sunt, nisi gravius impedimentum obstet.

4. Libertas conscientiæ est jus, ita de Deo sentiendi, eumque colendi, quemadmodum de eo sentiri, eumque coli oportere quisque persuasus est. Cum igitur civitates ab ipso Deo approbatæ & institutæ sint, (§. 143.) nulla autem societas ab eo approbari vel instituti possit, in qua conscientia lædenda, aut id peragendum foret, quo Deus contumelia affici, & nomen ejus obscurari creditur, *libertas conscientiæ omnibus permittenda, nec quisquam coge-*

cogendus est, ut suam religionem deserat, & aliam, quam falsam esse putat, amplectatur.

5. Fieri potest, ut sub prætextu religionis periculosi conventus instituantur, quibus aut mores civium corrumpuntur, aut consilia Reip. noxia agitantur. Sic etiam possibile est, ut in aliquo cœtu dogmata pernitiosa spargantur, quæ si exercerentur, securitatem publicam turbarent, & ipsam civitatem everterent. Magistratus autem politicus cavere debet, ne quid detrimenti capiat Respublica. (§. 142.) *Ergo ad illius officium spectat jurisdictionem in Ecclesiam exercere, expositionem & confessionem dogmatum postulare, & si quæ securitati publicæ noxia esse videt, ea prohibere.*

6. Multa sunt in Ecclesia, quæ tum ad ipsius Ecclesiæ, tum ad boni ordinis conservationem requiruntur, quæ vero, salvo systemate religionis, varie determinari, & vel a tota ecclesia, vel a nonnullis membris, vel a principe exerceri possunt. Huc pertinet vocatio ministrorum Ecclesiæ, liturgia, constitutio & vigor disciplinæ ecclesiasticæ, administratio bonorum ecclesiasticorum, ad alendos ministros, aut alias res pias destinatorum. (§. 135.) Cum igitur Ecclesia sit sub inspectione & jurisdictione magistratus politici, atque ille in civitate omnia ad bonum commune & publicum dirigat, ideoque omnibus socie-

tatibus in Rep. existentibus de securitate, felicitate & incrementis prospiciat, (§. 144) quod jus intuitu Ecclesiarum per libertatem tantum conscientiæ, omnibus permittendam, restringitur, *nullum est dubium, quin magistratus politicus ministros ecclesiæ vocare, liturgiam & disciplinam constituere, bona Ecclesiæ administrare, &, si quid in his rebus peccatum fuerit, causam cognoscere, & sententiam ferre possit.*

7. Accidit nonnunquam, ut Ecclesia veterem fidei suæ normam deserat, a legibus ecclesiasticis recedat, variosque abusus & corruptelas admittat. Quodsi tunc in statum pristinum restituitur, & a naevis purgatur, REFORMARI dicitur. Jus igitur reformandi sine dubio illi competit, cujus est, curare, ut societatibus sua constet integritas, ut leges semel receptæ & approbatæ serventur, ut frivolæ transgressiones caveantur, & qui jurisdictionem in societatum membra exercere potest. Atqui hæc omnia ad jura summorum imperantium pertinent. *Ergo jus reformandæ Ecclesiam illis denegari nequit.*

8. Quodsi igitur ad hunc finem opus fuerit conventu Theologorum, de rebus ad religionem & disciplinam ecclesiasticam spectantibus deliberantium, qui CONCILIVM seu SYNODVS appellari solet, ille *etiam a supremo magistratu conuocandus est.*

9. Ca-

9. Cæterum quemadmodum hæc jura summis imperantibus competunt, quatenus sunt principes, & civitatum Rectores, *ita, si ut membra Ecclesiæ considerentur, reliquis omnibus æquales merito censendi, & ad easdem leges servandas obstringendi sunt, cum ratione finis societatis ecclesiasticæ, qui est cultus Dei, nulla personarum eam ingredientium concipi possit inæqualitas.*

Cum de jure principis circa sacra disputatur, ad primum principium jurium majestaticorum, quæ illi vi superioritatis territorialis competunt, respiciendum, nec aliquod IVS EPISCOPALE fingendum est, quod solis ministerialibus, nulla vero jurisdictione, continetur. Hoc autem principium est securitas publica, & externa civium felicitas, quæ duo ita sibi subordinanda sunt, ut quorundam civium felicitas nunquam promoveri possit cum detrimento securitatis publicæ vel privatæ. Hinc princeps potest & debet ea peragere, quæ ad securitatem conservandam, & ad felicitatem civium, salva securitate, promovendam necessaria sunt. Ea vero, quæ his finibus contraria sunt, impedire potest & debet. Quod si ad religionem applicetur, illa in se spectata nec securitati nec felicitati nocet, sed potius utramque non parum juvat. Est enim aliqua

Deum colendi ratio. Et cultus Dei, si in se spectetur, & a præposstero Deum colendi modo, quem nonnulli sectari solent, abstrahatur, minime involvit, ut alios offendamus, aut illorum felicitatem impediamus. Quin potius, cum Deo placeat, quicquid justum, bonum, & honestum est, illi, qui aliquo Numinis sensu tanguntur, justitiæ & honestati actionum, qua humani generis securitas & felicitas continetur, studebunt, etiamsi non metuendæ essent pœnæ civiles. Si vero tota gens Deum & cultum ejus sperneret, sola pœnarum formidine obliganda foret, quod vinculum solum ad compescendos pravos affectus & impedienda delicta non semper sufficit. Hinc summi imperantes, qui Reip. bene cupiunt, omnem dabunt operam, ut animi subditorum religione & reverentia erga summum Numen imbuantur. Et quo perfectior & sanctior est aliqua religio, eo magis eam fovebunt, juvabunt, & amplificabunt. Cum igitur Christianorum religio omnium sit perfectissima, sanctissima, & civitatibus utilissima, ea quoque inprimis toleranda, tuenda, & commendanda est.

Sed jam in civitatibus christianis superflua foret disputatio de tolerantia religionis christianæ. Majoris momenti est quæstio, *quid principi christiano, Eccle-*

sia

sia in tot partes divisa, liceat, & quid ad ejus officium pertineat? Ecclesiam, cujus ipse membrum est, sine dubio tuebitur & perficiet, sive officii sui rationem habeat, quatenus est membrum illius, sive, quatenus est princeps. Hinc operam dabit, ut doctrina semel recepta & approbata conservetur, ut rixæ scandali plenæ & schismata caveantur, ut ecclesiæ ministri docti & pii præficiantur, ut in scholis juventus bene instituatur, ut leges ecclesiasticæ vim suam retineant, ut omnia ordine & decenter peragantur, ut scandala removeantur, ut suo exemplo universum cœtum ædificet. Novit enim, 1. his omnibus Deum coli, 2. salutem animarum promoveri, 3. ideo sibi tantam potestatem datam esse, ut ea in Dei gloriam, & subditorum salutem utatur, 4. & hujus curæ pro ecclesia sibi aliquando reddendam esse rationem. Subditi vero & socii religionis constitutionibus istis eo lubentius parebunt, quo magis sciunt eas sibi esse utiles & proficuas. Aliis civibus, qui diversam religionem amplectuntur, princeps libertatem conscientiæ permittere, eos tolerare, & tueri debet, ut & hi securitate frui possint. Hos enim propter dissensum in religione opprimendi jus neque ex aliquo Dei mandato, neque ex principiis fidei christianæ, neque ex fine reip. neque ex

pacto, quo civitas nititur, demonstrari potest. Mala, quæ forte sentirent, nullo interveniente delicto, læsiones forent, & verendum esset, ne vera religio opprimeretur, si magistratus impurioribus sacris addictus summa rerum potiretur. Quodsi vero tolerandi sunt dissentientes, protegi quoque & defendi debent adversus omnes injurias & vexationes, quamquam non semper publicum religionis exercitium illis concedi possit.

A jurisdictione supremi magistratus nullum Ecclesiæ membrum eximi potest. Tota enim civitas ex Imperante & subditis constat. Et christiana religio vult, ut quilibet, nemine excepto, subjectus sit magistratui. Rom. XIII. 1. Ipse Christus in statu exinanitionis agnoscebat, Pilato in se potestatem esse datam. Jo. XIX. 11. Inspectio in Ecclesiam involvit, tum ut princeps doctrinæ & cultus rationem sibi reddendam poscere, tum ut sacra illius examinare, tum ut leges ecclesiasticas approbare, aut mutare, salvo tamen systemate religionis, tum ut transgressores judicare & pœnis coërcere, innocentes vero tueri possit. Jus ministros Ecclesiæ vocandi proprie supremo magistratui competit. Sunt enim personæ publicæ, officio publico admotæ, & in Rep. dignitate & juribus præditæ. Potest tamen aut to-

ti

ti ecclesiæ, aut aliis quibusdam, qui de Ecclesia bene meriti sunt, permitti, ita tamen, ut a principe confirmatio petatur. Quodsi vero princeps jus illud sibi retineat & exerceat, Ecclesiis concedendum est votum negativum, ne invitis obtrudantur ministri, quos aut salva doctrina aut propter alias causas recipere nequeunt. Ratio cultus divini & disciplinæ ecclesiasticæ ab ipsa quidem Ecclesia aut ejus ministerio describi potest, sed vim legis non habet, nisi approbetur a principe, qui eam quoque mutare & limitare potest, salvo religionis systemate. Sic etiam novas leges condere, & veteres abrogare potest, si circumstantiarum ratio postulet. Jus reformandi Ecclesiam exerceri potest, & cum ecclesia veterem formam deseruit, licet ille vetus Ecclesia manere & videri velit, & quando ab initio corrupta fuit, jam vero sacrorum suorum emendationem desiderat. Præsertim hoc jure reformandi princeps uti potest, cum a sacerdotibus sacra peraguntur, quæ Ecclesiæ displicent. Si vero tota Ecclesia palam fateatur, se pristinam religionis suæ formam rejicere, & aliam desiderare, & prior illa forma vera fuerit, tunc Ecclesia non tam reformanda, quam in aliam transformanda est. Quod num fieri possit, ut satis constet, nova dogmatum & sacrorum designatio exhiberi

debet, de qua ex relatione ad finem Reip. ad pacta antiquiora, & alias circumstantias judicium ferendum est.

Officia subditorum, quæ his juribus respondent, sunt 1. exhibere fidei confessionem, si illius rationem reddere jubeantur; Jo. I. 20. seqq. 2. abstinere a publico religionis exercitio, si impetrari nequeat, & in conventibus domesticis acquiescere; Act. XII. 12. 3. si emigratio imperetur, aliorsum discedere; Matth. X. 14. 4. Persecutiones patienter ferre; Act. V. 41. 5. Legibus ecclesiasticis, a principe latis vel approbatis, obedientiam præstare, si ipsum religionis systema non tollant, curamque & directionem Ecclesiæ illi committere. Primi quidem Christiani ipsi Ecclesias constituebant & regebant. Sed tunc magistratus suum officium deserebat, & si quam illius habebat rationem, id omne in illius oppressionem & persecutionem tendebat. Rebus autem mutatis leges a principe, & non ab ecclesia, condendæ sunt, cujus constitutiones vim legum non habent, nisi auctoritas principis accedat. Cæterum 6. nemo se flecti patiatur aut minis aut promissis, ut religionem, quam veram esse sentit, abjiciat, & aliam amplectatur. (§. 85.)

§. CXLIX.

§. CXLIX.

Intuitu belli & pacis.

Ad securitatem publicam conservandam ante omnia necessarium est, ut cum vicinis Rebusp. pax colatur, aut, si haberi nequeat, vires præsto sint sufficientes, ad hostiles insultus repellendos. Cum igitur summorum imperantium prima cura sit, securam reddere civitatem, & cavere, ne cives hostium invasionibus vexentur & diripiantur,

1 *Abstineant a læsionibus vicinorum, charitatis & amicitiæ officiis bene de illis mereri studeant, & si forte simultates ortæ fuerint, reconciliationem & concordiam transactionibus, satisfactionis oblatione, aut bonis aliorum officiis restituere conentur*; 2. Sam. V. 11. 1. Reg. V. 1. seqq. XII. 21. seqq. XV. 18. seqq.

2. Quia vero possibile est, ut vicini Reip. pacem & incrementa invideant, aut ex opinione læsionis acceptæ, ex cupiditate fines protrahendi, vel alia quacunque ex causa de bello inferendo cogitent, atque hoc periculum averti nequeat, nisi potentiæ majoris formidine, *sapientis principis est, militem conscribere & in armis exercere, apparatum bellicum comparare, terram castellis munire, & alios populos foedere sibi jungere, ut eorum auxilio, si opus fuerit, uti possit*; 1. Sam. VIII. 11. 12. 1. Reg. XV. 18. seqq.

3. Sed neque hæc media semper sufficiunt

unt ad compescendum hostem. Quodsi ergo pax & securitas conservari nequeat, nisi vis opponatur, & damnum hosti inferatur, *principi belligerare omnino licet*; 1. Sam. V. 17. seqq.

4. Cum vero bellum ideo gerere liceat, ut pax extorqueatur, quam hostis sponte dare non vult, & tale bellum dicatur defensivum, manifestum est, *sola bella defensiva esse justa*;

5. Quemadmodum autem pax & securitas unicus finis est, cujus obtinendi causa bellum geritur, *ita & ab hostilitatibus abstinendum est, simulac pax ab hoste offertur, & de futura securitate rationes iniri possunt.* 2. Sam. VIII. 1. seqq.

Gentes in statu naturali considerandæ sunt, ut singuli homines, ideoque mutua charitatis officia sibi invicem deberent, etiamsi ea non exigeret salus Reipublicæ. Bella non simpliciter prohibentur. Matth. V. 44. Rom. XII. 19. 20. Nam Deus magistratum instituit, ut injuriam ulciscatur, Rom. XIII. 4. & in Vet. Test. bella geri ipse jussit. Hinc & Apostolus tantum pacem coli vult, quantam possibile est. Rom. XII. 18. Et fortitudinem bellicam singularem Dei beneficium esse, David fatetur. Ps. XVIII. 35. Quare præceptum illud, de injuriis non ulciscendis, & de damno hostibus non inferendo, quando ad liberas gentes applicatur, intelligi debet cum restrictione, *quatenus id fieri pote*

potest salvis officiis superioribus. Cum igitur sola bella gerere liceat, quæ salvo principis officio evitari nequeunt, per se patet, abstinendum esse a bellis injustis. Justum dicunt esse bellum, quod propter illatam, aut adhuc inferendam & certo metuendam læsionem instauratur. Non enim semper expectandam esse, putant, aggressionem, sed, si certo immineat, anteverti posse. Hinc qui prius invaditur ab altero, nihilo tamen minus quandoque aggressor esse posse creditur. Neque prorsus improbanda sunt hæc principia. Dantur enim læsiones, quæ, si tolelarentur, aut non impedirentur, securitatem Reip. valde turbarent, totam gentem continuis aliorum invasionibus & læsionibus exponerent, cives suis juribus & facultatibus, principem vero potentia eos defendendi privarent. Hæc omnia si princeps impune ferret, officio suo, quo civitati obstrictus est, satisfacere non posset. Sed forte læsiones illatæ aut adhuc metuendæ sunt, quas princeps ferre potest salva salute Reip. quas ulciscendi aut impediendi nulla adest necessitas, ab officii ratione dependens, & quas si bello reprimere vellet, populum suum ingentibus periculis exponeret, quibus, servata pace, carere potuisset. Bellum hoc ego quidem non injustum, minime tamen christianum dixerim. Nam & ad summos imperantes pertinet, offensiones & injurias condonare. Sic & vitæ & sanguini subditorum ex timore Dei & amore proximi parcendum est, etiamsi id non sine aliquo ipsorummet detrimento

to fieri possit. Ergo solum illud belli genus vere justum, pium, & christianum est, quod, salvo officio principis, non poterat evitari, & pro salute ac securitate populi geritur. Hinc & bellum rursus finiendum est, si pax haberi, & officio sine armis satisfieri potest. Cæterum hæc jura vulgo jus belli & pacis dici solent.

Hujus juris intuitu cives obligantur, 1. *Tributa* solvere, quæ alendo militi & conservando apparatui bellico impendi debent; 1. Sam. VIII. 14. 15. 2. *Negotium* belli & pacis Principis arbitrio committere, nec de ejus justitia vel injustitia judicare; 3. *Militiæ* nomen dare, si inferat voluntas principis: Hoc enim vitæ genus pietati & officio christiani minime repugnat. Luc. III. 14. Matth. VIII. 5. 10. Act. X. 1. seqq. 4. *Fidem* principi datam servare; 5. *Illius personam*, jura, & familiam & cum extremo vitæ periculo tueri. Cum enim princeps propter salutem civium tot discrimina subeat, tot curis & laboribus exerceatur, num subditos deceret, salutem principis sui negligere?

Cæterum quæ adhuc restare posse videntur officia, vel principis vel subditorum, ex universalioribus christianorum officiis, superius pertractatis, & singularibus ea exercendi occasionibus, quas status civilis tum summorum imperantium tum subditorum subministrat, facile intelligi possunt.

PARS

PARS TERTIA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

VIRIBVS SPIRITVALIBVS.

PARS TERTIA

THEOLOGIAE MORALIS

DE

VIRTVS SPIRITVALIBVS.

PARS TERTIA
THEOLOGIÆ MORALIS
DE
VIRIBVS SPIRITVALIBVS.

CAPVT I.
DE
DEFECTV VIRIVM NATVRALIVM.

§. CL.

VIRES MORALES id omne denotant, quod rationem existentiæ boni operis in se continet. Est autem bonum opus actio legi conformis, (§. 41.) & cum solæ actiones liberæ bonæ & malæ esse possint, (§. 10.) bona opera oportet esse motus voluntatis, qui ex universali quodam principio determi- Vires morales.

minari possunt & debent. (§. 6.) Cum igitur impossibile sit, ut quis appetat quod lex præcipit, & aversetur, quod prohibet, nisi ipsi lex nota sit,

1. *Vires morales involvunt rectam notitiam legis, & hinc quoque discriminis boni & mali.*

2. Voluntas quoque sic comparata est, ut nihil appetere possit, nisi quod intellectus bonum esse judicat, & nihil aversari, nisi quod malum esse putat. Hæc boni vel mali opinio dicitur motivum. *Ergo ad vires morales etiam motiva pertinent.*

3. Sed nullis motivis flecti posset voluntas, si impedita foret, & contracta quadam impossibilitate laboraret, id approbandi, quod bonum, & id improbandi, quod malum esse intellectus monstrat. *Hinc vires morales exigunt, ut justa relatio voluntatis ad intellectum adsit, h. e. dispositio, judicium intellectus sequendi, seque ad illorum normam ad volendum vel nolendum determinandi.*

4. Quapropter licet notitia legis & motivorum ad vires morales pertineat, quatenus sine illa bonum velle, & malum nolle non possumus, tamen, cum, deficiente voluntatis dispositione bona, notitia illa nihil efficeret, *vires morales sine hoc bio deficiunt, ubi voluntas dispositione & rectione illa ad intellectum privata est.*

5. Impossibile quidem esse videtur, [illegible] hom[illegible]

homo bonum non appetat, cum id bonum esse perspicit. Nam voluntas in se spectata indifferens est ad appetendum & aversandum, & judicio intellectus ad unam alteramue partem flecti debet. Sed fieri potest, ut in voluntate habitus sit, alicujus generis bona aversandi, quæ quidem sub ratione mali aversabitur, sed propter inhærentem habitum nihilo minus aversari perget, etiamsi ex alio principio bona esse intelligat. Neque alia hujus rei ratio reddi potest, cur bonum aversetur, quod ipse tamen bonum esse judicat. *Hinc dispositio voluntatis, quæ ad perficiendum bonum requiritur, & propterea quoque vires morales deficiunt, cum habitus adest, ex obscura vel confusa boni opinione ea appetendi, quæ legi contraria sunt, & ex erronea mali opinione ea aversandi, quæ lege præcipiuntur.*

Qui ex principio in se vero, motiva esse rationes volendi & nolendi, concludunt, positis motivis poni etiam voluntatem & noluntatem illis conformem, non animadvertunt, canonem, *posita causa poni effectum*, semper cum restrictione intelligendum esse, *nisi interveniat impedimentum.* Tale vero impedimentum adest, cum voluntas habitu laborat, illud bonorum genus aversandi, quod verum bonum esse, ex lege constat. Habitus ille bona aver-

sandi semper supponet opinionem mali, sed ita corroboratus & naturæ infixus esse potest, ut, etiamsi melior cognitio deinceps accedat, homo tamen non possit non ea aversari. Cæterum hic habitus non necessario excutit omnem dispositionem judicia recta sequendi, sed tantum respectu alicujus generis bonorum hanc impotentiam infert.

§. CLI.

Fuerunt in primo homine.

Homo ab initio creatus erat ad imaginem Dei, Gen. I. 26. 27. quæ cum involveret rectam rerum scitu ipsi necessariarum cognitionem, Col. III. 10. & perfectam voluntatis sanctitatem, Eph. IV. 24. atque hæc posterior adesse non potuisset, nisi voluntas justam ad intellectum relationem habuisset, *dubium non est, quin in primo homine vires ad bonum sufficientes extiterint.* (§. 150.)

§. CLII.

Nunc autem desunt.

Sed has vires nunc non amplius adesse, ex scriptura satis constat. Nam, teste illa, omne figmentum cordis malum est a prima infantia; Gen. VI. 5. VIII. 1. ex corde egrediuntur pravæ cogitationes, quales sunt homicidium, adulterium, scortatio, &c. Matth. XV. 19. homo naturalis

exca-

excæcatus & alienatus est a vita Dei per ignorantiam in ipso existentem, Eph.IV.18. imo & mortuus est in peccatis, & ambulat secundum concupiscentias carnis. Eph. II.1.2.3. Hinc licet bonum videat, illud tamen peragere nequit. Rom. VII. 18. 19. 20. Nec melius de se ipso sentire potest homo, si propriæ experientiæ rationem habere velit. Nam

1. Rerum omnium ignarus est, cum nascitur. Et quamquam ad adultiorem ætatem progressus rationis usu legem naturæ cognoscere potest, (§. 17.) multarum tamen actionum moralitas ipsum semper lateret, nisi legis divinæ promulgatio accessisset. (§. 19.)

2. Motiva Deo obediendi homo quidem non prorsus ignorat. Quia tamen summa totius legis ad dilectionem Dei & proximi redit, (§. 23.) cujus dilectionis præcipua motiva ex amore Dei per opus redemtionis demonstrato peti debent, (§. 73. 99.) & hoc mysterium rationi prorsus ignotum est, 1. Cor. II. 7. 8. 9. motiva quoque, quæ sola hominem ad diligendum Deum impellere possent, non novit.

3. Etiamsi vero & illa nosset, tamen, cum homo sibi relictus bonis sensualibus & apparentibus delectetur, & voluptatem

ſuam ſenſualem magis ſequatur, quam recta intellectus judicia, ipſi diſpoſitio Deum diligendi, eumque, ut fas eſt, colendi deficeret.

Motiva Deum diligendi nemo habere poteſt, niſi vere regenitus. Quid enim juvat, noſſe, Deum in ſe eſſe ens omni amore dignum, niſi conſtet, eum & in relatione ad nos ſummum bonum eſſe? Atqui ſibi tale bonum Deum non eſſe, omnes credere oportet, qui neſciunt, ſe Deo reconciliatos eſſe per vicariam ſatisfactionem, aut, qui hoc quidem ſciunt, ſimul tamen norunt, ſe hujus meriti participes non eſſe, neque habere peccatorum remiſſionem, ideoque ſibi iram Dei & æternas pœnas expectandas eſſe. Solus autem regenitus certus eſt, ſe Deum habere propitium, ſibique remiſſa eſſe peccata. Unde reliqui omnes genuinis Deum diligendi motivis deſtituuntur. Defectum diſpoſitionis motiva iſta ſequendi, ſi forte innotuerint, experientia quemque docet. Sæpe enim videmus meliora, & tamen deteriora ſequimur. Et quamquam ratio primam hujus mali cauſam ignorat, proximam tamen & immediatam haud difficulter perſpicit. Homo enim recens natus dum vera principia boni & mali non novit, de iis tantum ex ſenſibus aut voluptate & tædio ſenſua-

sensuali judicat, & his principiis solis flecti se patitur. Hunc agendi modum primos vitæ suæ annos servat, illique jam diu totus assuefactus est, antequam ratione sua uti, & aliqua rerum moralium veriore notitia imbui cœpit. Adest igitur habitus, diuturno exercitio contractus, bona sensualia & apparentia appetendi, qui una cum voluptate sensuali & affectibus magnam vim consecutis sese opponit meliobus, sed ab initio valde infirmis & vacillantibus, principiis, quæ meliora bona monstrant, ut illis homo obtemperare nequeat.

§. CLIII.

Propter peccatum originale.

Paulus rationem redditurus, cur bonum, quod videret, peragere non posset, id dependere, ait, a peccato in ipso habitante. Rom. VII. 20. Quod peccatum cum a malis suis actionibus distinguat, aliquod mali principium humanæ naturæ infixum esse debet. Vocabulo in Ecclesia recepto id PECCATVM ORIGINALE dici solet, in scriptura autem PECCATVM simpliciter, Rom. VI 12. CARO, Gen. VI. 3. Jo. III. 6. Rom. VIII. 1. 13. Gal. V. 16. seqq. CONCVPISCENTIA, Rom. VII. 7. Jac. I. 14. COR, Matth. XV. 19. HOMO VETVS, Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. appellatur. *Ergo peccatum*

tum originale causa est, tur vires morales homini deficiant. Gen. VI. 3. Rom. VII. 20. Gal. V. 17. Est autem

1. *Peccatum hoc malum aliquod commune, a parentibus ad totam posteritatem naturali generatione propagatum.* Jo. III. 6. Unde & omnes homines a tramite justi & recti declinasse dicuntur, Ps. XIV. 3. Rom. III. 9. seqq. quod certe evenire haud potuisset, nisi omnes communi malorum principio laborarent.

2. *Involvit defectum divinæ imaginis*, qua hominem naturalem destitutum esse, ex eo satis patet, quod omnes ad imaginem divinam renovari jubeantur. Eph. IV. 24. Col. III. 10.

3. Et quoniam divina imago continebat vires bene operandi, (§. 151.) *illius defectus simul infert impotentiam naturalem faciendi ea, quæ Deo placent.* 1. Cor. II. 14. 2. Cor. III. 5. Gal. V. 17.

4. Cum tamen anima humana nihilominus continuo agat, propter defectum virium moralium autem nihil boni operari possit, necesse est, ut malum operetur, & ad id solum tota sit disposita. *Hinc & peccatum originale est connata quædam concupiscentia seu dispositio habitualis totius naturæ, malum appetendi, & bonum aversandi.* Rom. VII. 7. Gal. V. 19. Eph. II. 1. 2. 3. IV. 17. 18. 19. Jac. I. 14.

5. In

5. In homine duplex est principium, de bono & malo judicandi, ratio & sensus, seu voluptas aut tædium sensuale. Quod ratio bonum vel malum esse monstrat, id etiam vere bonum vel malum est. Sed fieri potest, ut res, quæ voluptatem sensualem creat, & hinc bona esse judicatur, vere mala sit, quemadmodum viciſſim non raro bona est, quæ tædium sensuale excitat, & hoc respectu mala esse videtur. Cum igitur peccatum originale sit dispositio connata totius naturæ, malum appetendi, & bonum aversandi, homo autem, quicquid appetit, sub specie boni appetere, & quicquid aversatur, sub specie mali aversari debeat, sequitur, *connatum illud peccatum esse habitum animæ, in concupiscendo & aversando voluptatem & tædium sensuale, & qui accedere solent, affectus sequendi.* Hinc & naturalis homo, qui sub dominio peccati existit, *desideria carnis* perficere dicitur. Rom. VI. 12. Eph. II. 3.

6. Jam vero ea, quæ lege divina Dei causa peragere jubemur, non ita sunt comparata, ut sensus suaviter afficiant, & voluptatem sensualem creent. (§. 75.) Cum igitur homo naturalis in appetendo voluptatem sensualem sequatur, & hinc illud aversetur & oderit, quod ipsi tædium creat, hujus autem generis actiones sub comminatione pœnarum infernalium

lium a Deo præcipi ſciat, *naturalis illa diſpoſitio, ſeu peccatum originale, non poteſt non eſſe habituale odium & inimicitia adverſus Deum.* Rom. VIII. 7.

§. CLIV.

Corruptio naturæ.

NATVRA MENTIS HVMANÆ conſiſtit in vi agendi, ad certos effectus producendos apta. Si potentia vel habitu gaudeat, determinationibus eſſentialibus conformiter agendi, PERFECTA eſt; Sin vero impotentia adſit id efficiendi, aut habitus contrario modo agendi, IMPERFECTA & CORRVPTA. Actiones, ad quas edendas vis animæ apta eſt, ſunt repræſentationes & volitiones ſeu nolitiones. Eſſentiales vero determinationes, quorſum intellectus & voluntas tendit, ſunt cognitio veri, & appetitus boni, vel averſatio mali. Cum igitur in anima, vi peccati originalis, ſit impotentia verum cognoſcendi, & bonum appetendi, ex adverſo autem habitus, contrarium agendi, (§. 153.) *peccatum originale infert totius naturæ corruptionem & imperfectionem.*

§. CLV.

Reliquiæ virium naturalium.

Interea tamen homo eſſentiam humanam retinuit, quæ ſicuti in ſe bona, ita & immutabilis eſt. Quemadmodum ergo

go corruptio humanæ naturæ ulterius progressa non est, quam salva essentia fieri poterat, ita nunc inquirendum erit, quid natura, valde licet corrupta, adhuc præstare possit. Huc refero

1. *Facultatem percipiendi ea, quæ per externa signa repræsentantur, quorum potestas & significatus alias notus est.* Homo enim ex anima & corpore constat, quæ duo harmonico vinculo inter se unita sunt. Hæc autem harmonia involvit, ut anima percipiat, quæ sensus afficiunt, & corpus peragat, quod anima decrevit. Hinc fieri nequit, quin anima sentiat, si quid illi per signa nota extrinsecus repræsentetur.

2. *Potest etiam naturalis homo cognoscere, Deum existere.* Rom. I. 19. 20. Ad essentiam enim animæ pertinet intellectus & ratio. Harum facultatum vi non tantum ex rebus sensibus objectis ideas abstractas & universaliores formare, sed etiam ex universalibus principiis ratiocinia construere potest. At vero hæc ratiocinandi facultas prorsus deesset, nisi illi perspecta forent nonnulla principia universalia. Ea igitur, quæ omnis cognitionis prima sunt, in natura hominis extare oportet, sic ut virium suarum usu ad illorum notitiam pervenire possit. Enimvero ex his principiis existentia Dei perspicue demonstratur.

tur. Ergo & datur naturalis existentiæ Dei cognitio.

3. *Eadem Ratio nos docet, hominem per ipsas res naturæ multa Dei attributa & opera, nec non aliquod boni & mali discrimen, & varia officia quæ Deo præstanda sunt, cognoscere posse.* Rom. I. 20. seqq. II. 14. 15.

4. Hæc officia dum cognoscit, & non prorsus rationes ac motiva ea adimplendi ignorat, videtur homo per naturam aliquid eorum, quæ lex præcipit, præstare posse. Enimvero ad efficiendum bonum non tantum notitia legis & motivorum, sed etiam dispositio, motiva sequendi, requiritur. (§. 150.) Cum ergo illa deficiat, habitu prorsus contrario in homine existente, (§. 153. num. 4.) non potest efficere, quod ipse bonum & lege præceptum esse intelligit. Fieri tamen potest, ut aliquid eorum, quæ lege præcepta sunt, simul sensus moveat, & aliquam voluptatem sensualem pariat. Nam & ea Deus præcepit, quæ in nostram perfectionem immediate tendunt, & in quibus homo vi amoris erga se ipsum beneplacitum habet. (§. 90.) Hinc quoniam homo in appetendo voluptatem sensualem sequitur, (§. 153.) *aliquid eorum, quæ a Deo præcepta sunt, homo naturalis omnino facere potest.* Rom. II. 14.

5. Quia vero non omne opus, quod ali-

aliquam conformitatem cum lege habet, bonum ſtatim dici poteſt, ſed illud duntaxat tale eſt, quod propter legem a Deo latam editur, in ejus gloriam tendit, & ab amore Dei proficiſcitur, (§. 41.) id vero, quod homo naturalis legi conformiter aliquando agit, ab ipſius voluptate ſenſuali procedit, *quicquid homo naturalis agit, & aliquam cum lege conformitatem habet, bonum opus dici nequit.*

Etiamſi homo, ſalva ſua eſſentia, omnem naturæ vim perdere potuiſſet, Deum ſuamque erga eum obligationem cognoſcendi, tantam tamen illius corruptionem permittere, res Deo minus digna fuiſſet. Deum enim, & legem divinam, ſuaque officia ſi non agnoſceret, nec extremam ſuam miſeriam videret, nec futuris peccatorum pœnis terreri poſſet, nec auxilium, quo indiget, deſideraret, nec, ſi offerretur, acceptaret. Sic etiam nullo modo obligari potuiſſet, ſi omnis rationis uſus ab eo ablatus fuiſſet. (§. 35.) Quousque autem vires naturæ in cognoſcendis rebus divinis progredi poſſint, longe facilius ex experientia, quam a priori cognoſcitur. Et hac in re alios aliis ampliores facere progreſſus, ex exemplo Cornelii conſtat. Act. X. 1. ſeqq. Quicquid autem virium naturalium nobis adhuc ſupereſt, id omne

ad

ad cognoscendum & colendum Deum con-
verti debet, licet opera hujus generis non
habeant omnia boni operis requisita. Vid.
§. 41. Sch.

§. CLVI.

Varius hominis naturalis status.

Ex hac rerum divinarum cognitione naturalibus viribus comparanda, & ex vario usu voluptatis & tædii sensualis ad actiones & animi dispositiones determinandas, VARIVS HOMINVM NATVRALIVM STATVS oritur. Nam

1. Sunt, qui nullam legis divinæ, ira maledictionis, & pœnæ peccatorum scientiam habent, aut ad hæc omnia non attendunt, aut istarum considerationum, si forte in animo excitentur, effectus contrariis persuasionibus vanis impediunt & supprimunt. Hi sine metu & propria conscientiæ compunctione voluptatem sensualem & affectus suos libere sequuntur, & propterea in STATV SECVRITATIS existere dicuntur. Atque huc sine dubio pertinent, quos scriptura *sine lege vivere* dicit, Rom. VII. 9. & qui non ipsi tantum injustitiam exercent, sed & beneplacitum in iis habent, qui similia perpetrant. Rom. I. 31.

2. Hoc ipsum genus hominum cum affectibus suis prorsus indulgeat, habitum

sibi comparabit, quacunque voluptate sensuali fruendi, quam primum illius percipiendæ adest occasio. SCELERATI seu VITIIS MANCIPATI recte illi dicuntur, quorum imaginem pingit Apostolus Rom. I. 26. seqq.

3. Potest autem hic habitus adeo corroborari, ut tandem in necessitatem abeat, & homo nullis motivis, quæ alias vim quandam in naturali quoque homine exercere solent, flecti amplius possit. Id si acciderit homini, INDVRATVS dicitur. Exod. VII. 22. Jes. VI. 10. Rom. II. 5.

4. Alii legis habent notitiam, nec non transgressionum suarum, iræ divinæ, & pœnarum infernalium, quæ omnia non tantum in se mala sunt, sed etiam sensus & imaginationem ex parte movent, & tædia sensualia creant. Inde oritur dolor, tristitia, metus, & aversatio. Quia vero peccatis delectari pergunt, cum voluptate quidem, sed non sine omni doloris, metus, & conscientiæ mordentis sensu peccant. Hi sunt, quos SVB LEGE & SERVITVTE PECCATI esse dicimus. Rom. VI. 20. 21. VII. 9. 10. 11.

5. Horum alii dolore & metu ex peccati & iræ divinæ sensu percepto utuntur ad impugnandam nimiam voluptatis sensualis vehementiam, & quoniam his mediis beneplacitum in peccato vincere nequeunt,

queunt, ſibi tantum cavent ab actionibus, quibus deſideria carnis exercentur, præſertim cum credunt, qualemcunque vitæ emendationem Deo acceptam fore. Hoc ſtudium, actiones ſuas externe ad normam legis componendi dicitur HONESTAS MORVM, Act. XVII. 12. Rom. II. 14. & ſi motiva ex contemplatione Dei & attributorum divinorum petuntur, TIMOR DEI NATVRALIS. Act. X. 2.

6. Alii in ſola pœnarum, quæ ſibi expectandæ ſunt, & earum magnitudinis ac gravitatis conſideratione ſubſiſtunt, & quia nihil habent, quo ſe conſolari poſſint, metus & triſtitia tantam acquirit vim & efficaciam, ut in DESPERATIONEM abeat. Gen. IV. 13.

7. Cæterum bona illa ſenſualia, quæ naturalis homo concupiſcit, varii ſunt generis. Quemadmodum enim non eædem in omnibus ſunt opiniones de hoc genere bonorum, ita nec eadem bona æquali modo afficiunt omnes. Hæc diverſa bonorum ſenſualium ad opiniones & ſenſus hominum naturalium relatio efficit, ut diverſa ſectentur bona appetentia, &, quod unus vehementer appetit, alter non raro averſetur. 1. Jo. II. 16. Quando autem aliquis malum aliquod odit, quod alteri tantopere placet, hujus rei cauſa eſt, quod illud alii bonorum ſenſua-

sensualium & apparentium generi repugnat, in quo ipse suum habet beneplacitum. Habituale illud alicujus mali desiderium, quo naturalis homo movetur ad aversanda quævis contraria, sive sint bona sive mala, PECCATVM REGNANS appellatur. Quod peccati genus licet in plerisque existat, dantur tamen homines, qui varia diversaque bonorum sensualium & apparentium genera gradu vehementiore sectantur, & hi in quælibet vitia effusi sunt.

Homines naturales duplicis sunt generis. Alii solis principiis naturalibus in judicando & appetendo utuntur, alii vero nonnihil rerum divinarum ex sacris literis didicerunt. Illi sensu magis speciali homines NATVRALES & ANIMALES, h. e. ψυχικοὶ appellantur, 1. Cor. II. 14. hi vero potius CARNALES quam mere naturales dicendi sunt. Rom. VIII. 5. 6. 7. Utriusque generis homines in statu tum SECVRITATIS, tum SERVITVTIS existere possunt. Equidem omnis homo irregenitus est sub DOMINIO PECCATI, & hinc in STATV SERVITVTIS. Rom. VI. 12. 20. Sed quoniam multi hanc servitutem & dominium peccati non sentiunt, verum potius libere, sponte, & secure illi serviunt, distinctio illa suo fundamento non

caret. Securitatem vero non tantum efficit & auget, veritatum naturalium ignorantia, aut attentionis defectus, & continua peccandi consuetudo, sed etiam quandoque veritatum cælestium, quas quis ex sacris literis didicit, abusus, ex. gr. Deum magna misericordia & longanimitate cum hominibus uti, posse hominem adhuc in ultimo vitæ articulo converti, procul adhuc abesse vitæ terminum, &c. INDVRATIO CORDIS oritur ex continuo exercitio proæretice peccandi, etiamsi motiva naturalia adsint, quæ suadent contrarium, & ad id mentem hominis flectere possent. Habet enim homo hujus generis motiva, a propria vtilitate vel damno, a sua suorumque felicitate vel infelicitate, a fama bona vel mala, a sanitate vel morbo corporis, ab honore vel contemtu, & aliunde desumpta, quibus si recte uteretur, minimum externæ honestati studeret. Sed ad hæc motiva vel prorsus non attendit, vel illis nimium voluptatis sensualis prædominium opponit, & dum hac ratione cum proæresi peccare pergit, tandem habitum seu potius necessitatem peccandi sibi contrahit, spretis omnibus motivis, quæ in contrarium proponuntur, & ab ipso non ignorantur. Si vero induratio cordis respectu rerum naturalium adest, homo & respectu rerum spiritualium induratus erit,

erit, sic ut motiva spiritualia, quantumvis divina virtute prædita, in ipsius cor penetrare nequeant. Quam ob causam scriptura hujus generis hominibus cor lapideum tribuit. Ezech. XI. 19. XXXVI. 26. Jer. V. 3. Equidem homo naturalis non potest non sequi voluptatem suam sensualem, spretis motivis, quæ in contrarium afferuntur. Potest tamen hanc ipsam voluptatem motivis pariter a voluptate vel tædio desumptis impugnare, temperare, & efficere, ut affectuum vehementia compescatur, & externa honestas colatur. Et qui exercitium non negligit, hisce motivis utendi, eaque interdum sequendi, hoc ipso sibi cavet, ne animus ipsius omnis flectionis per motiva incapax reddatur. Diversæ hominum propensiones, quæ efficiunt, ut sua quisque singulari voluptate trahatur, rationem suam tum in primis impressionibus, tum in variis præjudiciis, tum in consuetudine, tum & in conditione corporis habere possunt. Quando autem aliquis ex singulari suo temperamento ab aliquo peccatorum genere abhorret, veluti voluptuosus a crudelitate, & hinc in contrarium bonum propendet, hoc non ipsius virtuti tribuendum est, sed affectui, qui aliorum malorum principium est. Atque hic affectus præponderans homini familiaris, quo peccatum regnans contine-

tur, nec in ipso regenerationis statu hominem prorsus deserit, verum potius suos impetus continuo renovat, unde & contra eum præcipue pugnandum est.

§. CLVII.

Homo dispositionem pravam non potest emendare.

Causa, cur homo bonum velle, & malum nolle nequeat, licet nec boni & mali discrimen, nec motiva illud appetendi, & hoc aversandi prorsus ignoret, hæc, inquam, causa est perversa illa dispositio, naturæ connata, qua in bona apparentia & sensualia fertur, illisque solis delectatur. Quæritur ergo, annon naturalibus suis viribus pravam hanc dispositionem emendare, & meliorem sibi comparare possit? Hoc si præstare posset, sine dubio actionibus sæpe repetitis effici deberet, illis plane contrariis, ad quas homo connata sua dispositione impellitur. At vero ad edendum hoc genus actionum tum motivorum notitia, tum ea sequendi dispositio requiritur. (§. 150.) Et hanc dispositionem illi contrariam esse oporteret, quam homini connatam esse demonstravimus. (§. 153.) Cum igitur ea ipsa dispositio potentiam, & multo magis dispositionem, faciendi ea, quæ Deo placent, & vere bona sunt, sustulerit, (§. 153. num. 3.) *impossibile est, ut homo se ipsum viribus*

ribus suis naturalibus emendet. Ex hac causa homo naturalis in prævaricationibus mortuus esse dicitur, Eph. II. 1. qui nova creatione ad bona opera præparari debeat, Eph. II. 10. & qui non aliter, quam spiritu mentis suæ, h. e. per gratiam Sp. S. renovari possit. Eph. IV. 23.

Quamvis autem natura propriis suis viribus emendari non possit, ideo tamen rejicienda non est doctrina morum, & omnis alia institutio, quæ rationibus philosophicis ad impugnanda vitia & commendandam virtutem utitur. Nam duplex datur emendatio, SPIRITVALIS, quæ tendit in dilectionem Dei, & opera propter Deum facienda, & NATVRALIS, quæ pro fine habet propriam utilitatem & felicitatem. Ab hac posteriore homo naturalis non prorsus est alienus. Cum enim se ipsum diligat, & ex propria felicitate & utilitate voluptatem capiat, motivis inde petitis omnino flecti potest, ut ab aliquo actionum genere sibi caveat, quod alias, si vocem rationis plane non audiret, magno studio sectaretur. Hæc emendatio multos habitus pravos tollit, varia emendationis spiritualis impedimenta removet, & humano generi multum utilitatis præstat. At spiritualis emendatio non est in hominis potestate. Nam amor Dei & actiones,

quibus ille exercetur, ita non ſunt comparatæ, ut homo ſenſualia appetens in iis habere poſſit beneplacitum. Quin potius deſideria carnis inimicitia adverſus Deum eſſe dicuntur. Equidem homo naturalis intelligere poteſt, Deum eſſe colendum, ſi ſalvari velit, & hinc motiva Deum colendi ex propria ipſius utilitate repeti poſſunt. Nec negari poteſt, cultum Dei, quatenus hoc reſpectu & ſub ratione boni in genere conſideratur, aliquo modo appeti poſſe ab homine naturali. Sic etiam neglectus cultus divini & peccatum, quatenus ſub ratione mali & hinc ut cauſa æternæ infelicitatis ſpectatur, tædium & dolorem excitare poteſt, unde aliquod deſiderium emendationis vitæ interdum oritur. Sed hoc deſiderium melioris vitæ & cultus divini eſt tantum generale & inefficax. Nam ſimulac homo ſe ad ipſas actiones convertit, quibus cultus Dei & emendatio vitæ continetur, ſentit, eas naturalibus ſuis inclinationibus & concupiſcentiis prorſus contrarias eſſe, & valde dolet, his mediis evitari debere æternam mortem, quæ ipſi minime placerent. Tunc equidem quandoque audet, externum quendam Deo præſtare cultum, ſed valde invitus, qui quodcunque aliud peragere mallet, niſi pœnarum metus obſtaret. Et hæc Deum colendi ratio plane hypocritica, aut potius nulla eſt.

Ca-

CAPVT II.

DE ACQVISITIONE VIRIVM SPIRITVALIVM SEV REGENERATIONE.

§. CLVIII.

Cum igitur homo vires morales bonum agendi & malum fugiendi neque per naturam habeat, (§. 152. 153.) neque ipse sibi comparare possit, (§. 157.) necesse est, ut ab ipso Deo homini conferantur. Hinc & Deus eum per novam creationem ad bona opera præparare dicitur. Eph. II. 10. *Continentur autem vires istæ sola fide in Christum.* Nam Fides.

1. *Varia scripturæ loca id satis perspicue testantur.* Bona opera appellantur fructus fidei & pœnitentiæ, Gal. V. 22. Matth. III. 8. Act. XXVI. 20. Apoc. II. 5. Christus fideles comparat cum bona arbore, quæ bonos fructus ferret, Matth. VII. 18. Fideles opera carnis non perficere dicuntur, Gal. V. 16. & Joannes inquit, regenitos non peccare, 1. Jo. III. 9. Jacobus vero, fidem, quæ operibus careret, esse

mortuam, ideoque non veram. Jac. II. 17. 26. Denique Paulus dicit, fidem per charitatem efficacem esse. Gal. V. 6.

2. *Id ipsum quoque evincit fidei natura, sive illius essentiam, sive modum generationis spectemus.* Nam

a) Fides est fiducialis apprehensio meriti Christi, h. e. desiderium ejus meritum participandi, & acquiescentia in hoc ipso merito & promissionibus divinæ gratiæ collata, qui duplex motus non potest in voluntate existere, nisi ea simul disposita sit ad diligendum Deum, & faciendum, quæ divina lege præcepta sunt. 1. Jo. II. 3. 4. 5. Jo. XIV. 23. Deinde fides multarum veritatum notitiam sibi præstruit. Primum enim cum fides accendi nequeat, nisi præcesserit dolor & tristitia ex peccatis concepta, peccata vero agnoscenda sint ex lege, Rom. III. 20. V. 13. VII. 7. homo in Christum crediturus sufficiente legis divinæ cognitione instructus esse, & discrimen boni & mali nosse debet. Secundo autem & veritates Evangelii eum tenere oportet. Quomodo enim Christum desiderabit, & afflictam conscientiam illius merito consolabitur, nisi sciat, Christum sibi datum esse Redemtorem, eum pro omnibus peccatis plene satisfeciisse, & legem adimpleviisse, hoc ipsius meritum una cum peccatorum remissione

ne & æterna vita sibi a Deo ex mera gratia & infinito amore offerri? &c. Hæc omnia non tantum scire, sed & cum summa certitudine credere debet. Et quanta hæc sunt motiva, Deum diligendi, suamque gratitudinem bonorum operum studio declarandi! Motiva, quæ aut prorsus ignorat homo naturalis, aut quibus uti haud potest! Jam vero vires morales consistunt in notitia boni & mali, in præsentia motivorum, bonum appetendi, & malum aversandi, & in dispositione voluntatis, motiva ista sequendi. (§. 150.) Ergo & fides has vires involvit.

b.) Fides dum generari incipit, mox adest lucta carnis & spiritus. Excitatis namque bonis desideriis caro quidem vehementer repugnat, sed & simul impugnatur a spiritu, cujus oppositionis continuatione caro quidem non prorsus deletur, infirmatur tamen & debilitatur, ut dominium suum tanta vehementia amplius exercere nequeat. Gal. V. 16. 17. Rom. VI. 12. 13. Fracta autem dispositione illa, qua homo ad malum impellitur, non potest non aliqua bona dispositio restitui, quæ continuata & aucta fide semper magis magisque perficitur.

Distinguendum est inter CREDERE ALICVI & IN ALIQVEM, quod posterius proprie

affectum voluntatis denotat, quo alicui adhæremus, & in aliquo acquiescimus, & quidem propter fidem, ipsius verbis & promissionibus datam. Sic comparata est fides Christianorum, qua non tantum CHRISTO, sed etiam IN CHRISTVM credimus. Cujus dictionis potestatem & efficaciam scriptura significat, quando dicit, nos fide *Christum recipere*, Jo. I. 12. Col. II. 6. *in eo esse & inveniri*, Phil. III. 9. *eum induere*, Rom. XIII. 14. Gal. III. 27. *illi adhærere*, 1. Cor. VI. 17. *ejus justitiam esurire & sitire*, Matth. V. 6. *ejus carnem manducare & sanguinem bibere*, Jo. VI. 53. *acceptare promissionem*. Rom. IV. 13. seqq. Hæc nova cordis qualitas naturalem istam ad malum proclivitatem deprimit & limitat, & simul aliam dispositionem illi contrariam, quæ in bonum tendit, excitat. Unde fides non tantum opinionum, sed etiam desideriorum, inclinationum, & dispositionum mutatio est.

§. CLIX.

Externa fidelium relatio ad Deum.

Christus pro peccatis nostris satisfecit & perfectissima legis adimpletione justitiam nobis comparavit. Quod utrumque beneficium cum Deus nobis in Evangelio offerat, homo autem, cum credit, illud

illud desideret, suum esse velit, & in eo acquiescat, (§. 158.) & hoc ipso non tantum in beneficium ipsum, sed etiam in illius imputationem consentiat, fieri nequit,

1. *Quin & credenti hæc Christi satisfactio & justitia imputetur.* Eph. I. 7. Rom. IV. 6. Phil. III. 9.

2. Impetrata hac satisfactione, quam Deus in judicio suo ut nostram propriam considerat, peccata nobis non amplius imputari possunt ad satisfactionem pro iis præstandam. Hæc autem non-imputatio est peccatorum remissio. *Ergo & credentes peccatorum remissionem consequuntur.* Rom. III. 25. IV. 7. 8.

3. Sublato peccato, quo solo Deus moveri poterat ad nos puniendum, in eo quoque cessat animus & propositum, nobis nocendi. *Hinc fideles pacem cum Deo habere, & illi reconciliati esse dicuntur.* Rom. V. 1. 10.

4. Justitia Christi nobis imputata cum perinde sit, ac si ipsi omnem justitiam perfeciissemus, hoc quoque beneficium per fidem nobis contingit, *ut in judicio divino justi esse censeamur, quod proprie justificationem hominis coram Deo constituit.* Rom. VIII. 33. V. 18.

5. At vero justis promissa est æterna salus. Cum igitur Deus veraciissimus fidem suam

ſuam violare non poſſit, *credentes ſimul hæredes æternæ ſalutis conſtituuntur.* Rom. V. 2. VIII. 17. 18

6. Deus quidem vi creationis & conſervationis omnium creaturarum pater dici poteſt, quia vero propter interveniens peccatum juxta hunc ſuum paternum affectum nobiscum agere nequit, nos jure filiorum Dei excidimus. Sed per fidem peccata remittuntur, pax cum Deo reſtituitur, & jus cæleſtis hæreditatis redditur. *Hinc etiam credentes in ſtatum filiorum Dei transponuntur.* Rom. VIII. 16.

§. CLX.

Interna mutatio.

Quemadmodum autem homo per fidem novam & longe feliciſſimam relationem ad Deum nanciſcitur, ita & interne multis modis mutatur. Nam FIDES, quam Theologi fiduciale apprehenſionem Chriſti vocare ſolent, proprie *eſt deſiderium meritum Chriſti participandi, & acquieſcentia animæ, ex merito Chriſti, oblata peccatorum remiſſione, & promiſſionibus evangelicis hauſta.* Inde vero ſequitur,

1. *Fidem ſibi præſtruere notitiam veritatum revelatarum, præcipue de Chriſto, de opere Redemtionis, de gratia Dei, juſtificatione, &c.* Jeſ. LIII. 11. Jo. XVII. 3. Rom. X. 14. 17. 1. Jo. II. 4. IV. 6. Nam quicquid appeti-

mus

mus aut desideramus, & unde voluptatem & gaudium haurimus, id ut bonum a nobis cognitum esse debet.

2. *Sed sola harum rerum simplex apprehensio non sufficit, verum potius accedere debet firmus, vivus, & efficax assensus, quo veritates istæ recipiuntur & creduntur.* Rom. IV. 19. 20. 21. Eph. III. 12. 2. Tim. I. 12. 1. Jo. V. 4. 5. Simplex apprehensio alicujus boni forte illius desiderium excitaret. Sed si toti in eo acquiescere, & omnem fiduciam collocare debeamus, necesse est, ut summam & inexpugnabilem illius habeamus certitudinem.

3. Et quoniam fides vires bona opera faciendi in se continet, (§. 158.) nemo autem bona opera facere potest, nisi Deum diligat, & serium habeat propositum, actiones suas ad legem Dei componendi, (§. 41.) *fides utrumque involvit, nimirum dilectionem Dei, & studium seu propositum B. O. faciendi.*

4. Ista rerum spiritualium notitia & certitudo cum ignorantia, erroribus, præjudiciis, & dubitationibus non potest consistere. *Hinc & fides simul tenebras intellectus expellit.* Rom. XIII. 12. Eph. IV. 18. V. 8.

5. Sic & dilectio Dei & studium, legem Dei servandi, nec beneplacitum in peccato, nec habitum proæretice peccandi patitur.

titur. Hæc duo enim sibi invicem opposita sunt. Cum ergo fides dilectionem Dei & studium bonorum operum producat, *illa simul beneplacitum in peccato, & habitum proæretice peccandi, qui alias dominium peccati originalis dicitur, tollit.* Rom. VIII. 1. 9. Gal. V. 24. 1. Jo. III. 9.

6. Qui vero peccato non amplius delectatur, sed potius medium contra illius vim & efficaciam quærit, ideoque ad Christi meritum & Dei gratiam confugit, illum peccatorum turpitudinem & pravitatem agnovisse oportet, unde non poterat non oriri tædium, displicentia, & dolor animi. *Hinc & fides dum generatur, prius contritio ex peccato concepta in animo excitatur.* Thren. III. 39. 2. Cor. VII. 11.

§. CLXI.

Regeneratio.

Totam illam mutationem, qua fides in homine accenditur, scriptura vocat REGENERATIONEM. Jo. III. 3. 5. Tit. III. 5. 1. Pet. I. 3. 4. 5. 1. Jo. V. 1. Cum ergo homo naturalis viribus bona opera faciendi careat, (§. 152.) & istæ per solam fidem restituti possint, (§. 158.)

1. *Quilibet, qui Deo servire, & mandata ejus servare vult, regenerari debet.* Jo. III. 3. 5.

2. Fides sibi præstruit rectam & certam

tam rerum spiritualium notitiam, quacum simul connexa est ignorantiæ & errorum expulsio. (§. 160.) Hæc autem mutatio in scriptura dicitur ILLVMINATIO. Eph. I. 18. *Ergo & regeneratio involvit illuminationem.* Eph. V. 8. Ebr. VI. 4. 1. Jo. II. 9. 10. 11.

3. Magna humano intellectui contingit emendatio, quando a rerum necessariarum ignorantia liberatur, & recta illius cognitio restituitur. Sic & voluntas emendatur, cum malo delectari desinit, & verum bonum appetere incipit, præsertim, cum tota illa dispositio, qua in malum ferebatur, in contrariam & meliorem permutatur. At vero utramque hanc mutationem homo experitur, cum fidem in Christum concipit. (§. 160.) *Ergo per regenerationem tam intellectus quam voluntas hominis emendatur.* Eph. IV. 17. seqq.

4. Voluntas ita comparata est, ut, quicquid appetit, sub specie boni appetat, & quicquid aversatur, sub specie mali aversetur. Hinc impossibile est, ut bonum verum appetat, & malum verum aversetur, quamdiu intellectus utriusque ignorantia, aut oppositis erroribus laborat. *Ex hac causa in regeneratione emendationem intellectus priorem esse oportet emendatione voluntatis.* Rom. X. 14. XIII. 12. Eph. IV. 17. seqq.

5. Cum

5. Cum homo regeneratur, qui hactenus tenebras intellectus & carnis suæ desideria sectatus est, id fieri non potest, quin tota ejus vivendi ratio in aliam prorsus contrariam mutetur. 2.Cor.V.17. Hinc & adultorum regeneratio in scriptura dicitur CONVERSIO. Act. XXVI. 18. Sed hoc mutationis genere semper aliquid aboletur, & aliquid producitur. Id, quod aboletur, TERMINVS A QVO, & id, quod producitur, TERMINVS AD QVEM dici solet. *Hinc & regeneratio adultorum, seu conversio, suum habet* TERMINVM A QVO, *qui est ignorantia rerum spiritualium, error, dubitatio, beneplacitum in peccato, & habitus proæretici peccandi, &* TERMINVM AD QVEM, *qui est notitia rerum spiritualium, assensus, fiducialis apprehensio Christi, dilectio Dei, & studium bonorum operum.* (§. 160.) Ezech. XVIII. 21. seqq. Act. XXVI. 18.

6. Variæ istæ mutationes, quas conversio infert, ad duo præcipua capita revocari solent, nimirum ad contritionem & fidem. Utrumque, si conjunctim accipiatur, Ecclesia vocat POENITENTIAM. *Ex quo constat, regenerationem, conversionem, & pœnitentiam idem prorsus significare.* Matth. III. 2. Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47.

7. Quando perpendimus, hominem regenerandum multarum rerum notitia imbuendum, de illarum veritate convincendum,

cendum, & a multis erroribus ac præjudiciis liberandum esse, in eo quoque beneplacitum in peccato, & habitum leges divinas transgrediendi, in quem tota natura propendet, & qui diuturna consuetudine maximopere corroboratus erat, aboleri, & longe aliam dispositionem instaurari oportere, nulla erit dubitandi ratio, *quin conversio sit mutatio successiva.*

8. Talis mutatio in uno facilius & celerius, in altero difficilius & tardius procedere solet. Subjectorum enim capacitas, & impedimentorum multitudo ac mensura variare potest. Id ipsum igitur & de conversione valet. Quamvis enim in omni homine naturali varia mala vincenda sint, veluti ignorantiæ, errores, præjudicia, vitia & habitus mali, (§. 160.) tamen cum & hominum naturalium detur differentia, (§. 156.) & horum malorum vis & multitudo in uno major sit, quam in altero, *unus quoque facilius & celerius converti potest altero.*

Duplici opus erat mutatione, qua homo corruptus ex statu iræ in statum gratiæ transponi debebat: EXTERNA nimirum seu relativa, & INTERNA. Prior dicitur IVSTIFICATIO, posterior autem REGENERATIO. Justificari non poterat homo, nisi simul interne mutaretur. Et li-

cet hæc mutatio tantum eo tenderet, ut acceptari posset justitia Redemtoris, qua sola Deus, mortalium judex, ad condonandum & absolvendum moveri poterat, vim tamen simul habebat, humanum cor sanctificandi, & ad obsequium erga mandata divina flectendi. Ita illustrior apparebat præstantia religionis christianæ, quæ hominem docet, sine operibus reconciliationem cum Deo quærere, & tamen operibus non carere. REGENERATIO, de qua nunc agitur, fidei collationem denotat, sive ea infantibus sive adultis contingat. Cum autem adulti regenerantur, hæc salutaris illorum mutatio dici solet CONVERSIO. Appellatur quoque resuscitatio a mortuis, Eph. II. 1. 5. Col. II. 13. & nova creatio, Eph. II. 20. quæ denominationes tum ipsam rei naturam, tum illius principium & causam demonstrant. Possunt autem vocabula ista & actionem causæ regenerantis, & mutationem in subjecto regenerando significare. Hinc est, quod Theologi regenerationem & conversionem in TRANSITIVAM & INTRANSITIVAM dispescant. ILLVMINATIO, quam regeneratio involvit, modo PARTIALITER, modo TOTALITER consideratur. Quemadmodum enim tota conversio est mutatio successiva, ita & illuminatio successive perficitur. Quamdiu ergo

ergo homo ab una cognitione ad alteram progreditur, qua ad fidem concipiendam indiget, nondum plene illuminatus est. Cum vero omni ea cognitione gaudet, quæ ad accendendam fidem requiritur, illuminatio totalis existit. Et hanc non tantum ratione objectorum cognoscendorum, sed etiam ratione perspicuitatis, certitudinis, & efficaciæ talem esse oportet. Quod si consideremus, illuminatio de iregenitis affirmari & negari poterit. Μετάνοια, quæ rectius per RESIPISCENTIAM & MENTIS TRANSFORMATIONEM, quam per POENITENTIAM redderetur, in scriptura quidem solam fidem significat, Matth. III. 2. IV. 17. XI. 21. Marc. I. 15. Luc. XXIV. 47. quia vero fides sine prævia contritione generari nequit, & latino vocabulo pœnitentiæ idea doloris & contritionis semper adhæret, Theologi, pœnitentiam definientes, utrumque complexi sunt. Atque tunc eam modo μερικῶς modo ὁλικῶς accipiunt, h.e. vel pro sola contritione, vel pro contritione & fide simul. Quod una concione Petri multa millia hominum simul conversa esse dicantur, Act. II. 41. minime probat, conversionem ex instanti factam esse. In his enim opus conversionis jam diu inchoatum fuerat, Act. II. 5. & nunc absolvebatur convictione, Messiam, quem hactenus spera-

sent, esse Jesum Nazarenum, a Judæis crucifixum, divina vero potentia resuscitatum. Ita etiam hodie fieri potest, ut homo, qui veritates cælestes novit, & varios motus sanctos sensit, suam tamen carnem sequi perexit, ut hic homo, inquam, data occasione & oportuno tempore tam potenter trahatur, ut dolore plenus sua peccata humillime deprecetur, & aliquam fiduciam in Christo collocatam sentiat, & sic quasi ex instanti converti videatur, licet ipsius conversio, jam diu continuata, & sæpe impedita, tum tantum perficiatur, aut interrupta denuo inchoetur. Differentia temporis, quod unus altero citius & facilius convertatur, tum & qualitate subjecti, tum a varia dispensatione gratiæ divinæ dependet.

§. CLXII.

Non est opus virium naturalium.

Fides in Christum vires, Deum diligendi & bona opera faciendi involvit. (§. 158.) Sed homo naturalis vires illas per naturam nec habet, nec comparare sibi potest. (§. 152. 157.) *Ergo & viribus naturæ in Christum credere, & regenerari aut converti nequit.* Hinc & Christus inquit, sine ipso hominem nihil boni facere posse, Jo. XV. 5. & Paulus, Deum esse, qui velle & perficere in nobis operaretur. Phil.

Phil. II. 13. Quod non eo sensu accipi debet, quo & in rebus naturalibus sine Deo nihil peragere posse dicimur, quatenus vires agendi, quæ in homine sunt, a Deo dependent, & ejus perpetuo concursu conservantur; Act. XVII. 28. Sed potius his verbis declaratur, nihil virium naturalium homini supereſſe, in Christum credendi, & ad fidem generandam concurrendi. Nam homo in peccatis mortuus esse dicitur, qui, dum fidem concipit, a morte resuscitatur, & de novo creatur. Eph. II. 1. 5. 10. Ipsa fides non est opus hominis, sed donum Dei, Eph. II. 8. & per efficaciam roboris potentiæ divinæ confertur, qua Christus resuscitatus est a mortuis. Eph. I. 19. 20. Ex qua causa fidei productio etiam regeneratio appellatur. Jo. III. 3. 5. Equidem

1. *Homo historicam rerum credendarum notitiam viribus naturæ sibi comparare potest.* Nam mysteria fidei verbis perspicuis proposita sunt in scriptura, quorum significatus aut ex vita communi constat, aut in textu per artificia hermeneutica facile inveniri potest. Et homo naturalis, dum scripturam audit vel legit, naturali sua potentia uti potest, attendendi, reflectendi, & verborum significatus percipiendi. Nam Deus & hoc tempore illi concursu suo universali & ordinario

adest, quo vires istæ naturales conservantur. (§. 155.) Hinc & Judæi, qui Spiritui sancto pertinaciſſime resistebant, doctrinam Christi intelligebant, quam absque simplici intelligentia non potuissent impugnare.

2. *Sed cælestibus illis veritatibus nemo per naturæ vires assentiri potest.* Nolo jam urgere, mysteria fidei nec in se esse evidentia, nec principia rationis extare, e quibus illa demonstari possent. Sed sufficit, observasse, fore, ut homo viribus naturalibus etiam in Christum credat, Deum diligat, & mandata ejus servet, si ipse sibi assensum vivum & efficacem comparare posset, qualis ad generandam fidem requiritur. At vero id propter peccatum originale, quo omnis dispositio, vera bona concupiscendi, & in iis beneplacitum habendi sublata est, fieri nequit. Hinc & assensus iste non est opus virium naturalium. Testatur id sanctus Paulus 1. Cor. II. 14. ubi percipere & cognoscere ea, quæ sunt Spiritus Dei, intelligi non debet de simplici apprehensione, sed de illa intellectus operatione, qua de rerum veritate judicamus, eam agnoscimus, & pleno assensu recipimus.

3. *Multo minus ad fiducialem Christi apprehensionem, quæ ipsam fidei essentiam constituit, idonei sumus.* Nam hæc prorsus contraria est

est naturali illi dispositioni, qua homo totus fertur in bona tantum sensualia, & quæ sibi annexam habet inimicitiam adversus Deum. (§. 153.) Itaque licet intelligeret, meritum Christi bonum esse sibi valde utile & necessarium, tamen, cum dispositio desit, hoc genus motivorum sequendi, & homo semper in contrarium tendat, illud non posset appetere, sibique applicare. Hinc & παῤῥησίαν istam, quam fides involvit, per Christum habere dicimur. Eph. III. 12. Ille enim est, qui fidem in nobis inchoat & perficit. Ebr. XII. 2. Et nemo Christum Dominum suum appellare potest, nisi per Spiritum sanctum. 1. Cor. XII. 3.

4. *Sic etiam per vires naturæ non aboleri potest habitus peccandi, & beneplacitum in peccato, quæ tamen mutatio contingere debet, quando homo fidem concipit.* (§. 160.) Habitus enim peccandi naturalis & connatus est, (§. 153.) & sicuti habitus huic contrarius homini simul connatus esse non potest, cum impossibile sit, ut contradictoria in eodem subjecto simul existant, ita quoque homo malum illum sibique connatum habitum tollere, aut in meliorem permutare nequit. (§. 157.) Huc respicit scriptura, quando hominem in peccatis mortuum esse inquit, Eph. II. 1. 5. & quando dicit, peccatum in nobis

habitans, quod est malarum concupiscentiarum principium, agnita lege multo efficacius sævire, & hominem ad malum concupiscendum atrocius impellere, Rom. VII. 8. 11.

5. Quia vero omnis causa agit pro receptivitate subjecti, & hinc fides nulla virtute in nobis produci posset, nisi hujus mutationis capaces foremus, *in homine adhuc esse debet potentia passiva, seu capacitas conversionis.*

Historica mysteriorum fidei cognitio *ratione principii*, unde hauritur, quidem supernaturalis dici debet, sed *ratione modi acquirendi* naturalis est, & hac in re differt a prima notitia sanctorum hominum, quibuscum ab initio a Deo immediate communicabantur. Et quamquam dici soleat spiritualis, id tamen ratione objecti & effectuum, qui ab eo dependent, intelligi debet. Neque contrarium evincit 1. Cor. II. 14. Hoc enim loco de secunda intellectus operatione, i. e. de judicio & assensu sermonem esse, inde patet, quia homo naturalis Evangelium pro stultitia habere dicitur, quod judicare non posset, si nullam illius ideam haberet. Sed assensus viribus naturæ acquiri non potest. Quamvis enim homo criteria divinæ revelationis ex rationibus philosophicis norit, eaque dum

dum sacris literis inesse observat, colligat, scripturam esse verbum Dei, & mediante hoc principio, vera esse omnia, concedere debeat, quæ in scriptura continentur, hic tamen assensus generalis tantum est, minime sufficiens ad flectendam & emendandam voluntatem, fidemque generandam. Præter illum adesse debet specialis, vivus, & efficax, qui in voluntatem influit, eamque ad meritum Christi apprehendendum movet. Hoc modo convincebantur viri, qui Petrum de Christo crucifixo & resuscitato differentem audiebant. Act. II. 37. Ἀκούσαντες κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ. Id, quod audiebant, tanta efficacia in illorum cor penetrabat, ut summo, dolore, contritione, & desiderio vitæ emendandæ afficerentur. Idem contingebat Lydiæ, Act. XVI. 14. Et idem omnibus contingit, qui vere illuminantur. 2. Cor. IV. 6. Hunc assensum opus virium naturalium esse, merito negamus, non tantum propter rationem, quam ipso §. 162. num. 2. reddidi, sed etiam propter ipsius intellectus corruptionem, cujus tenebræ multo efficaciores sunt, quam ut naturali studio dissipari possint. Eph. IV. 18. Præcipua autem corruptionis pars hæret in voluntate. Hæc enim ita disposita est, ut non nisi bona sensualia appetat, & non nisi mala sensualia aversetur.

Ad hunc habitum connatum deinceps accedit habitus contractus. Prima enim hominis ætas ita est comparata, ut solos sensus & voluptatem sensualem sequatur. Quem modum agendi dum homo usque ad usum rationis servat, habitus naturalis diuturno illo exercitio adeo corroboratus est, ut advenientibus annis discretionis voluntas ad appetenda meliora flecti nequeat. Quare cum fides & connexum cum ea melioris vitæ studium plane contrarium sit naturali & connatæ dispositioni, impossibile est, ut homo suis viribus credat & emendetur. Equidem generalis illa dispositio appetendi bonum non deest, ideoque homo, dum aliquam meriti Christi notitiam acquirit, illud sub ratione boni appetit, quatenus nimirum illud ut medium felicitatis suæ in genere considerat. Sed desiderium hoc generale, inefficax, & minime tantum est, ut homo in ipso objecto spirituali beneplacitum habeat, illudque cum studio, superandi difficultates, quærat & desideret. Hoc tamen non impedit, quo minus adsit POTENTIA PASSIVA, quam & CAPACITATEM vocant. Sed distinguendum est inter hanc potentiam ABSOLVTAM & HYPOTHETICAM. Per illam intelligo possibilitatem, conversionem recipiendi, si eam conferas cum essentia hominis, seu quod

quod idem est, defectum contradictionis inter conversionem & hominis essentiam. Hanc homini inesse statuo. Nam si deficeret, impossibile foret, ut unquam converteretur. Ne divina quidem omnipotentia immediate applicata converti posset, sicuti propterea nec lapis nec truncus converti potest. Sed secus sentiendum est de capacitate hypothetica. Hæc est possibilitas, recipiendi conversionem, salvis determinationibus accidentalibus; seu, quod idem est, defectus contradictionis inter conversionem & dispositionem accidentalem, homini per naturam inhærentem. Hanc capacitatem homini naturali deesse, nemo non videt, qui novit, quantum malum sit peccatum originale. Cum eo si conferas conversionem, omnesque motus in ea contentos, manifesta contradictio adest. Quare etiam homo dum regeneratur, malum hoc, licet non prorsus aboleri, infringi tamen, limitari, & vinci debet, quo ipso capacitas hypothetica restituitur. Et hac in re consistit præparatio hominis ad conversionem, quam gratia Sp. S. operatur.

§. CLXIII.

Cum ergo homo propriis & naturalibus suis viribus converti nequeat, (§. 162.) evi- Sed Spiritus sancti.

evidens est, *regenerationem esse solius Dei, & singulariter Spiritus sancti opus.* Jer. XXXI. 18. Ezech. XXXVI. 26. Jo. III. 5. 1. Cor. XII. 3. Eph. I. 19. II. 5. 10. Phil. I. 6. II. 13. Tit. III. 5. 1. Pet. I. 3. Inde vero sequitur,

1. *Vires bonum agendi, & malum fugiendi quæ ipsa fide continentur,* (§. 158.) *a Sp. S. conferri, ideoque esse oportere spirituales.* 1. Cor. II. 14. Rom. VIII. 1. 13. 14. Gal. V. 16. 18. 22. Eph. II. 23.

2. Ista operatio Spiritus sancti, qua regeneramur & convertimur, dicitur GRATIA. 1. Cor. XV. 10. Gal. I. 15. Eph. I. 6. Procedit enim ab ineffabili illa gratia, qua Deus nos sine omni nostra dignitate ante secula dilexit. Et ut ab hac gratia, quæ est omnium bonorum salutarium fons & principium, distinguatur, dici solet GRATIA CONVERTRIX. Jam vero in conversione tria præcipue momenta a se invicem distingui possunt & debent, initium, progressus & consummatio. Hinc & tres gratiæ illius gradus statui solent, nimirum GRATIA PRÆVENIENS, PRÆPARANS, & OPERANS.

3. GRATIA PRÆVENIENS opus conversionis inchoat. Quando itaque perpendimus, mutationem hanc involvere tum fiducialem meriti Christi apprehensionem, peccati detestationem, & bonum pro-

propositum, seu studium diligendi Deum, & præcepta ejus servandi, tum dispositionem intellectus, veritates salutares pleno assensu amplectendi, (§. 160. 161.) ideoque bonis motibus intellectus & voluntatis contineri, quorum unus debet esse primus, *gratiæ prævenientis effectus est prima cogitatio sancta, seu primum desiderium bonum, quo homo in Evangelium, Christum, dilectionem Dei, aut vitæ emendationem fertur.* Hujus gratiæ existentia patet ex Phil. I. 6. Ebr. XII. 2. & conspicua fuit in Lydia, Act. XVI. 14. Thessalonicensibus, 1. Thess. II. 13. Agrippa, Act. XXVI. 28. & aliis.

4. Excitato primo hoc bono motu homo fiduciam suam in Christo collocare, peccatum aversari, & sanctimoniæ vitæ studere nondum potest. Necesse enim est, ut prius omnes istas veritates cognoscat, quarum notitia fides generatur. Necesse est etiam, ut illis assentiatur, & contrarios errores ac præjudicia objiciat. Denique & necesse est, ut prava dispositio & habitus peccandi impugnationibus sæpe repetitis infringatur, beneplacitum in peccato tollatur, & voluntas aliorsum flectatur. (§. 160.) Quare cum GRATIA PRÆPARANS opus conversionis continuet, *illius est hominem illuminare, intellectum ejus de veritatibus spiritualibus convincere, dolorem & contritionem seriam excitare, concupiscentiam*

scentiam pravam impugnare, & voluntatem ad dilectionem Dei bonorumque operum studium disponere. Hæc gratia efficax erat in Thessalonicensibus, ea, quæ audiverant, sedulo meditantibus, Act. XVII. 11. nec non in Eunucho, qui a Philippo scripturam interpretante ita movebatur, ut tandem in Christo recumberet, & baptizari cuperet. Act. VIII. 30. seqq.

7. Formalis & essentialis actus fidei est desiderium meritum Christi participandi, conjunctum cum acquiescentia & conscientiæ afflictæ consolatione. (§. 160.) Desiderium illud adest, quamprimum homo ex una parte magnam suam miseriam, & ex altera oblatum Christi meritum cum bonis salutaribus per illud comparatis agnoscit. Et quo longius in hac cognitione progreditur, quoque efficacius habitus peccandi impugnatur, eo sæpius recurrit desiderium, & eo vehementius redditur. Sed nondum statim adest acquiescentia & solatium. Nam conscientiæ, quæ peccatorum molem, iram Dei, & continuos pravæ concupiscentiæ impetus sentit, diu & multum luctandum est cum dubitationibus & terroribus. Hinc GRATIA OPERANS, quæ opus conversionis absolvit, *præcipue acquiescentiam in Christi merito, gratia Dei, & evangelicis promissionibus efficit, eamque cum desiderio Christi connectit.* Quatenus

tenus hæc gratia in genere ut illa operatio consideratur, qua Sp. S. ultimam manum admovet conversioni, eamque perficit, illius existentiam Apostolus perspicue testatur Phil. I. 6. II. 13. Ebr. XII. 2.

Non omne desiderium emendationis vitæ statim habendum est pro initio conversionis, sed illud duntaxat, quod in Christum, in reconciliationem cum Deo per Christum, & in dilectionem Dei tendit. Et hoc est solius Sp. S. opus, cujus operatio, hunc effectum producens, ideo dicitur GRATIA PRÆVENIENS, quia homo nihil tale cogitans per eam prævenitur, & ad quærendum Deum excitatur. Hinc & EXCITANS & PVLSANS appellari solet. Multiplex autem prima illa cogitatio bona, & varium primum illud desiderium pium esse potest, quo opus conversionis inchoatur. Excitatur cogitatio & desiderium illud per gratiam extrinsecus applicatam, & homini per modum sensationis veluti ex improviso contingit. Act. XVI. 14. XXVI. 28. Hinc non semper impediri potest ab homine. Quia vero singularibus opus est circumstantiis, ut hæc gratia homini applicetur, in iis ordinandis, excitandis, & promovendis singularis quoque se exserit providentia, quamquam omnia naturali modo evenire possint. GRATIA PRÆPARANS

RANS tum intellectum tum voluntatem hominis ſucceſſive ita flectit ac diſponit, ut tandem ſolatium ex merito Chriſti haurire, & fiduciam in eo reponere poſſit. Ad id autem opus eſt non tantum ampliori illuminatione & convictione intellectus de objectis fidei, ſed etiam impugnatione dominii peccati originalis, beneplaciti in peccato, odii adverſus Deum, & flexione voluntatis in bona ſpiritualia. Unde hujus gratiæ effectus in extenſione cognitionis, aſſenſu, & deteſtatione peccati, præcipue conſiſtunt. Hæc omnia non ita efficiuntur, ut uno effectu plene exiſtente progreſſus fiat ad reliquos. Sed emendatio intellectus & voluntatis ſimul, quamquam gradatim & ſucceſſive, perficitur. Cognitis & firmo aſſenſu receptis nonnullis fidei objectis ſimul voluntas aliquo modo in bonam partem flectitur. Hæc inchoata voluntatis emendatio dein juvat intellectum in reliquis objectis ſpiritualibus facilius credendis. Et quilibet novus progreſſus in cognitione auget & promovet voluntatis emendationem. GRATIA OPERANS videtur eſſe continuatio gratiæ præparantis. Deſiderium enim & acquieſcentiam, h. e. ipſam fidem Spiritus ſanctis non niſi iisdem operationibus, quibus intellectus & voluntas emendatur, producit. Quamdiu autem cor hominis ad Chri-

Christum fide amplectendum disponit, & novam illam dispositionem credendi seu capacitatem fidei in homine creat, ejus operatio dicitur præparans. Et cum opus conversionis absolvit, operans vocatur. Dici etiam posset perficiens. Cæterum hoc loco de CONVERSIONE ORDINARIA sermo est. Si quem Deus extraordinarie convertit, aut convertere intendit, miracula adhibet, quibus aut primam cogitationem sanctam vel desiderium pium cum homine immediate communicat, aut circumstantias & occasiones excitat, verbum Dei audiendi, aut denique hominem de illius veritate & divinitate convincit.

§. CLXIV.

Operatur per verbum.

Peccatum originale naturam quidem corrupit, sed non ipsam essentiam hominis sustulit, aut immutavit, (§. 155.) unde & ille absolutam conversionis capacitatem retinuit. (§. 162.) Quemadmodum ergo omnis causa agit pro receptivitate objecti, Spiritus sanctus hominem alio modo convertere haud potest, quam ipsius essentia, quæ adhuc adest, patitur. Jam vero totum conversionis opus ad assensum, quo veritates cælestes credimus, & ad fidem, qua Christum cum suo merito desideramus, & in eo acquiescimus,

redit. Veritati intellectus assentiri non potest, nisi eam prius recte cognoverit, & ratio assentiendi ab intellectu apprehensa adsit. Et voluntas objectum velle & in eo acquiescere nequit, nisi id bonum & salutare esse, prius intellexerit & crediderit. Hinc tota conversio effici debet per veritates, quæ objecta fidei offerunt. Et quoniam istæ veritates ipsum Dei verbum sunt, in scriptura contentum, *Spiritus sanctus homines per verbum aut scripturam convertit.* Jo. XVII. 20. XX. 31. Act. II. 37. Rom. X. 17. Jac. I. 18. 21. 1. Pet. I. 23. Hunc effectum scriptura præstat aut naturali sua virtute, quam cum omnibus aliis scriptis communem habet, aut alia quadam supernaturali & vere divina virtute. Naturalis scripturæ virtus est vis significandi objecta fidei, cujus effectus in animo sunt conceptus isti, quos ipse homo scripturam audiens vel legens sibi format attentione, recordatione significatuum, qui alias vocabulis adhærere solent, aut ex connexione inveniri possunt, scrutinio, & meditatione. Hinc si scriptura hominem naturali sua virtute converteret, tota haec mutatio a conceptibus hominis dependeret, ideoque opus foret virium naturalium. At vero tale opus non est conversio. (§. 162.) Ergo

1. *Scripturam vi quadam supernaturali et*

re divina præditam esse oportet. Jo. VI. 63. Rom. I. 16. 1. Cor. II. 4. 2. Tim. III. 15. 16. Ebr. IV. 12. Jac. I. 21.

2. Quod ut rectius intelligatur, Theologi distinguunt inter MATERIALE & FORMALE VERBI. Illud consistit in externis signis, ore prolatis, vel characteribus expressis, & nullam aliam virtutem habet, quam objectivam vel significativam. Formale autem est ipse sensus scripturæ: Quo ipso non intelligimus conceptus illos, quos homo sibi ope externorum signorum format; (Nam hi tantum sunt repræsentatio sensus, & a materiali verbi dependent;) sed ipsi conceptus divini, in infinito Dei intellectu ab æterno nati, quos Deus suo tempore cum sanctis hominibus communicavit, & hodienum adhuc per externa signa nobis manifestat. Hinc verbum Dei & præcipue evangelium *sapientia divina in mysterio abscondita*, 1. Cor. II. 7. & *consilium Dei de nostra salute* appellatur. Act. XX. 27. Et hoc respectu *verbum incorruptibile & æternum* esse dicitur. 1. Pet. I. 23. Huic ergo formali verbo virtutem divinam & supernaturalem tribuimus, aut rectius ipsam virtutem divinam esse, sicuti Apostolus loquitur, Rom. I. 16. statuimus. Nam vis in genere est omne id, quod rationem existentiæ mutationis in se continet. Et si aliquid divi-

ni est, recte dicitur divina. Jam vero formale verbi aliquid divini est, & ab eo mutationes in conversione existentes dependent. Unde nullum est dubium, *quin vis divina & supernaturalis sit, aut, si per verbum solum ejus materiale intelligas, hanc virtutem secum connexam habeat.*

3. Quemadmodum autem mutationes conversionem ingredientes diversi generis sunt, quarum aliæ ad assensum, quo divinitatem rerum credendarum agnoscimus, aliæ ad dolorem & contritionem, aliæ ad fiduciam, aliæ ad detestationem peccati, &c. pertinent, ita nec qualibet veritate quælibet mutatio excitari potest, quamvis quælibet divina virtute gaudeat. Hoc ipsum scriptura indicat, quando aliis Evangelium, & aliis legem prædicandam esse docet. Matth. XI. 5. 1. Tim. I. 9. Scilicet tota scriptura apta est ad docendum, resutandum, instituendum, & reprehendendum. 2. Tim. III. 16. Sed distinctæ partes distinctis illis officiis funguntur. Ex quo sequitur, veritates cælestes ad mutationes illas spirituales, ad quas efficiendas destinatæ sunt, certam habere relationem, atque ita comparatas esse, ut ex illis harum mutationum ratio reddi possit, licet non semper ab homine perspiciatur. Cum igitur veritatem, in qua assensus ratio continetur, principium seu argumentum, eam

eam vero, qua voluntas flectitur, motivum dicere soleamus, *Spiritus sanctus homines per verbum ita convertit, ut intellectus argumentis convincatur, & voluntas motivis flectatur.*

4. At vero impossibile est, ut aliquid verum esse judicemus, aut quicquam appetamus vel aversemur, nisi prius a nobis cognitum fuerit. Nec aliter sentiendum est de operatione Sp. S. per verbum. Hoc enim verbum, quod divina virtute prædictum esse demonstravimus, est illius formale, & consistit in æternis intellectus divini conceptibus de nostra salute. Qui si in anima quicquam operari debeant, necesse est, ut intellectum nostrum ingrediantur. Atqui hoc fieri non potest, nisi mediante cognitione recta, vera, & distincta. *Ergo ad conversionem hominis requiritur, ut verbum Dei recte, vere, & distincte cognoscat.* Christus hoc eleganter illustravit parabola de multiplici agro, qui fructus ferre non potest, nisi semen sparsum receperit. Matth. XIII. 3. seqq. Alibi fides ex auditu verbi oriri, & impossibile esse dicitur, ut quis sine prædicatione verbi credat. Rom. X. 14. 17. Et Jacobus verbum, quod animas nostras salvare potest, λόγον ἔμφυτον & a nobis receptum vocat. Jac. I. 21.

5. Ut igitur verbo Dei convertamur,

necesse est, *ut illud diligenter legamus vel audiamus, ut ad lectum vel auditum sedulo attendamus, ut illud meditemur & scrutemur, & ut crebriori meditatione & recordatione nobis semper reddamus familiarius.* Jo. V. 39. Act. XVII. 11. 2. Pet. I. 19.

Deus sanctos motus in intellectu & voluntate, qui conversionem constituunt, aut absoluta sua potentia hominibus immediate applicata eodem modo operatur, quo cælum & terram creavit, mortuos resuscitat, & alia miracula perpetrat, aut virtute quadam veritatibus cælestibus insita. Priori modo si fides in nobis generaretur, nec opus esset verbo Dei scripto vel prædicato, nec conversio ab homine impediri posset. Cuncta enim ad decretum divinum de existentia fidei redirent, quo existente fides non posset non existere. Etiamsi vero & rationes istæ non obstarent, aliunde tamen intelligeremus, fidem hoc modo generari haud posse. Nam conversio est emendatio moralis, hoc est, mutatio, quæ moralitatem habet, & ex motibus liberis constat. Si vero aut desiderium, aut fiducia, aut detestatio peccati, aut dilectio Dei, &c. extrinsecus nobis imprimeretur per potentiam immediate applicatam, nihil horum esset liberum, & moralitatis capax. At vero libertas hominis

minis & in conversione salva manet, si eam virtute divina verbo Dei insita effici dicamus. Tunc enim ratio motuum voluntatis est in prævia cognitione, & quamquam hæc cognitio viva, influens in voluntatem divinæ potentiæ effectus sit, nihilo tamen minus a veritatibus dependet, quæ principii aut argumenti rationem habent. Nam veritates istas ipsam Dei potentiam esse demonstravimus. Quas cum dixerim ipsos intellectus divini conceptus esse, non exclusas velim volitiones divinas, gratiæ & justitiæ plenas. Illud enim assertum, Deum velle, ut omnes homines salventur, & ad cognitionem veritatis perveniant, & quæ huic sunt similia, non tam conceptum intellectus, quam potius intentionem & inclinationem voluntatis manifestant. Qua ratione ideæ & volitiones istæ divinæ virtus divina sint, quæ effectum extra Deum producere possit, intellectu quidem difficile est. Sed credere nos oportet, cum scriptura utrumque testetur, scilicet, & divina virtute, & verbo Dei hominem converti, imo hoc posterius ipsam Dei potentiam, semen regenerationis, verbum vivum & efficax, Spiritum & vitam appellet. Ne vero hæc virtus cum altera illa virtute creatrice confundatur, recte monitum est a Theologis, in Deo duplicem esse VIM,

POTENTIÆ nimirum & GRATIÆ, quarum illa ſubſtantias & earum qualitates eſſentiales ac phyſicas, hæc vero tantum qualitates morales creat. Aut ſi *unam* tantum *vim* admittere velis, dicendum eſt, eam *triplici modo* operari, *primum* immediate, *ſecundo* per ideas & volitiones ſeu intentiones divinas, *tertio* per vires creaturis conceſſas. Primo operandi modo miracula, ſecundo effectus ſpirituales, & tertio naturales producuntur. Qui & converſionem miraculum eſſe dicunt, eos tamen non credituros, confido, hoc opus eadem prorſus ratione perfici, qua mundus olim creatus eſt, aut mortui reſuſcitantur, aut alia miracula perpetrantur. Hinc tota illa diſputatio ad vocis ſignificatum rediret, & in meram logomachiam abiret. Veritates, quibus aut intellectus ad aſſenſum movetur, aut voluntas ad contritionem, ad peccati deteſtationem, ad fiduciam, ad dilectionem Dei, &c. flectitur, ita comparatas eſſe oportet, ut ad effectum producendum juſtam habeant relationem. Scilicet ſi effectum cum dogmate compares, poſſibile eſſe debet, ut inde ratio exiſtentiæ effectus reddatur. Hoc modo dilectio Dei iis veritatibus in nobis generatur, quæ immenſum Dei amorem erga nos prædicant. 1. Jo. IV. 19. Et ſic quoque veritates, quæ nos de divinitate ſcripturæ con-

convincunt, divinæ revelationis criteria esse debent. Et perutile est, singulas veritates nosse, quæ ad singulos effectus producendos ordinatæ sunt. Tunc enim verbum Dei recte dividere possumus, sicuti id facere Ministri Ecclesiæ jubentur. 2. Tim. II. 15. Tunc quoque verbi divini prædicatione effectus salutares produci possunt in omnibus, nisi malitiose & pertinaciter resistant. Quamquam enim Sp. S. singulos motus sanctos sua gratia operetur, tamen, cum hæc gratia cælestibus veritatibus contineatur, quas formale verbi diximus, & istæ veritates intellectui inferantur mediante cognitione, minime vero quælibet veritas ad quemlibet effectum destinata sit, necesse est, ut istæ veritates proponantur & animo volvantur, quæ justam relationem ad effectum, quem intendimus, habent. Sic ex. gr. homini de divinitate verbi convincendo proponendæ sunt veritates, quas criteria divinæ revelationis esse constat, ut inde concludere possit, scripturam esse divinitus inspiratam. Equidem hæc demonstratio humanum tantum assensum generabit. Quia vero mediante illa veritates cum anima communicantur, per quas Sp. S. fidem divinitatis scripturæ operari vult, per illas quoque efficaciam suam demonstrabit, sumque divinum testimonium in nobis per-

hibebit. Cæterum quo clarius veritates divinæ cognoscuntur, eo facilius procedet opus conversionis, nisi ex parte voluntatis obex ponatur.

§. CLXV.

Lucta carnis & spiritus.

Quamprimum gratia prævemens bonam cogitationem seu volitionem excitavit, aliquid in anima existit, quod naturali illius dispositioni plane contrarium est. (§. 153.) Hinc fieri non potest, quin homo, dispositionem hanc sequi solitus, bonis illis judiciis & desideriis carnis sua judicia & desideria opponat, quam contradictionem scriptura vocat LVCTAM CARNIS ET SPIRITVS. Gal. V. 16. 17. Et quoties gratia præparans dein pia illa judicia & desideria renovat, aut nova excitat, carnalium quoque judiciorum & desideriorum oppositio recurrit. Unde manifestum est, *inchoato opere conversionis luctam carnis & spiritus oriri, & usque ad illius consummationem continuari.* Hæc autem lucta

1. *Se exserit contrariis opinionibus de rebus credendis.* Intellectus, dum ad verbum attendit, sentit aliquam inclinationem ad earum veritatem & divinitatem credendam, quam Sp S. sua gratia operatur. Sed homo, qui secundum sensus judicare solet,

let, multisque præjudiciis & erroribus laborat, dubitationes opponit, & longe aliter de illis judicat. 1. Cor. II. 14. Interdum etiam voluptas sensualis intellectum in contrariam partem trahit. Homo enim videns, veritates practicas proponi, quas qui sequi vult, voluptatibus suis hactenus multa cum oblectatione perceptis nuntium mittere, variaque tædia sensualia sentire debet, odit hæc dogmata, & intellectum flectit, ut, quantum possit, ea impugnet. Jo. III. 19. 20.

2. *Multo acrius autem spiritui luctandum est cum carne in voluntate.* Nam voluntas per naturam ita est disposita, ut in solis bonis sensualibus beneplacitum habeat, & oppositum quodcunque aversetur. (§. 153.) Gratia vero Sp. S. non tantum monstrat bona spiritualia, quæ minime sensualia sunt, sed & voluntatem ad ea appetenda flectit. Inde fit, ut, quod homo per gratiam Sp. S. vult, secundum carnem nolit, aut quod per gratiam non vult, secundum carnem velit. Matth. XIX. 22. Rom. VII. 19. Gal. V. 17.

3. *Luctam hanc tandem sequitur victoria,* quæ si ex parte spiritus adsit, desideria pia vehementiora fiunt oppositis carnalibus, & in prædominantem voluptatem vel voluntatem consequentem abeunt, sic ut homo peragat, ad quod spiritu impellitur, carnis

carnis vero opera non perficiat. Rom. VIII, 13. Gal. V. 16. Phil. II, 13. Sin vero caro vincat, homo bona ſenſualia & apparentia magis concupiſcit, quam ſpiritualia, & voluptatem ſuam ſenſualem ſequitur.

4. Deſideria carnis ſpiritualibus vehementiora multis modis reddi poſſunt. Primum enim eorum vim augent præjudicia practica, quibus pravæ concupiſcentiæ excuſantur vel approbantur. Secundo magnum robur acquirunt, ſi homo conſueverit, ſenſum voluptatis & affectus ſequi, & rationes, quæ contrarium ſuadent, attendere & ponderare neglexerit. Hic habitus tanto majora incrementa capit, quo ſæpius ſenſus voluptatis & affectus recurrit, & utrumque ſequendi occaſio adeſt. *Hinc & ea omnia efficiunt, ut ſpiritus carnem vincere haud poſſit, aut hæc victoria longe difficilior reddatur.*

In hac lucta ex una parte ſenſus, imaginatio, præjudicia, voluptas ſenſualis, & affectus pugnant, ex altera vero iudicia & deſideria a Sp. S. per verbum excitata, quæ quoniam ſunt Sp. S. opus, ipſe Spiritus appellantur. Hinc & non prius exiſtere poteſt, quam opus converſionis inchoatum eſt. Poterat autem ante hanc luctam alia exiſtere, quæ lucta appetitus ſenſitivi & rationalis dici ſolet. Cum enim homo rationem habeat, quæ de qualitate objectorum

rum judicare potest, &, quicquid sub ratione boni repræsentatur, aliquo modo appeti debeat, ratio & in homine naturali non raro judicia & desideria excitat, quæ judiciis & desideriis sensuum & voluptatis sensualis contraria sunt. Quo diligentius itaque homo ad vocem rationis attendit, eamque vi appetitus sensitivi opponit, eo facilius caro deinceps vincitur a spiritu. Sed quo sæpius spreverit dictamen rationis, & quo se ipsum proniorem reddiderit, ad bona sensualia appetenda, eo difficilior est pugna carnis & spiritus. Nec impossibile est, ut ille modus agendi, si diuturno exercitio corroboratus fuerit, in necessitatem degeneret, quæ omnem bonorum motuum capacitatem tollit.

§. CLXVI.

Conversio impediri potest.

Quamquam igitur Spiritus Sanctus solus totum conversionis opus in nobis perficiat, (§. 163.) nostra tamen opus est diligentia, qua scripturam legere, audire, meditari, scrutari, & animo volvere debemus. (§. 164.) Sic etiam necesse est, ut spiritus carnem vincat, quod fieri nequit, si judicia & desideria carnis efficaciora & vehementiora fiant spiritualibus. (§. 165.). At vero possibile est, ut diligentia,

gentia, in tractatione verbi a nobis adhibenda, negligatur, & varia a nobis peragantur, quæ vim desideriorum carnalium contra spiritualia augent. *Ergo & conversio ab homine impediri potest.* Quod ut eo certius cuivis constet, velim ratio habeatur clarissimorum oraculorum scripturæ, quæ hanc veritatem evidentissime testantur, Jes. V. 1. seqq. LXV. 2. 3. Ezech. XII. 2. XXXIII. 11. Matth. XI. 6. 21. seqq. XXIII. 37. Luc. VII. 30. Jo. V. 40. Act. VII. 51. nec non parabolarum, quibus Christus modum operandi, in conversione hominis adhibitum, illustravit, & rationem reddidit, cur multi homines non convertantur, licet gratia ad conversionem sufficiens illis applicata fuerit. Matth. XIII. 3. seqq. Luc. VIII. 5. seqq. Matth. XXII. 2. seqq. Luc. XIV. 16. seqq. Ex ipsa autem demonstratione patet,

1. *Conversionem duplici potissimum modo impediri, scilicet neglecto usu verbi divini, justo modo tractandi, & actionibus, quibus animus contra desideria spiritualia obfirmatur, ut hæc carnem vincere nequeant.* De priori modo Christus agit Luc. XVI. 29. 31. Jo. III. 20. V. 37. seqq. de posteriori autem Matth. XIII. 7. 22. XIX. 22. XXII. 5. XXIII. 37. Jo. XII. 37. seqq.

2. Non-usus mediorum gratiæ vel a simplici illorum ignorantia, vel a proæresi & de-

& destinato consilio dependet. Prior non-usus ab homine naturali, sibi prorsus relicto, non potest evitari. Ipse enim ignorat, num dentur media gratiæ, & quænam illa sint. Quia vero Deus omnium hominum salutem serio & efficaciter vult, 1. Tim. II. 4. & hinc opus conversionis manifestatione & applicatione mediorum gratiæ citius vel serius inchoat, (§. 163.) *ille non-usus mediorum gratiæ, a naturali & simplici ignorantia profecturus, vere non impediturus est conversionem, sed id tantum valet de proæretico & destinato non-usu.* Jo. III. 19. 20.

3. Magna voluntatis obfirmatio adversus desideria spiritus singulis hominibus per naturam inest. Nam peccatum originale, quod omnibus connascitur, in se est prava concupiscentia, seu dispositio habitualis totius naturæ, malum appetendi, & bonum aversandi. (§. 153.) Hinc cum Sp. S. conversionem bonarum cogitationum & inclinationum excitatione inchoet, & illarum reiteratione & augmentatione continuet, (§. 163.) fieri nequit, quin homo per naturæ conditionem illis opponat prava judicia & desideria, ideoque lucta carnis & spiritus oriatur. (§. 165.) Sed accedere potest spontanea & non necessaria obfirmatio voluntatis in malo, tum præjudiciorum practicorum corro-

corroboratione, tum malarum concupiſcentiarum & actionum crebriori repetitione, tum exercitio & conſuetudine, non attendendi ad rationes, melius & prudentius vivendi, & voluptatem ſenſualem ſuosque affectus unice ſequendi. Quodſi jam naturalis illa corruptio, qua nemo caret, converſionem actu impediret, nemo unquam converteretur. *Ergo ſpontanea tantum & proæretica voluntatis in malo obſirmatione converſionem impediri, dicendum eſt.* Matth. XI. 21. ſeqq. Jo. XII. 37. ſeqq.

4. Vix ullus erit mortalium, qui nunquam proæretice neglexiſſet, mediis gratiæ uti, aut nunquam actiones edidiſſet, quibus animus contra motus ſpirituales ſponte obfirmaretur. Quodſi ergo quilibet non-uſus deſtinatus mediorum gratiæ, & quælibet ſpontanea voluntatis corruptio converſionem impediret, vix unus & alter converteretur. Quemadmodum autem Sp. S. gratiæ ſuæ operationes continuo repetit, Matth. XXI. 33. ſeqq. XXII. 3. 4. XXIII. 37. Luc. XIII. 6. ſeqq. Jeſ. LXV. 2. atque illæ per Dei providentiam homini nonnunquam applicantur, quando magis diſpoſitus eſt ad eas recipiendas, 2. Sam. XII. 1. ſeqq. quin & Deus externis quandoque mediis utitur, ad compeſcendam carnis petulantiam, nimiamque vehemen-

ementiam, Jes. XXVI. 16. XXVIII. 19. Luc. XV. 11. seqq. ita & multi peccatores gratia Dei tandem expugnati sunt, qui se admodum diu illi opposuerant. *Hinc derivato non-usu mediorum gratiæ, & spontaneæ voluntatis dispositione ad malum conversio tantum impeditur, si malum illud ab homine semper continuetur.*

5. Cæterum actus illi, qui exerceri debent ab homine, ut Sp. S. gratia sua effectus salutares in eo producere possit, & quorum omissione opus conversionis impeditur, dici solent actus PÆDAGOGICI & ANIMALES.

Si Deus potentia sua absoluta homines converterit, hoc opus divinum ab homine impediri haud posset. Nam potentia absoluta est decretum divinum, ut aliqua res existat, sine interveniente medio, in quo existentiæ illius rei ratio contineatur. Interdum Deus hac potentia absoluta sic utitur, ut simul causam quandam occasionalem existere velit. Ita enim in Ægypto baculus Mosis elevandus aut projiciendus erat, quando miracula edi debebant. Sed hoc non impedit, quo minus potentia absoluta irresistibiliter operetur. Pari modo hæc eadem potentia eodem modo opus conversionis perficeret, si Deus non PER *scripturam*, sed tantum IUXTA *eam* ope-

raretur, h. e. per potentiam ad verbum extrinsecus accedentem, quæ vero conversionis rationem in se immediate contineret. Sed quia totum hoc opus per verbum efficitur, inde patet impeditionis possibilitas. Quæ res sicuti ex argumentis productis jam satis patet, ita adhuc magis confirmatur tot adhortationibus divinis, ut resipiscamus. Jes. I. 16. 17. Ezech. XVIII. 30. 31. Matth. III. 2. Marc. I. 15. Act. III. 19. Nam hæc loca aut nihil prorsus significant, aut volunt, ut homo ipse se convertat, aut monent, ne quis conversionem suam impediat. Cum igitur primum & secundum aperte falsum sit, postremum credi omnino debet. Quando diximus, conversionem actuum pædagogicorum omissione impediri, huc simul pertinent omnes actus oppositi, quorsum refero impugnationem & blasphemationem veritatum cælestium, lectionem librorum profanorum, consuetudo cum empæctis & irrisoribus &c. Sic etiam cum conversio impediri dicitur actionibus, quæ animum semper magis magisque in appetendis malis & aversandis bonis confirmant, & pravam dispositionem connatam corroborant, simul intelligimus actionum omissiones, quibus perversæ inclinationi obex poni possit, quales sunt fuga occasionis, dilatio actionis, quando affectus exorbitant, &c.

CLXVII.

§. CLXVII.

Actiones, quibus conversio impeditur, dicuntur RESISTENTIA. Cum ergo opus conversionis impediri possit, (§. 166.) sequitur, *dari quoque resistentiam, seu, gratiæ Sp. S. resisti posse ab homine.* Jes. LXV. 2. Act. VII, 51. Opponitur autem hæc resistentia Resistentia.

1. *Tum actuum pædagogicorum omissione, tum habitu, ea aversandi, quæ ab homine convertendo appeti debent, & ea appetendi, quæ que ab homine convertendo aversanda sunt.* (§. 166.)

2. Utrumque malum duplex esse potest, CONNATVM scilicet, aut a connato necessario dependens, & SPONTE ACQVISITVM. Hinc & resistentia in NATVRALEM & MALITIOSAM dispesci solet, quæ posterior etiam MOROSA, AFFECTATA, PROÆRETICA, VOLVNTARIA, HABITVALIS, & PERTINAX dicitur.

3. Resistentia naturalis est ipsum peccatum originale. Quemadmodum enim hoc malum & summam rerum spiritualium ignorantiam, & habitualem totius naturæ dispositionem involvit, in solis bonis sensualibus beneplacitum habendi, & quælibet opposita aversandi, (§. 153.) ita & homo hoc malo impeditur, ut mediis gratiæ uti non possit, nisi a Deo offeran-

tur, & ſimulac Sp. S. bonos & ſanctos motus ſua gratia excitat, oppoſita mala concupiſcit. Et quoniam peccatum originale omnibus hominibus connaſcitur, *hæc reſiſtentia naturalis eſt univerſalis & inevitabilis.*

4. Reſiſtentia vero malitioſa conſiſtit primum in ſpontaneo non-uſu mediorum gratiæ, a Deo manifeſtatorum & oblatorum, deinde in modo agendi, quo habitus mala concupiſcendi ſponte confirmatur. Ad quem agendi modum cum nemo per naturæ ſuæ corruptionem cogatur, *reſiſtentia malitioſa nec univerſalis nec inevitabilis eſt.*

5. Reſiſtentia VINCIBILIS dicitur, quæ opus converſionis quidem difficile reddit, ſed non prorſus impedit, etiamſi ſemper continuetur. INVINCIBILIS autem eſt, quæ converſionem impoſſibilem reddit, quamdiu continuatur. Peccatum originale a nemine evitari poteſt, & hinc quoque reſiſtentia, quam illud opponit, eſt inevitabilis. At vero ſi ſola maneat, opus converſionis vere non impedit. (§. 166.) *Ergo & reſiſtentia naturalis eſt vincibilis.*

6. Malitioſa vero eſt ſpontaneus non-uſus mediorum gratiæ, quæ homini offeruntur. Hinc & quamdiu continuatur, impoſſibile eſt, ut homo convertatur. (§. 164.) Deinde qui malitioſe reſiſtit, modum

modum agendi sponte sequitur, quo desideria carnis vehementiora redduntur desideriis spiritualibus. Et hoc rerum statu existente Sp. S. opus suum perficere nequit. (§. 165.) *Ergo resistentia malitiosa est invincibilis.*

7. Quia tamen hæc resistentia evitari potest, Deus gratiam suam iteratis vicibus offert & applicat, quod homini non raro contingit, cum quidem habitus, sed non actus resistendi, aut minimum non tanta illius vehementia adest, & caro externis mediis quandoque coercetur, (§. 166.) *ille, qui semel atque iterum malitiose resistit, converti tamen potest, & hinc resistentia malitiosa opus conversionis impossibile tantum reddit, si semper continuetur.*

8. Quo diutius tamen continuatur, eo magis habitus resistendi confirmatur, qui tandem in necessitatem malitiose resistendi abit, & plenariam impossibilitatem flexionis in bonum homini contrahit. Hic status hominis dicitur INDVRATIO. Exod. VII. 3. 13. Jes. VI. 10. Jo. XII. 39. 40. *Quare & induratio cordis conversionem reddit impossibilem.*

A resistentia naturali facilis est transitus ad malitiosam. Cum enim homo ad malum appetendum dispositus sit, hæc prava concupiscentia quoque se exseret, quando Sp.

S. bonos motus in anima operatur. Quodsi tunc voluptati suæ adeo indulgeat, ut motus spirituales illico supprimat & extinguat, suumque affectum unice sequatur, jam incipit resistentia malitiosa. Ad hanc illi longe proniores & magis dispositi sunt, qui hactenus solam voluptatem sensualem, spretis rationibus contrariis, quas nonnunquam viderunt, sectati sunt, quam qui ex errore & præjudicio malum appetierunt. Sed possibile tamen est, ut primus motus bonus, a Sp. S. excitatus, serio attendatur, pravæ concupiscentiæ, ad infirmandam eam, opponatur, & consilium capiatur, illo ad vitæ discussionem & emendationem utendi. Habitus malitiose resistendi est initium indurationis, unde quemadmodum non omnem conversionis potentiam passivam perdidit, qui aliquoties restitit, ita & in ipsa induratione varii gradus statui debent, quorum supremus conversionem demum impossibilem reddit. Et quoniam hunc gradum attigerunt, qui contra Spiritum sanctum peccarunt, Christus testatur, eos non amplius converti posse, & hinc illorum peccatum esse irremissibile. Matth. XII. 31. 32. Marc. III. 28. 29. Luc. XII. 10.

§. CLXVIII.

Fugienda. Cum sola fide vires acquirantur, bona opera

pera faciendi, (§. 158.) & Deus eam omnibus impertiri velit, & vere etiam impertiatur, nisi homo malitiose resistat, (§. 167.) *necesse est, ut ab hac resistentia quisque sibi caveat.* (§. 36.) Resistitur autem tum actuum pædagogicorum omissione, tum actionum malarum oppositione, qua animus contra spiritum semper magis magisque obfirmatur. (§. 167.) Ergo

1. *Verbum Dei diligenter legendum, audiendum, meditandum & scrutandum est, & quicquid in homine datur præjudiciorum, quo illius veritas & divinitas dubia reddi possit, sedulo discutiatur & abjiciatur.* (§. 164. 166.)

2. *Euitentur omnia, quibus desideria carnalia & sensualia majorem vim acquirunt, & vincta carnis & spiritus difficilior redditur.* (§. 165. 166.) Hinc homo mature discat, prudenter & circumspecte agere, actionum causas & rationes ponderare, & voluntatis & tædii sensualis, nec non affectuum vehementiam temperare. Hinc ne quidem in rerum naturalium sphæra quicquam contra meliorem scientiam peragat. Hinc acerba actionum consectaria semper ante oculos habeat, quæ sentire eum oportuit, quando voluptatem & affectus suos sequutus erat. Hinc occasionem fugiat, quæ sensus movet, & voluptatem excitat.

3. Accidit quandoque, ut homo aut

plane non, aut leviter saltem sentiat carnis stimulos. *Hoc igitur tempore bene utatur, ad contemplandas res divinas, ad statum suum explorandum, ad bonum propositum formandum, ad colligenda sibi arma, quibus contra vehementiores carnis insultus dimicari potest.*

4. Et quoniam Deus ipse vim carnis interdum reprimit, aut singularibus beneficiis, quæ hominem in pudorem dant, aut paternis castigationibus, quæ peccati turpitudinem & acerbitatem sensibilimodo docent, aut exemplis aliorum, quæ terrorem incutiunt, aut aliis eventibus mundanis, qui præsentiam, potentiam, & vindictam summi Numinis demonstrant, *his divinæ providentiæ effectibus excitari se patiatur, ut tractui Sp. S. sese non morose opponat.* (§. 166.)

5. *Ad preces quoque confugiat, & a Deo petat, ut externa & interna conversionis impedimenta singulari sua providentia removere velit.*

6. Cumque habitus diuturno exercitio in malis operibus semper magis magisque confirmetur, & verendum est, ne tandem in duritiem cordis abeat, (§. 167.) *ante omnia sibi caveat homo, ne conversionem suam differat.*

Præcipua ratio, quæ hominem ad fugien-

dam

dam resistentiam malitiosam obligat, est impossibilitas, sine fide salutem consequendi, & damnatio eo gravior metuenda, quo propius ipsi Deus cum sua gratia fuit, & quo majora beneficia spiritualia ille sprevit. Matth. XI. 21. seqq. Jo. IX. 41. Media istam resistentiam evitandi, quæ hoc loco recensui, ex antecedentibus jam satis nota sunt. Conversionis dilationem vel unica illa ratio maximopere dissuadet, quod illa hoc ipso difficilior reddatur. Accedit autem *tum* incertitudo termini vitæ, *tum* justitia divina, quæ mensuram gratiæ toties a peccatore contemptæ tandem minuere solet, *tum* dolor futurus, quem peccator ex conversionis dilatione aliquando sensurus est, si per Dei gratiam convertatur, *tum* denique defectus præmiorum, quibus opera ejus in futuro seculo ornari potuissent, si maturius se converti passus fuisset.

CAPVT III.

DE CONSERVATIONE ET CONFIRMATIONE VIRIVM SPIRITVALIVM, SEV RENOVATIONE.

§. CLXIX.

Lucta carnis & spiritus continuatur.

Qui in Christum credit, res spirituales recte cognoscit, fiduciam in Christo collocat, peccatum odit, Deum amat, & bonis operibus studet. (§. 160.) Quia vero peccatum originale & in regenitis remanet, quod tenebras in intellectu, & pravam concupiscentiam in voluntate involvit, (§. 153.) fieri nequit, quin & in illis contradictio judiciorum de rebus spiritualibus, & inclinationum ac desideriorum respectu bonorum spiritualium existat. Quæ contradictio cum dicatur lucta carnis & spiritus, (§. 165.) *ea quoque in regenitis semper continuatur.* Rom. VII. 15. seqq. VIII. 12. 13. Gal. V. 16. 17.

§. CLXX.

Possibilitas fidem amittendi.

Hinc fieri potest, ut regeniti fidem suam rursus amittant. Primum enim constat, fidem

fidem certo & vivo niti assensu, quo doctrinæ cælestes in verbo Dei traditæ acceptantur. (§. 160.) Quodli ergo illæ rursus abjicerentur, & contrariæ opiniones approbarentur, sine dubio fides simul excuteretur. Sic etiam certum est, cum fide connexum esse studium bonorum operum, & peccati detestationem. (§. 160.) Si quis ergo in peccatum consentiret, & a studio bonorum operum deficeret, fidem retinere haud posset. At vero possibile est, ut homo regenitus falsis opinionibus assentiatur, aut cum proposito peccet. Nam lucta carnis & spiritus semper continuatur, (§. 169.) nec necessarium est, ut spiritus carnem vincat, quamquam vires adsint, ad vincendam carnem sufficientes. Ergo nec negari potest possibilitas, fidem amittendi. Ezech. XVIII. 26. Luc. VIII. 13. 1. Cor. X. 12. 1. Tim. I. 19. 2. Pet. II. 20. 21. Ebr. VI. 4. 5. 6.

Joannes quidem 1. Ep. III. 9. inquit, *regenitum peccare non posse.* Sed oraculum hoc in sensu composito & reduplicativo intelligi debet, *regenitum peccare non posse, quatenus est regenitus, fide sua utitur, eamque sequitur.* Eodem sensu Paulus dicit: *Ambulate in spiritu, & concupiscentias carnis non perficietis.* Gal. V. 16. Quia vero regenitus naturam & carnem

nem retinet, eaque semper efficax & operosa est, hoc respectu peccare poterit. Scilicet regeniti semper quidem in statu & habitu fidei existunt, sed non semper actus fidei exercent. Tunc si forte impiæ opiniones animo volvantur, quæ aliquam veri speciem habent, aut objecta adsint, quæ sensus movent, & voluptatem sensualem polliceri videntur, regenitus autem aut nullos aut nimis infirmos fidei actus opponat, nihil facilius est, illius lapsu, & fidei excussione. Cæterum hoc argumentum in Theologia Dogmatica plenius tractari solet.

§. CLXXI.

Cavendum est, ne regeniti fidem amittant.

Cum fides excutitur, simul vires, bona opera faciendi, perduntur. (§. 158.) Quemadmodum ergo studio bonorum operum nemo magis incumbere debet, quam Christianus seu regenitus, (§. 36.) & hinc etiam vires, legibus divinis parendi, conservare obligatur, ita manifestum est, *gravissimam adesse obligationem, fidem servandi & retinendi.* 1. Cor. X. 12. 2. Pet. II. 20. 21. Apoc. II. 25. III. 12. Jam vero constat, duobus præcipue modis fidem amitti posse, scilicet impiarum opinionum approbatione, & peccatis proæreticis. (§. 170.) Ergo regenitis opera danda est,

1. Ne

1. *Ne veritatem cæleſtem abnegent, & in errores fundamentales conſentiant*; Matth. X. 33. Rom. X. 9. 10.

2. *Ne cum proæreſi peccent*. Ezech. XVIII. 26. 2. Pet. II. 20, 21.

Cum ſola fide peccatorum remiſſionem conſequamur, coram Deo juſti declaremur, filii Dei & hæredes æternæ ſalutis conſtituamur, & gratia Dei atque pace cum eo fruamur, (§. 159.) quibus omnibus nobis carendum eſt, ſi fidem rurſus excutiamus, inde præcipua ratio reddi debet, cur regenitos de perſeverantia in fide ſollicitos eſſe oporteat. Equidem & his malis carendum eſt illis, qui in Chriſtum nunquam crediderunt. Sed longe major eſt illorum miſeria, qui a fide rurſus defecerunt, unde & perſeverantiam in fide, tanquam ſingulare Chriſtianorum officium erga ſe ipſos, alibi diligenter inculcavimus. (§. 91. Sch.)

§. CLXXII.

Tentatio. Ratio homini oblata, malum aliquod approbandi, dicitur TENTATIO, quæ pro diverſitate qualitatis, principii, & objecti varia eſſe poteſt. Nam ſi

I. QVALITATEM ipſam ſpectes, hæc ratio eſt

I. OPI-

1. OPINIO, ex qua aut vere aut falso infertur, aliquid verum aut bonum esse, quod tamen verum aut bonum non est. Hac enim opinione aut intellectus disponi potest, ut falsum pro vero amplectatur, aut voluntas flecti, ut malum sub specie boni eligat;

2. *Voluptas sensualis*, quam ex actione quadam aut percipiendam speramus, aut perceptam esse recordamur. Nam & hujus sensu aut præsente aut præterito & futuro voluntas moveri potest, ut objectum illud appetat;

3. *Tædium sensuale*, quod eadem ratione voluntatem ad aversandum bonum, & appetendum malum oppositum inclinat.

II. Ratione PRINCIPII omnis quidem tentatio referri potest

1. *Ad satanam*, qui est prima peccati causa, ideoque omnes peccandi causas & rationes homini recte suppeditare dicitur, licet illæ nonnunquam ab alio principio immediato dependeant. Act. V. 3. 1. Cor. VII. 5. Eph. VI. 12. 16. 1. Thess. III. 5. 1. Pet. V. 8. Apoc. XII. 9. Potest tamen & immediatum tentationis principium esse, dum aut extrinsecus causas peccandi offert, aut interne pravas cogitationes & concupiscentias in anima excitat. Gen. III. 1. seqq. Job. I. 12. seqq. II. 7. Matth. IV. 3.

IV. 3. seqq. Jo. XIII. 2. Plerumque autem & immediate homo tentatur

2. *A propria carne* seu peccato originali, quod intellectum variis præjudiciis & præcipitantiis corrupit, & voluntatem ad appetendum bona sensualia & apparentia disposuit, unde fieri nequit, quin existente occasione & oblato quodam bono sensuali prava concupiscentia excitetur. Matth. XV. 19. Gal. V. 17. Jac. I. 14.

3. Denique & *mundus* variis modis nos tentat, quatenus aut mali homines suadendo, laudando, promittendo, & comminando, aut mala illorum exempla & consuetudines, aut etiam res a Deo creatæ, & in se bonæ, quæ omnia per mundum intelligi debent, motiva peccandi vel directe vel indirecte nobis subministrant. Jo. XV. 18. 19. 20. XVI. 2. 3. Rom. XII. 2. Eph. II. 2. 1. Jo. II. 15. 16. V. 4. 5.

III. OBIECTA, ad quæ tentamur, sunt

1. *Omnes errores*, quibus gloria Dei obscuratur, Christus & Evangelium abnegatur, & fundamenta veræ fidei evertuntur; 2. Tim. IV. 4. 2. Pet. II. 1. 2.

2. *Omnia alia peccatorum genera*, quæ malum sub specie boni volendo, & bonum sub specie mali nolendo committuntur. 1. Jo. II. 15. 16.

Ratio-

Rationes istæ, quibus homines ad malum sollicitantur, sine dubio TENTATIONES dicuntur, quia regeniti hoc ipso explorantur, quales habeant vires, & num illis recte utantur. Qui malum appetit, & bonum aversatur, aut ex errore agit, aut voluptatem vel tædium sensuale unice sequitur. Error ille practicus aut falso nititur principio, aut illegitima consequentia ex falso principio deducta. Posteriore modo ipsis verbis scripturæ male intellectis aut siniſtre applicatis homines non raro tentantur. Deus quidem permittit, homines tentari. Matth. VI. 13. ipse vero neminem tentat. Jac. I. 13. Res enim ipsius sanctitate indigna est, quemquam ad malum oblatis occasionibus & motivis invitare & sollicitare. Tentationes potius sua sapientia temperat, & vires ad resistendum sufficientes confert. 1. Cor. X. 13. Hinc ubi homines tentasse legitur, occasionem tantum, viribus suis spiritualibus utendi, fidemque demonstrandi, obtulisse credendus est. Gen. XXII. 1. seqv. Quamquam prima tentatio in ipso homine nasci potuisset, sicuti in diabolo, scimus tamen, eam extrinsecus homini applicatam esse. Gen. III. 1. Postquam autem natura hominis corrupta est, quilibet a propria sua carne immediate tentatur, cujus rei genesin Jacobus Cap. I. 14. 15. distincte explicat

plicat. Scilicet humana natura in genere disposita est ad malum appetendum, ipsa vero prava concupiscentia existere nequit, nisi determinatum objectum adsit. Quod si extrinsecus offeratur, aut imaginatione repræsentetur, illico sensus voluptatis existit, quem & aliqualis appetitus comitatur. Quandoque ad hunc motum voluptatis, qui solo objecti sensu excitatur, accedit judicium, quo ex falsa ratione objectum bonum esse creditur, aut etiam falsa hæc persuasio præcedit, & voluptatem ac appetitum operatur. Tunc adest tentatio, cui vero regenitus resistere potest, sic ut falsam opinionem meliore cognitione rejiciat, aut voluptatem & affectum impugnet viribus gratiæ oppositis. Quatenus ergo omnes tentationes a peccato originali immediate proficiscuntur, diabolus omnis tentationis causa dici potest. 1. Thess. III, 5. Ipse enim primus auctor est hujus communis mali, quo totum humanum genus laborat. Constat autem, eum & post seductionem primam homines interdum immediate tentasse. Et quamquam adventu Christi ipsius potentia valde limitata est, sic ut opera sua immediata non amplius ita exerceat, quemadmodum olim factum est, nullas tamen hodie dari tentationes diabolicas immediatas, probari nequit. Dicitur in filiis incredu-

litatis efficaciter operari, Eph. II. 2. & circumvagari, quærens, quem devoret, 1. Pet. V. 8. quod de solis effectibus mediatis vix intelligi posse videtur. Cæterum quando mundus tentare nos dicitur, id vario modo fieri potest. Mali enim homines, illorum vitæ genus, rerum mundanarum splendor, quibus summa hominum felicitas contineri creditur, & id genus alia varias rationes & causas malum appetendi offerre possunt. His rebus omnibus satanas pro fine suo utitur, quantum potest. Et quoniam vivendi genus, pravæ consuetudines, præjudicia hominum, circumstantiæ, quas adesse oportet, si hoc vel illud peccatum committi debeat, non semper sunt ejusdem generis, nec idem semper genus tentationum in mundo regnat. Quandoque ad superstitionem, quandoque ad incredulitatem, quandoque ad sævitiam, quandoque ad mollitiem, &c. fortiores & crebriores adsunt tentationes, quibus plurima pars hominum seducitur.

§. CLXXIII.

Résistentia illi opponenda.

Cum tentationes sint omnes causæ & rationes, malum aliquod appetendi, & istæ a diabolo, propria carne, & mundo semper offerantur, (§. 172.)

1. *Regeniti nunquam carent tentationibus.* Gal.

Gal. V. 16. 17. Rom. VII. 18. 19. 20. VIII. 13.

2. Existente tentatione ratio adest, malum appetendi, & bonum aversandi. Malum enim sub specie boni repræsentatur, & voluptatem sensualem movet, bonum autem sub specie mali repræsentatur, & tædium sensuale creat. Cum igitur natura hominis ad malum dispositа sit, & voluptatibus tædiisque sensualibus nunquam careat, tentationes autem nunquam penitus quiescant, *regeniti quoque continuo malum appetunt, & bonum aversantur, quæ peccata infirmitates dici solent.* Rom. VII. 15. Matth. XV. 19. 1. Jo. I. 8.

3. His autem tentationibus, & infirmitatibus ab illis pendentibus, cum nemo carere possit, *fides non statim excutitur.* Rom. VII. 20. 22. 23. Gal. V. 16. 17.

4. *Tunc vero excutitur, cum accedit consensus & approbatio nostra.* Nam si forte accederet, homo in concupiscentiis suis haberet beneplacitum, in iis acquiesceret, easque cum studio & deliberato consilio sequeretur. Hoc autem peccati genus est proæreticum, (§. 45.) & cum eo fides consistere nequit. (§. 170. 171.) Hinc & fideles monentur, ne secundum carnem vivant, sed potius illius opera spiritu supprimant. Rom. VIII. 1. 13. Gal. V. 16.

5. Regenitus impedire quidem non

potest, quo minus prava concupiscentia in ipso oriatur. Sed a consensu & approbatione sibi cavere potest. Nam simulac animadvertit, malam cogitationem vel inclinationem adesse, illius pravitatem agnoscere, dolore & tristitia tangi, eamque improbare, & contrarium peragere potest. Est enim in eo recta rerum spiritualium cognitio, excussum est dominium peccati originalis, h. e. habitus proæretice peccandi, & dispositio restituta est Deum diligendi, & in bonis operibus beneplacitum habendi. (§. 160.) Et quamquam hæc resistendi potentia in uno major, & in altero minor esse soleat, Deus tamen, qui fideles suos singulariter curat, omnium tentationes sua providentia moderatur & temperat, ut non fiant vehementiores, quam singulis concessæ sunt resistendi vires. 1. Cor. X. 13. *Hinc fideles omnes suas tentationes feliciter superare possunt, ut illis non succumbant.* Rom. VIII. 13. Gal. V. 16. 1. Jo. V. 4. 5.

6. Sed hanc victoriam si reportare velint, *utendum est viribus spiritualibus, & lucta spiritus adversus carnem continuo exercenda.* Gal. V. 16. Eph. VI. 11. 13. Rom. XIII. 12.

Has vires Paulus Eph. VI. 11. 13. παν-
πλίαν τ̃ Θε̃, & Rom. XIII. 12. ὅπλα
τ̃

τῦ φωτὸς vocat. Ea enim, quæ nos ad malum sollicitant, sunt hostes spirituales, quibus sine armis resisti non potest. Hinc & cum homo naturalis armis istis destituatur, hostes suos vincere non potest. Homo autem spiritualis hac armatura Dei instructus est. Ea igitur quum recte utitur, victoria non potest esse dubia. Atque ut homo sciat, quomodo pugnare debeat adversus varias μεθοδείας τῦ διαβόλυ, ipse arma varii generis recenset & commendat. Huc nimirum refert cingulum veritatis, thoracem justitiæ, evangelium pacis, clypeum fidei, galeam salutis, gladium spiritus, & preces. His omnibus quomodo recte utendum sit in variis tentationum generibus, ex sequentibus clarius constabit.

§. CLXXIV.

Vigilantia. Qui viribus a Sp. S. acceptis ad vincendas tentationes & fidem conservandam recte uti vult, ille ad singula quam diligentissime attendere debet, quæ sibi prodesse & nocere possunt, ut pericula defugere, aut in iis constitutus feliciter pugnare & in bono confirmari possit. Habitus, ad ea omnia diligenter attendendi, quæ ad salutem animæ impediendam aut conservandam & promovendam perti-

nent, dicitur VIGILANTIA SPIRITVALIS. Cum igitur tentationes & pericula nunquam desint, (§. 173.) *Christianis omnino vigilandum est.* Matth. XXVI. 41. Marc. XIII. 37. 1. Pet. V. 8. Apoc. XVI. 15. Huc autem pertinet,

1. *Ut quisque semper sit animo sobrio & composito, & hinc attentionis & deliberationis capax*; 1. Thess. V. 6. 8. 1. Pet. V. 8.

2. *Ut omnium tentationum rectam habeat notitiam, quibus Christiani sæpe exponi solent, maxime vero illarum, quas ipse pro status sui conditione aliis facilius sentire potest*;

3. *Ut quoque mutationes & varios Christianorum status recte teneat, illiusque sibi semper sit conscius, in quo ipse constitutus est*;

4. *Ut præsentium ac futurarum circumstantiarum, quæ forte probabiliter prævideri possunt, rationem habeat, eas, quæ occasionem aliquid boni peragendi offerunt, non negligat, eas vero, quæ ipsum tentationibus objicere possent, diligenter defugiat*; 2. Cor. VI. 2. Gal. VI. 10. Eph. V. 16. Sir. III. 27. 1. Tim. VI. 9.

5. *Denique ut media spiritualia probe perspecta habeat, quibus utendum est tum ad perficiendum bonum, tum ad tentationibus resistendum.* Rom. XIII. 12. Eph. VI. 13. seqq.

Huic vigilantiæ opponitur SECVRITAS, quæ ex multis causis sedulo fugienda est. Nam

1. *Mul-*

1. *Multiplex* adeſt mandatum Dei; Matth. XXVI. 4. 1. Pet. V. 8. 2. *Homo* ſemper in periculo verſatur, & tentationibus expoſitus eſt, unde & ſcriptura dicit, cum timore & tremore curandum eſſe, ut ſalvemur; Phil. II. 12. 3. *Hoſtes* ſpirituales, qui nobis inſidias ſtruunt, tum propter aſtutiam tum propter potentiam periculoſiſſimi ſunt, quibus reſiſti nequit, niſi continuo vigilemus; Eph. VI. 12. 1. Pet. V. 8. *Hinc & David*, Petrus, & alii ſancti graviter lapſi ſunt, cum juſto eſſent ſecuriores; 5. *Neque nobis* conſtat, qua hora venturus ſit Dominus, cui omnium operum noſtrorum reddenda eſt ratio. Matth. XXV. 13. Luc. XXI. 36. Apoc. XVI. 15.

§. CLXXV.

Vires Spir. conſervari & augeri debent.

Sed nihil prodeſſet vigilantia, niſi vires ſpirituales præſto eſſent, bonum peragendi, & tentationibus ad malum reſiſtendi. Has equidem vires in regenitis adeſſe, ſcimus, cum ipſa fides eas involvat. (§. 158.) Sed primum conſtat, fidem amitti poſſe, (§. 170.) cujus amittendæ periculum tanto majus eſt, quo graviores ſunt tentationes, quibus ad malum ſollicitamur. (§. 172. 173.) Deinde homo continuis mutationibus obnoxius eſt, & hinc

vires ſenſim deficere debent, niſi ſemper magis magisque confirmentur & augeantur. *Ergo fidelibus opera danda eſt, ut, quas per regenerationem acceperunt, vires non tantum conſervent, ſed etiam illarum incrementa capiant.* 1. Cor. XVI. 13. 2. Cor. X. 15. Eph. III. 16. IV. 15. VI. 10. Col. I. 10, 11. 2. Pet. III. 18. Quia vero vires bonum agendi & malum fugiendi tum notitiam legis & motivorum, tum diſpoſitionem, motiva ſequendi, involvunt, (§. 150.) quæ omnia per fidem nobis conferuntur, (§. 158.) neceſſe eſt,

1. *Ut regeniti creſcant in cognitione voluntatis divinæ, ſuorumque officiorum*; Rom. XII. 2.

2. *Ut motiva quoque, bonum appetendi & malum averſandi, quæ ex opere Redemtionis repetenda ſunt, ſibi ſemper notiora, certiora, & familiora reddant*; 2. Pet. III. 18.

3. *Ut denique & diſpoſitionem, motiva iſta ſequendi, ſemper augeant.* Eph. III. 16. IV. 15. VI. 10.

Incrementa iſta præcipue quidem omni ſtudio ſectanda ſunt, ne fides decreſcat, & tandem prorſus deficiat. Nam ſi non augeatur, neceſſario infirmari & tandem deleri debet, tum propter continuas modificationes hominis, quæ non permittunt, ut ſtatus ſemper idem maneat, tum propter

pter tentationes ſemper recurrentes, quibus fides impugnatur. Sed & ideo neceſſarium eſt hoc ſtudium, 1. quia, quo firmiores ſunt vires ſpirituales, eo plus boni a nobis peragi poteſt; 2. quia graviſſimis tentationibus quandoque exponimur, ad quas ſuperandas majori robore opus eſt; 3. quia totum illud ſtudium, quo vires ſpirituales augemus, in ſe jam eſt cultus Dei. Ad has vires autem requiritur 1. notitia voluntatis divinæ noſtrorumque officiorum, quæ & extenſive & intenſive augeri poteſt. Quia vero hæc officia Part. II. tota ſatis demonſtrata ſunt, non opus eſt, ut hoc argumentum denuo tractemus. 2. Vires bonum faciendi involvunt rectam ſcientiam motivorum, quæ pariter extenſive & intenſive creſcere poteſt. Hæc motiva aut ſunt generalia, quæ hominem ad ſtudium pietatis & cultum Dei in genere excitant, aut ſpecialiora, quæ hujus vel illius officii exercitium adjuvant. Sed & hæc tradimus in part. II. & ideo tradimus, quia circa ſingula officia facilius exponi potuerunt. Itaque tantum reſtat 3. diſpoſitio voluntatis, hæc motiva ſequendi. Quæ ſicuti per ſolam regenerationem conferri poteſt, & partem præcipuam virium ſpiritualium conſtituit, ita & hoc loco ſingulariter explicanda & urgenda eſt.

§. CLXXVI.

Renovatio. Disposition illa, motiva spiritualia sequendi, homini a Sp. S. collata erat per verbum Dei. (§. 163. 164.) Hinc & sine dubio continuata verbi divini tractatione & meditatione augeri potest. Sed aliud præterea medium datur, illam perficiendi. Nam dispositio aliquid agendi incrementa capit, dum in habitum permutatur, qui rursus major & minor esse potest. Jam vero constat, omnem habitum acquiri exercitio. Hinc si fideles in dispositione, bona opera faciendi, crescere velint, *operam dent, ut iis perficiendis continuo exerceantur.* Hoc studium & exercitium bonorum operum scriptura vocat RENOVATIONEM. Eph. IV. 22. 23. 24. Ex quo sequitur, a regeneratione ad renovationem progrediendum esse. Involvit autem hæc mutatio Christianis valde salutaris multas alias, ad quas per regenerationem præparatus erat. Nam

1. Qui bonis operibus studet, habitum sibi comparat, actiones suas ad legem divinam componendi, qui IVSTITIA appellatur. Rom. II. 13. Hinc fideles per renovationem interne justi redduntur. Et quamquam hæc justitia non ea sit, qua coram Deo justificamur & salvamur, minime

nime tamen negligi debet. 1. Tim. VI. 11. 2. Tim. II. 22. 1. Pet. II. 24.

2. Habitus, Deum diligendi, & mandata ejus servandi simul involvit habitum aversandi ea, quæ Deo displicent, & legi ejus repugnant, sibique ab iis diligenter cavendi. Hic habitus dicitur SANCTITAS. Ergo fideles per renovationem quoque sanctificantur, cujus rei necessitatem scriptura pariter multis locis urget. Rom. VI. 19. 2. Cor. VII. 1. Eph. V. 25. 26. 27. 1. Thess. IV. 3. 4.

3. Quemadmodum vero studium bonorum operum exerceri non potest, nisi simul vera Dei, legis divinæ, & Redemtoris nostri cognitio crescat, (§. 175.) ita per renovationem sapientia & sanctitas simul restituitur. At hæc duo constituebant DIVINAM IMAGINEM. Unde & illa in renovatione restauratur. Rom. VIII. 29. Eph. IV. 24. Col. III. 10.

4. Si quid est in uno cujus ratio sufficiens datur in altero, ea inter se unita esse dicuntur. Cum igitur omnium hominum vita, existentia, & perduratio a Deo dependeat, omnes etiam homines certo modo uniti sunt cum Deo. Act. XVII. 28. Sed fideles longe meliore & perfectiore unione cum Deo fruuntur. Nam primum habent peccatorum remissionem, & a Deo justi ac hæredes æternæ

næ ſalutis conſtituuntur, cujus cauſa eſt meritum Chriſti illis imputatum. (§. 159.) Secundo bonis operibus ſtudent, (§. 160.) cujus ratio non tantum in voluntate divina aliisque multis beneficiis a Deo ſibi collatis continetur, quibus ut motivis utuntur, (§. 36.) ſed etiam in bona & ſpirituali illa emendatione voluntatis, quam per fidem in regeneratione acceperunt. (§. 158. 161.) Et hanc poſteriorem unionem, quæ MYSTICA appellari ſolet, ſcriptura inprimis prædicat, variisque ſymbolis illuſtrat. Hoſ. II. 19. 20. Jo. XV. 4. 5. Eph. V. 23. ſeqq. Per hanc enim unionem Deus in cordibus fidelium habitare dicitur. Jo. XIV. 23. Rom. VIII. 9. 11. 1. Cor. III. 16. Eph. III. 17. 2. Tim. I. 14. Nam ſicuti Deus gratia ſua accedit ad hominem, & fidem in eo operatur, (§. 164.) ita & fideles hanc gratiam, a qua Deus ipſe ſeparari non poteſt, in corde ſuo retinent, & Deus eam ſubinde auget, dum novas vires ſpirituales confert, & ſanctos motus in eo excitat. Hinc licet hæc unio cum ipſa regeneratione incipiat, fideles tamen per renovationem multo arctius cum Deo uniuntur.

5. VITA hominis nihil aliud eſt, quam actuoſitas, ſeu vis operandi, quæ ſi tendat ad edendas actiones vitales ſeu naturales, NATVRALIS, ſin vero ad actiones mora-

morales, seu moraliter bonas, SPIRITUALIS appellatur. Jam vero homo per fidem vires spirituales, bonum peragendi, accepit, (§. 158.) quibus postea in renovatione utitur, & quas ipso exercitio auget & confirmat. Hinc & renovatio est vita spiritualis. Ex hac causa per regenerationem *creari* dicimur ad studium bonorum operum, Eph. II. 10. & regenitus est *nova creatura* seu *novus homo*. 2. Cor. V. 17. Eph. IV. 24. Col. III. 10. Fideles ex morte in vitam revocati dicuntur, Eph. II. 5. & in novitate vitæ ambulare jubentur. Rom. VI. 4. Quemadmodum autem in vita naturali variæ dantur ætates, quæ mensura & quantitate virium naturalium distingui solent, ita & in vita spirituali variæ ætates concipi possunt. Unde & scriptura mentionem facit infantium, adolescentium & patrum. 1. Jo. II. 13. 14.

§. CLXXVII.

Hoc studium bonorum operum, cum nunquam omnis desit occasio, bonum peragendi, & malum fugiendi, semper quidem exerceri potest & debet. Quia vero occasio illa multiplex esse potest, & non tantum ab externis circumstantiis, verum etiam ab interno & vario fidelium statu dependet, ita Christianos scire oportet,

Studium B. O. varie exerceri potest.

tet, quid sibi in quocunque statu agendum, quibusque viribus inprimis utendum sit.

§. CLXXVIII.

In statu tentationis.

Hos inter status fidelium frequentissimus est STATVS TENTATIONIS. Vix enim ullum tempus erit, quo tentationibus prorsus carerent. (§. 173.) Gradu tamen & modo inter se differe possunt. Nonnullæ sunt graviores, nonnullæ leviores. Si gravior tentatio adsit, aut probabilior aderit opinio, quæ animum ad approbationem mali sollicitat, aut voluptas & tædium sensuale vehementius movebitur. (§. 172.) Utroque casu cavendum est, ne aut præjudiciis assentiamur, aut voluptatem vel tædium sensuale sequamur. Quod ut fiat,

1. *Ante omnia vigilemus*; (§. 174.)

2. Cum Deus tentationes nostras singulari providentia moderetur, atque omnibus vires pro mensura tentationum sufficientes largiri velit, 1. Cor. X. 13. *invocandus quoque est Deus, ut tentationes nostras temperet, nobis sua gratia adsit, viresque nobis augeat.* Matth. XXVI. 41. Marc. XIV. 38. Eph. VI. 18.

3. *Continua & diligens verbi divini meditatio institui debet*, qua non tantum falsæ opi-

piniones, nobis periculosæ, confutantur, ed etiam ipsa voluntas hominis semper magis magisque sanctificatur, & in bono confirmatur. Eph. VI. 17.

4. Si forte *ad incredulitatem* tentemur, quod fit, cum animus variis dubitationibus de divinitate verbi divini in genere, aut de veritate hujus vel illius doctrinæ cælestis in specie vexatur, *veritati inhærendum est*, Eph. VI. 14. tum meditatione argumentorum, quibus divinitas scripturæ sacræ nititur, tum recordatione effectuum salutarium, quos in anima experti sumus, tum consideratione præstantiæ & sanctitatis nostræ religionis, tum quoque diligenti examine eorum, quibus vera doctrina impugnatur.

5. Si vero vehementiore *voluptatis vel tædii* sensu moveamur, *renovanda est lucta spiritus adversus carnem*, (§. 165. 169.) & *inprimis exercenda abnegatio sui ipsius*. (§. 75.)

6. Qui semel atque iterum tentatus est, novit causas & occasiones, quæ ipsum tentationibus exposuerunt, novit etiam media & arma, quibus contra tentationes feliciter pugnavit, easque tandem superavit. *Hinc & ille imposterum fugiat occasiones sibi periculosas, eaque media sibi reddat familiaria, seque in iis exerceat, quibus animum contra tentationes obfirmare potest.*

7. Ad hæc media inprimis pertinet timor

mor Dei, humilitas coram eo, & continua præparatio ad mortem. Nam qui Deum timet, ea omnia aversatur, quæ Deo displicere novit, & gravissima motiva habet, quæ animum ad ea aversanda disponunt. (§. 76.) Quo frequentius ergo hæc motiva animo suo volvit, & affectum resuscitat, quo mala voluntati Dei contraria improbat & aversatur, eo facilius inclinationes, quæ in contrarium tendunt, vincet. Qui se coram Deo humiliat, Deum semper & ubique præsentem cogitat, ingens illud discrimen, quod est inter dignitatem Dei suamque indignitatem, agnoscit, & magna reverentia erga Deum tangitur. (§. 81.) Ita vero qui affectus est, pravam cogitationem & malum desiderium, simulac adesse intelligitur, serio abhorrebit. Denique qui se ad beatam & tranquillam mortem præparant, sæpe cogitant, mortem singulis momentis sibi expectandam esse, tremendum illud judicium, ubi omnium operum reddenda est ratio, frequentissime in memoriam sibi revocant, ad actiones suas diligenter attendunt, nihilque peragunt, quod sub finem vitæ a se peragi nollent. (§. 92.) Atque hæc animi dispositio magnam vim habet, carnis impetus & motus compescendi. *Qui ergo tentationes suas per Dei gratiam vincere vult, sese in actibus timoris Dei, humilitatis*

militatis coram Deo, & præparationis ad mortem diligenter exerceat, eosque sibi familiares reddat, ut tempore tentationis facilius resuscitari possint.

§. CLXXIX.

In Afflictionibus spiritualibus.

AFFLICTIO est dolor, qui sentitur ex opinione defectus boni necessarii, aut præsentiæ alicujus mali. Potest illa commode in SPIRITVALEM & CORPORALEM dispesci. Nam bonum, quod deesse, aut malum, quod adesse creditur, & spirituale & corporale esse potest. Defectus boni spiritualis, aut malum spirituale, multiplex quidem est, id tamen, quod fideles præcipue affligere solet, est aut defectus remissionis peccatorum & gratiæ divinæ, aut tentatio, aut propria infirmitas. Si

I. *Fideles putent, se non habere peccatorum remissionem*, ideoque valde contristentur,

1. *In se ipsos descendant, seque ipsos explorent, num fide instructi sint*;

2. *Tunc promissionum divinarum habeant rationem*, quæ nos certiores reddunt, credentibus remissa esse peccata;

3. *Deum implorent, ut sensum fidei dare vel augere velit*;

4. *Et rationes illas examinent, quæ peccatorum remissionem ipsis reddunt dubiam.*

II. *Tentationes si animum excrucient*, homo afflictus cogitet,

1. *Fideles nunquam carere tentationibus.* (§. 173.) *& ipsum Christum a satana tentatum fuisse*; Matth. IV. 1. seqq.

2. *Tentationes istas, si cum dolore sentiantur, esse criteria fidelium*; Rom. VII. 21. seqq.

3. *Illis multiplicem occasionem offerri, varia officia adimplendi*;

4. *Inprimis hominem tentationibus excitari ad preces, ad fiduciam in solo Deo collocandam, ad vigilantiam, aliaque opera bona.*

III. *Infirmitates*, quas homo fidelis non sine moerore & tristitia sentit,

1. *Eum monere debent, infirmam quoque fidem Deo placere, & hujus mensuram abeo pro sapientissimo suo arbitrio distribui, hinc in ejus gratia acquiescendum esse*; Jes. XLII. 3. LXI. 1. 1. Cor. II. 11. 2. Cor. XII. 9.

2. *Quo major est infirmitas, quam homo experitur, eo magis exercenda est humilitas coram Deo*;

3. *Nam dubitandum, quin Deus nobis adfuturus sit in omni tentatione, eamque temperaturus pro mensura virium.*

4. *Cæterum vero opera danda est, ut & in fide & in studio pietatis crescamus & corroboremur.*

Accidit nonnunquam, ut fides quidem adsit, sed non sentiatur. Nam fidelis aut nare-

ram

ram fidei juſtificantis non recte novit, eaque, quæ adeſſe ſentit, & ad fidem vere pertinent, adeſſe poſſe putat ſine fide, aut unum alterumve fidei criterium adeſſe non animadvertit. Hi homines ante omnia docendi ſunt, quænam ſit fidei natura & indoles, ut ſe ipſos explorare poſſint, num fidem habeant. Deinde quamquam fides adeſſe non poſſit, niſi ſimul omnia fidei criteria exiſtant, tamen, cum nonnulla illorum quandoque ſint infirmiora, & hinc inſenſibilia, ad alia criteria rejicienda ſunt, quæ non deficient, & præſentiam fidei ſemper monſtrant, qualia ſunt odium & deteſtatio peccati, deſiderium divinæ miſericordiæ, dolor ex infirmitatibus & præſumto gratiæ defectu ortus, &c.

CLXXX.

In afflictionibus corporalibus.

AFFLICTIO CORPORALIS eſt dolor ex ſenſu mali, aut defectus boni corporalis ortus. Hoc ſtatu Chriſtianus utatur

1. *Ad fiduciam, patientiam, & acquieſcentiam in Deo exercendam*; (§. 78. 79. 80.)

2. *Agnoſcat vanitatem & inconſtantiam rerum mundanarum, ſuamque voluptatem & beneplacitum unice in Deo quærat*; Pſ. LXXIII. 25. 26.

3. *Animum contemplatione futuræ gloriæ cæleſtis erigat, mortem ſæpe meditetur, & ad*

felicem transitum in beatam vitam se diligentius præparet; Ebr. XIII. 14.

4. *Simul tamen & Deum precibus suis adeat, ut & has calamitates temperare, nos sua gratia consolari, fidem servare, & tandem ab omni malo liberare velit.*

§. CLXXXI.

In statu recreationis,

Quandoque accidit, ut fideles fidei suæ præsentiam, certitudinem divinæ gratiæ & remissionis peccatorum, inhabitationem Sp. S. incrementa in studio pietatis, & tranquillam conscientiam sentiant, ratione futuri bene de Deo sperent, & hinc magno gaudio perfruantur. Hic status dici posset STATVS RECREATIONIS, Ps. XXXIV. 9. Rom. VIII. 16. Eph. I. 13. 14. Ebr. VI. 5. Quodsi ergo hoc beneficii genus Christianis contingat,

1. *Omnes actus amoris erga Deum renovent*; (§. 72.)

2. *Pro tanto beneficio ipsi gratias agant*; (§. 74.)

3. *Novo fœdere se cum Deo uniant, & propositum suum, illi perpetuam obedientiam præstandi, confirment*; (§. 77.)

4. *Sed simul sibi caveant a securitate & socordia, ac si nulla tentatio vel afflictio ipsis metuenda esset*; (§. 174.)

5. *Quin potius hoc tempore utantur ad colli-*

olligenda sibi arma, quibus in hora tentationis mnibus hostibus spiritualibus resistere possint.

§. CLXXXII.

Cæterum pietatis studium non parum juvatur

Alia pietatis exercitia.

I. QVOTIDIANA POENITENTIA, i. e. contritionis & fidei quotidiana renovatione. Cum enim fideles pristinorum peccatorum ante suam conversionem commissorum memores existant, & non ignorent, se multis adhuc imperfectionibus laborare, quæ Deum offendunt, & in æternam mortem imputarentur, nisi fides interveniret, utrumque autem peccatorum genus pro ingenti malo ab ipsis habeatur, fieri nequit, quin & magnum animi dolorem inde concipiant. Quia vero simul sciunt, solo Christi merito peccata remitti, seque in gratiam a Deo recipi, cujus beneficii ipsi jam facti essent participes, meritum Christi desiderare, & in eo acquiescere pergunt, & utrumque fidei actum continuo renovant. Hæc pœnitentia si quotidie exerceatur, fideles vitam suam sæpissime explorant, peccata semper magis aversari discunt, infirmitates & lapsus suos observant, a Deo illorum remissionem petunt, studium ab iis sibi cavendi renovant, & ad majorem per-

fectionem tendunt. Quemadmodum ergo, qui hæc omnia peragunt, nova motiva sibi comparant, Deum diligendi, & mandata ejus servandi, nec minus ad hoc studium quoque semper magis disponuntur, ita & vires spirituales per quotidianam pœnitentiam augentur. Hinc & fideles peccatorum remissionem quotidie a Deo petere jubentur, Matth. VI. 12. nec officium illud sibi demandatum neglexerunt. Ps. XIX. 13.

